cti eius cũ eo, & erit ĩ die illa lux magna: & exibunt de Ierusalẽ sicut aqua munda, & regnabit Dñs in æternum, Super oẽs Gentes. ℣. Ecce Dominus cum virtute veniet, & regnum in manu eius, & potestas, & imperium. Super.

Lectio iij.

EX quo dormisti: nõ ascẽdit qui succidat nos. Infernus subter te conturbatus est in occursum aduentus tui: suscitauit tibi Gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de solijs suis; omnes principes nationũ, vniuersi respõdebũt, & dicẽt tibi. Et tu vulneratus es sicut, & nos, nostri similis effectus es. Detracta est ad inferos superbia tua: concidit cadauer tuum. Subter te sternetur tinea: & operimentũ tuũ erunt vermes. Hæc dicit. ℟. Ciuitas Ierusalem noli flere, quoniã doluit Dñs super te. Et auferet à te omnem tribulationem. ℣. Ecce Dñs in fortitudi-

qui nõ acquiescunt veritati, credunt autẽ iniquitati, ira, & indignatio, tribulatio, & angustia, in omnẽ aĩam hoĩs operantis malũ: Iudæi primũ, & Græci. Gloria autẽ, & honor, & pax omni operãti bonũ: Iudæo primũ, & Græco. Nõ est enim personarum acceptio: apud Deum. ℟. Sicut mater consolatur filios suos: ita consolabor vos, dicit Dominus: & de Ierusalem ciuitate quã elegi veniet vobis auxilium, & videbitis. Et gaudebit cor vestrum. ℣. Dabo in Sion salutẽ, & in Ierusalem gloriam meam. Et gaudebit.

Lectio vj.

QVicunq; enim sine lege peccauerunt, sine lege peribũt: & quicũq; in lege peccauerunt, per legẽ iudicabuntur. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deũ: sed factores legis iustificabuntur. Cum enim Gentes quę legẽ non habent, naturaliter ea q̃ legis sunt faciunt,

DE OPTIMO REIPUBLICAE STATU

TOMUS SECUNDUS,

AUTHORE F. GREGORIO NUNNIO CORONEL LUSITANO

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI Professore, & Sacræ Theologiæ Doctore.

Ad Illustrissimum, & Reuerendissimum D.D. FR. GREGORIUM PETROCHINUM ELPARENSEM. S. R. E. CARD. AMPLISS.

Ηὖ μὲν ἐν μέσσῳ λάχε πατρῶν στέμματα δίων
Δῖα. ὁ μὲν κεύσοι οὔνομα, κῦδος ὅδε.



Quam bene magnorum in medio sunt stemmata Patrum
Magna! Suum hic nomen protegat, ille decus.

ROMÆ, In Typographia Externarum Linguarum,
Apud Iacobum Lunam. M. D. XCVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

ILL.mo ET R.mo D.D.
FR. GREGORIO
PETROCHINO ELPAREN.
S. R. E. CARD. AMPLISS.

DEO, & Angelis gratiſsima eſſe Diuinæ ſapientiæ ſtudia, Princeps Illuſtriſsime, & Cardinalis Ampliſs. vel ipſe Plato, qui, propter hæc oculos eſſe homini

datos asseruit, satis agnouit: & habere illa nescio quid latentis energiæ, quæ mentes nostras, non secus ac magnes ferrum, in sui contemplationem rapit, atque erigit, sine vlla cunctatione affirmauit. Vberrimos verò, ex ea, & incomparabiles fructus percipi, facilè intelliget, qui attentè contemplabitur, quam & veteres, & recentiores sapientes in studio humanæ Philosophiæ, quæ famula illius, & ministra est, vtilitatem positā esse, & dictis & factis comprobarunt. Nam, si agricolæ, & hortorum cultores & serēdi vtilitatem præceptorum, & telluris bonitatem, iacto semine, arboribusque

buſque depactis,non aliunde,quā
ex vbertate fructuum, præſtantia-
que dijudicāt: defigamus,obſecro,
in antiquitatem vniuerſam, à qua
poſteriora ſæcula minimè abhor-
ruerunt,oculos; ineamus rectè, &
præclarè factorum rationem;cum-
que, infinita propemodum magni
ficè,& excellenter geſta huius ope
Sapientiæ ,compererimus, quàm
ſit illa mortalibus vtilis,liquidò ap-
parebit. Ad ſæuientium impetus
malorum conſtantem,& immobi-
lem permanere; acerbiſsimos vitæ
caſus æquo animo tolerare; nō tur-
bari grauibus moleſtijs, non angi
improborum minis,& impotentia

non terreri; poſitis ante oculos diſcriminibus, & periculis non affici; ad carnificinam, tormenta, necem, non exhorreſcere: non pœnarum metu, non præmiorum ſpe à recta ſententia diſcedere; non adulari, aut fracto animo, atque humili alicui ſupplicare; in vna denique virtute curas omnes, & ſtudia, ac præſidia vitæ collocare, Philoſophorum inſtituta ſunt, & præcepta. Deum eſſe, quod impuri homines, & nefarij, doctrinæ etiam opinione ſeſe venditantes, negauerunt: ſumma eius prouidētia minimas quaſque, nedum maximas, res in immenſa mundi fabrica, & vita hominū vniuerſa,

uersa, gubernari; adhærendum eidem perpetuò esse, nihilque adeò procurandum, quàm vt illius obtemperetur præceptis, eorundem fuit sapientum disciplina. Quid de officijs vniuersis, de moderatione humanarum actionum, de Continentia, de Temperantia, quid de Iustitia dicam, ac Religione? Quid de animi magnitudine, de charitate patriæ recensebo? Haud certè vllus est, qui iure aliquo posit ire infitias, hãc Philosophiã & publicis & priuatis rebus ita cõsuluisse, vt ad omnia vitæ momenta perfugium, ac solatium hominibus præbuerit. Quòd si illa, sine lumine Diuinita-

tis,

tis,tam multa excogitauit,tam mul ta tradidit, quæ ad pacatè, tranquillèque viuendum, & vitæ acerbitates modicè tolerandas, ac vitã rectè inſtituendã maximè conducunt: cùm hæc famula melioris, & præſtantioris illius Diuinæ Philoſophiæ ſit, magno ſanè argumento eſt, quàm ſint firma, quàmque ſolida ea adiumenta, quæ & ad omne perturbationum genus infractis animis perferendum, & ad cultum veræ Maieſtatis cunctis rebus anteponendum, quæ vnica via eſt ad ſempiternam felicitatem capeſſendam, à Diuina Religionis noſtræ Philoſophia mortalibus proponun-

ponuntur. Hinc, Princeps Clarissime, magno olim, & excellenti ingenio viri, cùm se literarum studijs penitus dedissent, quidquid temporis, quidquid laboris poterat impendi, contemptis omnibus, ad veræ sapientiæ studium auidè contulerunt: existimantes multo esse præclarius, Diuinarũ, humanarumque rerum inuestigare, ac scire rationẽ, quàm aut struẽdis opibus; aut cumulandis honoribus inhærere. quibus rebus, quoniam fragiles, terrenæque sunt, & ad soliùs corporis pertinent cultũ, nemo melior, nemo iustior effici potest. Quoniam tamen veritas,

id eſt, arcanum ſummi Dei, ingenio, ac proprijs non poteſt ſenſibus comprehendi, id quod veteres illi ethnici ſapientes tantopere concupierunt, nunquam perfectè adepti ſunt. Quod ergo per ſeipſum homo aſſequi non potuit, diuinæ Philoſophiæ notionem, munus ſuum fecit Deus: hominem lumen ſapientiæ requirētem diutius oberrare, ac per tenebras inextricabiles vagari non eſt paſſus, quin erranti, & vago viam illius cō ſequendæ oſtenderit. Quo cæleſti beneficio, ac munere, quoniam multi non vtuntur impia ſapiunt: quo nihil iniquius. Cùm enim obuolu-

uoluta in obſcuro veritas lateat, nõ ad Propheticas voces, non ad Apoſtolicas literas, non ad Euangelicā doctrinam, non ad ſapientiſſimos illos Heroes noſtros, non ad eos, qui, horum imbuti præceptis, & inſtitutis, veritatis cognitionē conſequuti, eam poſteris tradiderunt (quæ via aſſequendæ ſapiētiæ eſt) ſed ad ſemetipſos recurrerunt: & ideò erroris magiſtri exiſtunt, qui veritatis diſcipuli eſſe contempſerunt. Non enim ad veram ſapientiam peruenire poſſunt, qui falſa ſuæ ſapientiæ fiducia decipiuntur. Vnde magnus ille Gregorius, & ſapientia, & ſanctitate, & ſummo Chri-

Greg. l. 13. Moral.
27. Moral.

Christianæ Reipub. Principatu clarissimus, maxima cura prouidẽdum esse docuit, ne accepta sapiẽtia, cùm ignorantiæ tenebras illuminat, lumen submissionis tollat; & iam sapientia esse desinat; quæ, etsi locutionis virtute fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obscurat. Hic sanè omnium errorum fons, hæc impiorum omnium dogmatum scaturigo, hæc malorum, quibus Christiana Respub. quatitur, radix est. Hinc illa opinionum, & sententiarum portenta: hinc vana illa, de Dei Præscientia, & Prouidentia; de Iustificatione, de Sacramentis; deque a-

lijs

lijs Religionis nostræ mysterijs, doctrina, quam Lutherus, & eius asseclæ, temerè in vulgus sparserunt. Hinc Principum, & Magistratuũ Ecclesiasticorum cõtemptus, quo tã multæ, præclarissimè aliàs, Respublicæ, & Prouinciæ turbatæ iacent, & confectæ. An ita grauiter laboranti Catholicæ Politiæ succurrendum non est? Succurrendum profectò est, & summoperè enitendum, vt & docti ad veram sapientiam inflammentur, & indocti ad veram Religionem dirigantur. Quod quidem cùm, vt plurimis prodessem, omni ope, & opera, eniterer, eam præstantissimam

ratio-

rationem aſſequendæ veritatis eſ-
ſe exiſtimaui, elationem omninò
ab animo expellere, & in captiui-
2.Cor.10. tatem redigere (quod Paulus do-
cet) omnem intellectum in obſe-
quium Chriſti. Puto enim mul-
tos ad ſapientiam potuiſſe perue-
nire, niſi putaſſent ſe perueniſſe.
Orat. 27. ἐπειδὴ ῥᾶστον ἑαυτὸν ἀπατᾶν, καὶ οἴεσθαι εἶναί τι, οὐδὲν
ὄντα, ὑπὸ τῆς κενῆς δόξης φυσώμενον. Quando-
quidem (inquit doctiſſimus Gre-
gorius Nazianzenus) nihil facilius
eſt, quàm vt ſeipſum quis fallat; ac
ſe aliquid eſſe putet, cùm nihil ſit,
inani videlicet opinione deceptus.
Quamobrem cùm primum huic
operi manum admouere decreui,
illum

illum mihi ſcopum propoſui, ex ſacris monumentis educere, Chriſti Eccleſiæ vocē in legitimis Præpoſitis religioſè audiendam, & nō vt merè humanam, ſed ſuo modo Diuinam, ſuſpiciendam eſſe. Niſi enim hoc iacto fundamento, fruſtra de ſubtiliſſimis, & difficillimis alijs Religionis noſtræ dogmatibus ſermo haberetur. Hùc decem illi, quos de vera Chriſti Eccleſia edidi, huc ſex iſti, quos de optimo Reipub. ſtatu inſcripſi, ſpectant libri. Quos cùm ego, in duos Tomos diſtributos in lucem emittā, hunc, in quo de Magiſtratibus copioſè agitur, ſub Tui nominis patroci-

troci-

trocinio; Clarissime Princeps, iustissimis de causis diuulgandum censui. Quarum certè non illa infima censenda est, quòd externam Philosophiã, Philosophiæ nostræ, vt ei deseruiat, coniungendam esse duxi. cùm præcipuè euenire expertus sim, imbecillã humanarum vim mentium, quanquam in sublimibus illis, & Diuinis institutis, ad expellẽdas omnes ignorationis tenebras, remedia cõperiat, ad altissimorum tamen cælestium documentorũ splendorem velut trepidare; & cæcutire: corporeque, & corporis demersã pondere, familiarius aliquid, & humanius, minimè-

nimèque à quotidianis, & familiaribus rebus ſeiunctum concupiſcere, quo ad Diuina illa, & altiora, tanquam manu, ducatur. Nec me latet eſſe quàm multos, quibus hæc philoſophandi ratio non placet: at quum placuerit Heroibus noſtris, potiſſimum tamen Græcis Patribus, quorum inſtar omnium vnum Clementem Alexandrinũ præ manibus habemus, qui ita Platonicam Chriſtianæ adiunxit ſapientiæ, vt illam quidem huius miniſtram, & ancillam eſſe, haud tamen ab ea abhorrere ſæpè oſtenderit, nihil reſtat quod quæramus: quanquã illud in promptu ſit, diſ-

plicuisse nunquam eruditissimis viris; ignaris verò & inscijs hominibus placere non solum non optandum esse, verum etiam fugiendũ: præclaris autem, & excellentibus vsu semper rebus venisse, vt non nisi paucis probarentur, pauci omninò cùm sint, quibus posint res præclaræ atque debeant cõprobari. His ergo, licet paucis, cùm satisfacere optauerim, & id in hoc opere pro viribus ita præstare studuerim, vt, quæ ad Reipublicæ nostræ perfectionem, atque ad Magistratuum in ea institutionem, ex Diuinis oraculis hausta, & Sanctorum Patrum lucubrationibus apprimè illu-

illuſtrata, ad hæreſeon extirpationem, apta collegeram, priſcos illos ſapientes, in quauis Politia neceſſaria eſſe, aliquo modo conſequutos fuiſſe, eorum ſententijs comprobarim: Cui alteri æquiori iure illud deberi iudicarem, quàm Tibi, qui in alma Maceratenſi Academia, tunc quidem præclariſsima, cùm illam & præſentia, & ſapientia tua cohoneſtabas, humanam Philoſophiam ita profeſſus es, vt, cùm priſcorum Philoſophorum inſtituta optimè noſſes; & ſuorum dogmatum peritiſsimus eſſes, externorum hominum Philoſophiam Chriſtianis inſtitu-

tis, pietatique adiungeres, & quæ vtriusque Philosophiæ sunt præceptis consignata, non inanitate verborum, sed ipsius exprimeres ratione vitæ, & repræsentares? Accedit, abs Te in me ea fuisse collata beneficia, cùm primum Augustinianæ Religionis gubernacula suscepisti, vt nisi Tui nominis studiosissimus existerem, ingratus omninò essem. Iam verò quàm præclarè in ea prouincia sustinenda, & munere obeundo Te gesseris, quanta cum prudentia, quàm singulari virtutum omnium laude, quàm eximio & Christiani, & Augustiniani instituti studio, versatus

fue-

fueris, extat locuples Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici teſtimonium. Comperta enim ſingulari animi Tui integritate: & quàm exactam, in præmiorum, & pœnarum diſtributione, meritorum rationem haberes(quibus duabus rebus Solon, Rempub. contineri, dixit) hac de re ad Sixtum V. Sũmum Pontificem propria manu ſcripſit. Quod cùm, vt par erat, Pontifex ipſe magni feciſſet, teſtatum id omnibus eſſe voluit. Ideoque in ijs literis, quas ad Te Cardinalicio honore cohoneſtatũ dedit, præcipuè notandum duxit. Eæ autem, magna Tui laude, qui

ſum-

ſummorũ, maximorumque Principum grauiſſimo teſtimonio maximè laudareris, in magno Florentiæ Theatro, Magno Ferdinando, & Magno Duce, & inter Duces verè Magno, non ſine omnium, qui aſtabant, lectæ fuerunt. Te autem Sacro Cardinalium Senatui vigilantiſsimus Pontifex adſcripſit, non tã vt Auguſtinianæ Religioni (quam Te ſingulari prudentia, & dexteritate adminiſtraſſe cognouerat) gratificaretur, & quàm in illã eſſet propenſus, ſignificaret, (quod tamẽ ſatis ſuperque cõprobauit) quàm quòd in turbulẽtiſſimis temporibus, ſibi Tuo cõ-

ſilio

ſilio & opera opus eſſe iudicauerit. Qui cùm Te ſummis honoribus affecto in rebus grauiſsimis vſus fuerit, plurima etiam in Te eximij amoris argumenta dederit, beneuolentiæ ſtudia, & liberalitatis munera oſtenderit: in his omnibus tantam erga illius SANCTITATEM fidem, tam ſingularē amoris vim, & incredibilem animi moderationem oſtendiſti, vt nemo, ſine maxima temeritatis nota, vel prudentiſsimi, & ſumma religione præditi Principis in Te cōmendando, vel ſapientiſsimi Præſulis in deligendo ſibi conſiliario, iudicium improbare potuerit. Nihil

equi-

equidem in Tuis functionibus vnquam humile, nihil abiectum vnquam hæsisse, aut obscurum: contra ampla omnia, & eximia enituisse, optimè perspexit Pontifex ille, cuius animi celsitudinem, & in rebus agendis prudentiam, atque in gubernanda Petri nauicula sapientiam vniuersus Orbis admirabatur, & in dies magis, ac magis laudare nō desinit. An igitur, vel vnius duntaxat SIXTI V. locupletissimum testimonium non sufficiet ostendere, & maioribus quasi theatris proponere, Tibi, cui sēper sūmæ curæ fuit, vt in omni vita rectum & honestum elucesceret, dignita-

gnitatis amplitudinem, ob præcla-
ram prouinciæ, quam ſuſceperas,
adminiſtrationem, & ampla, atque
illuſtria merita tua, tanquam iure
debitam obtigiſſe? Oſtendit abun
dè: quippe cùm, ad voluntatem
addita authoritate, præſtiteris,
quod minimè dubijs indicijs futu-
rum Sanctiſſimus Pontifex polli-
cebatur: vt ſi exemplar Tuarum
maximarum virtutum poſteri ſibi
propoſuerint, vt nos modo ex tuo
pectore expreſſam quandam ideã
intueri videmur, ſic illis olim exi-
miam imaginem ſuſpicere liceat,
vt non minorem ex ea voluptatẽ,
quam fructum percipere poſsint;

quem nobis nunc ſuppeditat præclara naturæ Tuæ indoles, tribuit doctrina, ſuggerit conſuetudo, auget benè agendi perpetuitas. Quibus omnibus & illud lubet elogiũ adiungere, quòd, cùm ſumma benignitate polleas, illa in nomine Tuo non hæſit macula, quæ multorum dignitatem inficit, vt Te gradus honoris immutarit. Idem es, qui ſemper fuiſti, lenis, comis, humanus, benignus. Nemo Tuo ſermone, aut cõgreſſu excluditur; faciles ad Te aditus omnibus patent; Tuam humanitatem ita omnibus impertis, planè vt ætate noſtra docueris, falſum eſſe inſolen-

tiam

tiam dignitatis esse sociam, comitem secundarum rerum arrogantiam: sed contra, posse simul in vno homine, & honores, atque dignitates; & moderationem, humanitatem, omnemque virtutem sua obire munia. Tibi, igitur, Cardinalis Amplissime, hoc opus iure optimo deberi quis neget? Sanè cùm ab eo elaboratum sit, quem Tu beneficijs, & honoribus affecisti: & optimi Magistratus rationem, de qua potissimum in eo differitur, pectori Tuo infixam retineas, & ea philosophandi ratione, quam sequuti sumus, maximè delecteris; ac denique Augustinianæ Reipu-

blicæ Tuæ decus ſis, & ornamentum; nemo, illud Tibi deberi, merito inficiari poterit. Non eſt autem cur dubitare debeam, an illud ſis benignè ſuſcepturus: præterquam enim quòd literatorum omnium Te patronum, atque fautorem ſemper exhibuiſti, &, quaſi ex pacto, conſtituiſti, quando in cœnobijs Politiæ Auguſtinianæ Bibliothecas extrui, & collapſas inſtaurari ſumma quadam auiditate curaſti; eximia laus Principum virorum eſt, otij ſe patronos eſſe, & haberi; vt alienum à ſua dignitate minimè cenſere debeant, quodcunque ſcripti genus ſuo patroci-

nio

nio cohoneſtare: vt enim ad vitæ cultum in ipſis magnum præſidiũ exiſtit; ſic ad ingenij fructum adiumenti plurimum collocatum eſt. Tibi igitur cùm hoc opus maximè debeatur, quale quale illud ſit, vt Tuo nomine in lucem prodeat patere, noſtrumque ſtudium, vt ſoles, amplectere. Vale. Ex Tuo Cœnobio Auguſtiniano vij. Id. Iunij. M. D. XCVII.

ILL.^{mæ} & R.^{mæ} D.T.

Addictiſsimus

Fr. Gregorius Nunnius Coronel.

ΠΕΡΙΟΚΑΙ CAPITVM
Libri Quarti
DE OPTIMO REIPVBLICAE STATV.

CAPVT PRIMVM.

OMNIVM maximè hominibus perniciosam esse anarchiam, salutarem autẽ Principatus ordinem: quæ Magistratibus præcepta obseruanda: qui etiam Ciuitatibus præficiendi: vtque, vt non facilè mutandi, hoc capite edocetur.

CAP. II.

PRæter summum Præsidem alios inferiores Præfectos, quos Magistratus dicimus, in populo Dei, tam sub

lege

lege Naturæ, quàm ſub veteri Teſtamento, diuino cõſilio fuiſſe inſtitutos, traditur. Quantam illi vtilitatem Reipub. adferant; quorum prudentia, & pietate, tanquam fortiſſimis mœnijs propugnatur: vtque eis deſideratis in interitum ruat, ex diuinis oraculis oſtenditur.

CAP. III.

HOc ipſum, vt à Chriſto in Repub. ſua apprimè inſtitutum fuerit, declaratur, in qua Epiſcopalem creauit dignitatem: huius amplitudo, vt in Epiſcopi inauguratione emineat; & Apoſtoli à Chriſto ſuam ſuſceperint iuriſdictionem immediatè, comprobatur.

CAP. IV.

EPiſcopalis authoritas bipartita, vna ordinis, altera iuriſdictionis: illa immediatè eſt à Deo, & hæc etiam in genere, non tamen in ſpecie; ſic enim à Summo Pontifice immediatè fluit: quod eius dignitati minimè derogare oſtenditur.

CAP. V.

EPiſcopis legitima authoritas eſt condendi veras leges, quibus populi illis ſubiecti omninò parere teneantur: Brentij impietas patefit, &, efficaciſſimis rationibus, execrabilis demonſtratur. Maximorum donorum, quę ab Spiritu ſancto conferenda eránt Apoſtolis, duo potiſſimum capita declarantur, quibus cæterorum ſumma continetur.

CAP. VI.

AB Orbe condito Chriſtianæ Reipub. ſemper aduerſam extitiſſe Babylonem à Cacodæmone fundatam: Hũc, per hæreticos ſuos adminiſtros, quos Spiritus ſanctus ad vnitatem adducit, diſpergere, nunquam non intenten-

tentasse: quam quidem distractionem heroes nostros summopere cauendam, è re Christiana existimauisse, breuiter ostendimus.

Hinc, Romani Pontificis opera, vnum in locum Episcopi coacti Synodos celebrare cõsueuerunt: qui item ad eas iure vocandi, in hoc capite aperitur.

CAP. VII.

QVæstionem de obseruatione legalium, ab Apostolis, fuisse definitam: qui etiam Præsbyteri nomine intelligendi, accuratè traditur: Et Hieronymi sententia hac de re, ab omni erroris suspitione vendicatur: atque inter Episcopos, & Præsbyteros latum discrimen constituitur: Præsbyteri deinde, & Seniores, cur ad Cõcilium Hierosolymitanum, & ad Oecumenica alia Concilia accesserint: Ac tandem solos Episcopos Iudices in Concilijs sedere, ex muneris sui ratione: Cardinales verò, Cœnobiarchas, & Abbates, ex priuilegio; edocetur.

CAP. VIII.

ALberti Pighij opinio: necnon Lutheri, & Magdeburgensium temeritas, multis & Sacræ Paginæ testimonijs, & efficacibus rationibus redarguitur; & eorum argumentis respondetur.

CAP. IX.

ECclesiasticos Principes Regibus longè eminentiores; illorum, non terrenorum Magnatum, munus esse, Ecclesiam regere & moderari, contra nostri temporis hæreticos probatur. Et Augustini hac de re sententia, qua illi vtuntur, diligenter expenditur, & declaratur: atque tandem, quid prodigia illa, quæ, Augusto Romam ingrediente, visa sunt, significarint, breuiter elucidatur.

Idem

CAP. X.

IDem ex Paulo luculenter deducitur, & eius apertissimis sententijs confirmatur. Heroeis nostros, in Episcoporum cætibus legitima authoritate coactis, Fidei quasi præsidia collocasse: Ortam hæresim, primùm, intra proprios limites, Episcopos sedare: nisi sopiretur protinus, suæ, vel alterius Prouinciæ Pastores literis admonere consueuisse: illud tandem vni cum semper adhibitum fuisse remedium periclitanti Reip. vt vniuersi Episcopi in vnum coirent, vt verita s Christiana elucidaretur, demonstramus.

CAP. XI.

COnciliorum Ecclesiasticorum quatuor genera: Alberti Pighij de eorum origine, & authoritate vanam opinionem, communi omnium priscorum Patrum iudicio, apertissimisque oraculis sacris aduersari: Earum denique originem, non humanam, sed diuinam in veteri Synagoga adumbratam: quanta etiã, quàm sacrosancta polleant authoritate, haud obscurè insinuatur.

CAP. XII.

ECclesiasticorum Conciliorum rationem, formam, originem, & authoritatem supernaturalem, & diuinitus traditam, ex discrimine, quo Ciuilis Magistratus, ab Ecclesiastico differt, asseritur. Illa non tam ab Apostolis, quàm ab ipso Christo originem duxisse, ex diuinis Scripturis edocetur. Et ibi quæ fuerit Dionysij Areopag. opinio de sortibus Barnabæ, & Matthiæ datis: Cui etiam ministerio Diaconi ab Apostolis pręfecti fuerint: Ac tandem vanam omninò esse Pighij sententiam, demonstratur.

In

CAP. XII.

IN Concilijs Epiſcopos, Iudices ſedere, deque cauſis omnibus ad Fidem, & mores ſpectantibus definire: Saluatoris ſententiam illam; *Si Eccleſiam non audierit, &c.* de Præpoſitis Eccleſiæ intelligendam: Et hac de re Pighij opinionem haud firmam eſſe, probatur. Atque Gregorij Nazianzeni ſententia explicatur.

ΠΕΡΙΟΚΑΙ CAPITVM Libri Quinti

DE OPTIMO REIPVBLICAE STATV.

CAPVT PRIMVM.

NON Imperatorum, ſed Summorum Pontificum eſſe, Oecumenica Concilia indicere, celebrare, atque Religionis cauſas finire, ex veterum monumentis oſtenditur.

CAP. II.

MOderandi Concilia nunquam pij Imperatores ius ſibi eſſe, vel factis, vel verbis, aſſeruerunt: ſed, illud omne Romanis Pontificibus eſſe, ſponte ſua ſemper

faſſi ſunt: Idque ex primis octo generalibus Synodis luculenter oſtenditur. Cur etiam Romani Pontifices Synodis, in Orientis Solis partibus collectis, non, niſi per Legatos ſuos præeſſe voluerint, aperitur: &, quæ verè ſeptima Synodus habenda, enucleatur.

CAP. III.

QVæ dicantur Generalia Concilia: & vt in definiendis ijs, quæ ad Fidem, & Religionem noſtram maximè pertinent, ſi illis Romani Pontificis accedat authoritas, à vero non poſſint aberrare.

CAP. IV.

HVius Theſis veritas ex Diuinis, primùm, Scripturis, luculenter probatur.

CAP. V.

NOn minus certam, & firmam à Concilijs Generalibus morum doctrinam præſcribi, quàm Fidei regulam, ex diuinis oraculis euincitur. Quibus etiam medijs cælitus à Chriſto ſibi prouiſis innitantur Patres, cùm ad definiendum, vel præſcribendum, quid credere, & operari opus ſit, efficaciter traditur.

CAP. VI.

AD Fidei regulam Symbolum Fidei potiſſimum ſpectat: quod in Concilijs, tanquam baſis Eccleſiaſticæ ſtructuræ iam olim recitari conſueuit. Quæ etiam Apoſtoli, tanquam in ærarium publicum, in Eccleſiam conſulerunt, Patribus ita ſacroſancta ſunt, vt illis, tanquam diuinis ſubſidijs, fulti ad definiēda Fidei dogmata accedant.

CAP. VII.

PAtrum authoritate, vt Epiſcopi in Concilijs, inſtar tutiſſimi cuiuſdam præſidij, vtantur: & quantum roboris

boris, ad dirimendas Fidei lites habeat, vetustissimorũ & sanctissimorum Virorum testimonijs elucidatur, & ante omnium oculos proponitur.

CAP. VIII.

OEcumenica Concilia, quæ Romanos Pontifices præsentes habeant, vel eorum sententia, per Legatos exposita, illustrata sint, & authoritate ritè gubernata, prę aliis, quæ, in consultis Summis Pontificibus, ad Fidei dogmata definienda accedant, vel ab illorum sententia, reluctantibus Legatis discedant, vel, annuentibus quidem Legatis, contra instructionem tamen ab Apostolica Sede sibi traditam, agant, longè excellere.

CAP. IX.

IDem amplius declaratur; & rationibus contrariæ opinionis respondetur: atque quanti semper veteres curauerint, vt Synodorum Oecumenicarum decreta à Sũmis Pontificibus confirmarentur: & an Pontifex necessariò debeat maiori Concilij parti adhærere, facilè explicatur.

ΠΕΡΙΟ-

ΠΕΡΙΟΚΑΙ CAPITVM Libri Sexti

DE OPTIMO REIPVBLICAE STATV.

CAPVT PRIMVM.

PARTICVLARE Concilium, vt efficax remedium, nonnunquam ad errorum extirpationem, Ecclesia cogi, pro vt res postulauit, quàm diligentissimè curauit: Quale illius iudicium de rebus Fidei, & quanta polleat authoritate, discutitur, ac tandem hæretici veluti proprijs coloribus depinguntur.

CAP. II.

QVid Esaias, Oseas, Hieremias, & Ezechiel, significare voluerint, quoties ipsi Prophetas, & Sacerdotes,

tes, non improbitatis modo, ſed ignorantiæ etiam, & erroris arguunt.

CAP. III.

QVid diſcriminis ſit inter Apoſtolos, & ſuccedentem Eccleſiam, & quid potiſſimum illorum ſucceſſoribus, ex muneris ſui ratione incumbat, explanatur: Atque vt Chriſtus in Repub. ſua, non ſcientiæ, ſed Fidei ſcholam fundauerit.

CAP. IIII.

NOn fuiſſe à Catholica doctrina alienam, Auguſtini ſententiam, qua aduerſarij perſuadere nituntur, illum aduerſus Maximinum Arianum, contempta Nicæni Concilij authoritate, ad Scripturam Sacram prouocaſſe. Quid etiam intellexerit Sanctiſsimus Doctor, cùm dixit, priora Concilia poſterioribus emendari, expenditur: Et argumento ſumpto à Concilij illius ſententia, qua Chriſtus, Dei Filius fuit damnatus, reſpondetur.

CAP. V.

COncilium Hieroſolymitanum, à Lutheri calumnia vindicatur, & execrabilis hominis impietas patefit: atque Concilij decretũ accuratè explanatur. Quàm etiam ſtolidè nobis Neocæſarienſe Concilium objiciãt, aduerſari, quaſi in eo ſecũdæ nuptiæ prohibitæ fuerint, proponitur.

CAP. VI.

DEcreti Nicæni Concilij (quo ad Sacerdotium inhabiles redduntur, qui ſe caſtrauerunt; & Sacerdotes prohibentur vxores ducere) æquitas, & pietas contra Lutherum & eius aſſeclas demonſtratur. Vbi de voto caſtitatis, & continentiæ nonnulla, ad rem noſtrã ac-

com-

commodata, ex veterum monumentis, & diuinis oraculis deprompta, videre licet.

CAP. VII.

PAulianistæ, & Cataphrygi, cur ad Ecclesiam Catholicam sese recipientes, iterum baptizari, Nicæni Cōcilij præscripto iubebantur. Vbi qui illi fuerint, & qualis eorum impietas, ex Patribus educitur. Nec etiā Nicænos Patres militiam damnauisse, sed cingulum semel abiectum iterum ambientibus, quòd signum esset manifestæ idololatriæ, pœnitentiam iniungi æquè præcepisse. Concilij etiam Constantinopolitani decretum, quo Primatus Romano Pontifici defertur, ab Hermani calumnia liberatur.

CAP. VIII.

COnstantinopolitani Concilij decretum, quo contra Nicænam sanctionem primus, post Romanam, Sedi Constantinopolitanæ locus conceditur, omninò supposititium: quòd cùm rursus in Chalcedonensi Concilio absentibus primùm Sedis Apostolicæ Legatis, & eisdem postea reclamantibus, conditum fuerit, nullum inde ad eneruandam Sacrorum Conciliorum authoritatem desumi posse argumentum, multis demonstratur.

CAP. IX.

PRo confessione Berengarij Romæ in Concilio, coram Sum. Pontifice edita, in aciem dimicationemque venitur. Vbi aliqua ad veram & realem existentiā corporis Christi in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, comprobandam, summa diligentia ex Patribus collecta habentur.

CAP. X.

INanes esse rationes omnes, quibus Caluinus, & eius discipuli persuadere conantur Tridentinum Concilium,

non

non debere inter Oecumenicas Synodos adnumerari, apertissimè comprobatur, ex iuris æquitate, & praxi, quam semper Ecclesiastici Præsules obseruarunt.

CAP. XI.

TRidentinos Patres rectissimè, iuxta Dei verbum, tam scriptum, quàm non scriptum, omnia, quæ ad Fidem, & Religionem spectare videbantur, definiuisse. Nec hæreticos Concilium exoptare, sed id callidè, cùm sint vafri ingenij, fingere, quo Principibus, & Ecclesiæ illudant: Hanc verò, & ijs præstigijs, & apertis etiã insectationibus illustriorem in dies magis ac magis; obscuriores verò hæreticos reddi, lectori contuendum obijcitur.

CAP. XII.

ECclesia, cur castra Dei viuentis, acies instructa, nauis, insula dicatur, alijsque nominibus insigniatur: vt que aduersus hostes suos fortissimos viros, qui se viriliter propugnarent, in omni ætate, atque hoc etiam nostro sæculo, in aciem produxerit: semperque, victis, prostratisque hostibus, inuicta permanserit.

CAP. XIII.

EST, veluti epilogus trium librorum, & oratio ad excitandos, & commouendos hæreticorum animos, vt veritati cedant, & exemplo inuictissimi Henrici, nunc Galliæ Regis Christianissimi, ad Ecclesiam Catholicã tandem redeant, & nobiscum Sempiterni Parentis, Dei nostri, hæreditatem adeant.

Ec-

Eccleſiaſtic. Cap. VII.

NOLI quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere in iniquitates: ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.

Ecclesiastic. Cap. X.

IVDEX sapiens iudicabit populum suum, & Principatus sensati stabilis erit. Secundum Iudicem populi, sic & ministri eius; & qualis Rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.

ARGVMENTVM
LIBRI QVARTI.

DE ijs omnibus, quæ ad decorem, amplitudinem, & perfectionẽ Christianæ Reipub. potissimùm spectant: vtque illi Christus Dei filius unum præfecit Principem summũ, qui in terra vices suas gerit, Romanum Pontificem Petri successorem, Spiritus Sancti præsidio ad Fidei, & Religionis nostræ causas iudicandas, & lites omnes dirimendas, moresque componendos munitum: & ad Politiæ suæ statum moderandum authoritate maxima præditum, hactenus, vt res tulit, pertractauimus, & aduersariorum dogmata perstrinximus: nõ eo tamen verborum fuco, & lenocinijs, quibus ij doctrinam suam, vel potius deliria, in vulgus prodere iam olim consueuerunt. Veritas siquidem, inquit Orator, sine dubio in omni re vincit imitationem: neque illa vllis orationis floribus condecorari vult, neque velis tegi, sed

nuda

nuda cupit apparere, vt pulchritudine, quæ prædita est maximè, homines ad se diligendum potiùs alliceat, quàm lenocinijs sermonis pelliceat. Præclarè enim Manilius, quod in ore prudentum versatur, de ea inquit:

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

Superest iam, vt de Magistratibus alijs, quos idem Dominus, & Legislator noster Christus in hac Repub. sua instituit, deinceps agamus: demonstremusque quanta illi tàm ad condendas leges, quàm ad alia iudicia Ecclesiastica exercenda potestate polleant, quodue sit proprium illorum munus, & quò se illorum authoritas extendat: sic enim fiet, vt nemo iure dubitare possit, esse Christi Rempub. omnibus suis partibus absolutam: nullamque aliam in terris reperiri, quæ cum ea æquè comparari possit. In quo quidem argumento pertractando peritissimos imitabimur pictores: qui dum ingentia concertantium prælia exiguæ tabellulæ spatio complecti non valent, modo hic armatorum galeas, coruscantesq. enses, illic spumantia equorum ora, flexasque vngulas, & quasi tubarum strepitus oculis offerunt intuendos, reliqua prudenti iudicio, & ingenij acrimoniæ supplenda dimittunt, satisque se inspectantium voluptati

Manil de reb. Astron.

fecisse

fecisse arbitrantur. Cùm enim rei de qua agitur magnitudo ipsa minimè patiatur, vt omnia distinctè, & sigillatim differantur, satis nos fecisse existimabimus, si vniuersali quodam sermone, quasi properatum, pleniore aliàs (si Dominus dederit) compositione perficiendum, rescindamus opusculum. Omnium ergò maximè hominibus perniciosam esse anarchiam, salutarem autem Principatus ordinem, tanquam in speculo, in hoc quarto libro inspiciendum ante omnium oculos proponimus. Atque hinc veteres legumlatores prudentißimè, præter vnum supremum Principem (cuius curæ omnium salus commissa esse debet) inferiores quosdam Magistratus, qui communem pacem & æquitatem diligentißimè curarent, in quauis benè instituta Repub. constitui oportere, sanciuisse ostendimus. Quales verò è Reipub. corpore sint ad hoc munus assumendi, quæ illis præcepta obseruanda, vtque præstet, non facilè Præfecturas mutare, apertè tradimus. Quæ omnia, vt optimo cuiusque Reipub. statui apprimè necessaria, diuino instinctu, tàm sub veteri, quàm sub nouo testamento, fuisse in populo Dei instituta, ex diuinis oraculis efficaciter probamus. Nam, ut septuaginta seniores olim, qui cũ Mo-

se

ſe populum gubernarent, creati ſunt: ita ſub lege Euangelica Epiſcopalem dignitatem, nè Petrus, eiuſque ſucceſſores ſoli grauarentur, diuinitùs inſtitutam fuiſſe edocemus. Hanc porrò bipartitam eſſe, vnam quidem Ordinis, Iuriſdictionis alteram, & vtramque à Deo (quamuis hæc, non quidem in genere, ſed in ſpecie, vt Iuriſprudentes loquuntur, directè à ſede Apoſtolica fluit) ortum ducere: Ita quidem vt, (licet ſine maximæ impietatis, vel ſummæ inſcitiæ nota poßit nemò inficias ire Apoſtolos omnem, qua præditi fuerunt, authoritatem in orbem vniuerſum immediatè à Chriſto accepiſſe) Epiſcopi à Romano Pontifice in ciuitates, vel Prouincias, quibus præficiuntur, poteſtatem accipiant. Atque hac Epiſcopalis dignitatis amplitudine Romanæ Cathedræ celſitudinem amplificari et augeri potiùs quàm imminui, liquidò demonſtramus. Quoniam verò quò ſe illa extendat nullibi magis, quàm in Oecumenicis Concilijs eminet, de illorum Origine, vſu, & authoritate nouam aggredimur diſputationẽ.

Itaque, quemadmodum hæretici tanquam rabidi & voraces lupi Dominici gregis diſperſionem moliri nunquam non ſoliti ſunt, ita Spiritus Sanctus more eximij paſtoris ad verum

iter

iter oues huc atque illuc aberrantes reducere conſueuit. Cuius certè afflatu Reipub. Chriſtianæ grauiter laboranti præſentaneum remedium adhibendum ſanctiſsimi heroes ſemper exiſtimarunt, Epiſcopos authoritate Summi Pontificis (non plebem, aut ciuiles Magiſtratus) coire, (cui conuentui, non abs re nomen Concilij inditum eſt) ut cauſam propoſitam diſcuterent, & de ijs, de quibus ſinguli ſententiam ferre nõ valerent, diuini Numinis afflatu corroborati ſimul omnes iudicarent. Quid etiam & quotuplex ſit Concilium in hoc libro non obſcurè declaratur.

F. GRE-

F. GREGORII NVNNII CORONEL

ORDINIS EREMITARVM S. AVGVSTINI,

De optimo Reipublicæ ſtatu,

LIBER QVARTVS.

ORDINEM quendam & rationem in nonnullis animantibus ineſſe, & nos minimè latet, & quibuſcunque libuerit promptum eſt cognoſcere, tum ex ijs, quæ de illorum natura ſcripſerunt Philoſophi, tum ex Magni Baſilij in Hexamerum narratione: in qua, mirabilem etiã apud aliquos piſces, & cum pulchro ordine coniunctam diſciplinam conſpici, haud obſcurè oſtendit: ſed præſertim in pennigeris & aereis id facilè quempiam contueri CAP. I.

poſſe multis comprobat. Horum enim, cùm quædam Principe careant, ac veluti ſuis legibus viuant, quædam ſub ducibus cenſentur. Nam grues, nemo eſt qui neſciat, nocturnas vigilias alternis vicibus ſuſcipere: ſic quidem, vt, dum aliæ dormiunt, aliæ in orbem circumeuntes tutiſsimum illis ſomnum præſtent. Nec ibi ſolùm, verùm etiam in volatu hanc exactiſsimè obſeruari diſciplinam cernes. Alia namque aliàs ducis munus ſuſcipit, quod poſteà, cùm certo temporis ſpatio in uolatu præierit, retrò tranſiens, ſequenti tradit. Apum verò (quod maiori dignum admiratione videtur) commune domicilium eſt, communis etiam volatus, opus item omnium vnum: quodque maximum exiſtimatur, ſub Rege quodam, ſiue operis præfecto, opera capeſsunt: nec prius ad prata conuolare ſolent, quàm Regem initium volandi feciſſe videant. Ex quo, vt animantibus alijs ordinis pertubationem exitioſam & peſtiferam, illius verò conſeruationem vtilem eſſe: ita omnium maximè hominibus pernicioſam anarchiam, ſalutarem autem Principatus & Imperij ordinem cenſeri debere efficaciter concludimus: cùm non de vulgaribus quibuſdam rebus, ſed de grauiſſimis periculum ipſis impendere videamus, propter defectiones animorum à recta ratione, & eos, qui, niſi ſub aliquo duce contineantur, à veræ diſciplinæ norma turpiter exorbitare conſueſcunt. Qui enim eo ſunt animo, genio, & ingenio affecti, vt bonum ac ſyncerum ſanctioris vitæ genus aut temerè contemnant, aut leuiter & ignoranter omittant, eos ſanè vel Præfecti admonitum, vel Imperij metus ad rectum tramitem ſolet reuocare. Quod, paucis quidem, diſertiſſimis tamen verbis à Gregorio Nazianzeno traditum fuiſſe video: quippe qui expoſiturus cauſas, cur Epiſcopatu repudiato in Pontum fugerit, eam ſibi defugiendi huius muneris rationem extitiſſe pernegat, quòd Eccleſiaſticam Præfecturam reijciendam exiſtimaret, ſine qua mancus, & mutilus omnium futurus eſſet

Chri-

Christianæ Reipub. status, qui nunc ordine & imperio omninò continetur. *Quamobrem*, inquit ille, *nec alijs solutam atque effrenem licentiam & confusionem Ordine ac Principatu conducibiliorem esse censeo: nec ipsis hominibus. imò etiam tanto minus id conducit, quod grauioribus in rebus periclitantur: quibus magnum illud atque amplum est, si minus id, quod rationis primum est, seruent, hoc est, vt nihil peccent, at certè id, quod eo posterius est, cùm peccant emendari atque in viam reduci.* Orat. 1.

Hinc iure optimo veteres legumlatores, cùm perpendissent Principum ditiones in dies singulos magis magisque dilatari, præter supremùm Magistratum, cuius curæ omnium salus commissa esse debet, alios inferiores, vt Prouinciarum, Ciuitatum, & Oppidorum Præfectos, qui communem pacem, & æquitatem quàm diligentissimè curent, in quauis benè instituta Repub. constitui oportere prudenter iudicarũt, sanxerunt. Hoc verò à priscis illis Romanis, optimis quidem rerum æstimatoribus, cùm adhuc idolorum cultui vacarent, solo Naturæ lumine ductis obseruatum fuisse reperies. Nam primùm cùm humanæ societates, & Respub. perexiguæ essent, vni Reipub. & societati commodè præerat Princeps vnus. Vnde multi olim Reguli, Dynastæ multi, multæ Politiæ fuisse leguntur: non enim tunc temporis de inuadendis vicinis, aut dilatandis Imperij finibus Principes nimium curabant. Postquàm tamen, quotidiè negotia innouari, & Imperia dilatari, illi animaduerterunt: ab impijs etiam & vafris hominibus (iam enim ab antiqua illa animorum synceritate desciuerant) innocentes falsis criminibus circumueniri, & passim iniurijs affici, attentis animis considerarunt; vt suum quisque teneret, neque tenuiores propter humilitatem à potentioribus opprimerentur, communi saluti prouidè consulentes, in Rempub. suam multiplicem, & diuersam Magistratuum potestatem inuexerunt. Nam, cùm iuris ciuilis societas in quàm multis causis publica egeat solicitudine, & omnibus vnus, aut pauci commodè Pompon. de orig. iur. in Pandect.

commodè proſpicere non poſſint, operæ pretium fuit, ex poteſtate illa ſuprema in perſonas quaſdam, quæ eius authoritate poſſent celeriter & opportunè ſingulorũ rationibus, ſimul etiã communi vtilitati cõſulere, ſolicitudinis curæ, & cogitationis partem aliquam deriuari. Vnde Romulus, qui initio rerum Romanarum ſtatum ſolus moderabatur, multiplicato poſteà Imperio, iudicia quædã alijs permiſit. Et apud Medos, cùm vnus Demodeus, qui propter inſignẽ iuſtitiã Rex fuerat electus, ſuffecerit iuri reddundo, & manu ac poteſtate ſua directè adminiſtrauerit vniuerſa, quæ ad Rẽpub. ſpectare videbantur, dilatato Regno, plures Magiſtratus creati conſtitutiq. ſunt, quorum opera & ſolicitudine publicus ſtatus cõmodius regebatur.

Li. 1. de officijs.

Magiſtratibus autem duo Platonis præcepta accuratè & diligenter eſſe obſeruanda, tradidit Orator. Vnum quidem vt ita totum Reipub. corpus curent, vt, dum partem vnam tuentur, reliquas minimè deſerant: alterum verò, vt ſic in ciuium vtilitatem incumbant, vt, ſuorum commodorum penitus obliti, quicquid agant ad illam candidis ac ſynceris animis referant. Reipub. enim, non ſolùm tutela, ſed etiam procuratio ad vtilitatem eorum, qui commiſſi ſunt; non ad eorum quibus committitur commodum gerenda eſt. Nam ſi proprius, & potiſſimus finis Principatus eſt parentium bonum; adeò quidem, vt non modò eius, qui ſocijs & ciuibus, ſed etiam qui ſeruis, & qui multis pecudibus pręſit, ſit eorum vtilitati, commoditatique ſeruire: profectò cùm Magiſtratus partem quãddam Principatus pro ſua fide & diligentia ex voluntate Principis ſeu Reipub. gerendam ſuſcipiat, ciuitatiſque perſonam exprimat, vt, inſtar Regij cuiuſdam athletæ ad eandem cum Principe candidam metam rectà tẽdat, maximè oportet. Hanc verò eſſe ſubditorum bonum, ſecuritatem, ſalutem, tam veteres, quàm recentiores Philoſophi vno ore, vna & mente apertè docuerunt. Reipub. enim moderatori beatam ciuium vitam propoſitam eſſe,

vt

Li.5.deRep. Xenoph. in memor. Socrat.lib. 3.

vt eam opibus firmam, copijs locupletem, gloria amplam virtute honestam esse curet, dixit Cicero. Te spectas? erras. καὶ γὰρ ὁ βασιλεὺς αἱρεῖται, οὐχ ἵνα ἑαυτοῦ καλῶς ἐπιμελεῖται, ἀλλ᾽ ἵνα καὶ οἱ ἑλόμενοι διὰ τοῦτον εὖ πράττωσι; nam Rex eligitur, non vt sese moliter curet, sed vt per ipsum, ij, qui elegerunt, benè beatèque agant. Et Aristoteles, hac vna in re maximè abire Regem à Tyranno, ostendit, quòd ille subditorum, hic verò suum ipsius commodum spectet & quærat. ὁ μὲν τύραννος τὸ ἑαυτοῦ συμφέρον σκοπεῖ, ὁ δὲ βασιλεύς, τὸ τῶν ἀρχομένων; Scias igitur, inquit Seneca, quisquis nomine & dignitate Regia cohonestaris, ciuium non seruitutem tibi traditam, sed tutelam. Nec Rempub. tuam esse, sed te Reipub. Vnde præclarè Claudianus Honorium alloquens inquit:

Arist.lib.8. Polit.c. 10. Senec.de Clement.

Claud.ad Hono.

Tu ciuem patremque geras; tu consule cunctis,
Non tibi: nec tua te moueant, sed publica damna.

Tacit.lib.4. hist. Salust. Seneca cōs. ad Polyb.

Verus sanè bonusque Princeps, non ex muneris amplitudine licentiam tantùm vsurpat, nec stupris & adulterijs Principem agit; sed ad curas intentus vigilat, probè sciens, maximo Imperio maximam curam inesse. Omnium somnos sua vigilantia defendi, omnium otium suo labore propugnari, omnium delicias sua industria foueri omnium vacationē sua occupatione protegi: & ideò licere quidem sibi remissum aliquandò animum habere, nunquam solutum. Hoc verò & subditorum bono fiet, & Principis; quippe cùm illius demum magnitudo stabilis fundataque sit, quem omnes tam supra se esse, quàm pro se sciunt. Hinc, (credo equidem) Plato Magistratus ipsos viuas leges appellauit, quoniam vt optimæ leges illæ solæ censentur, quæ communem vtilitatem respiciunt; sic proculdubiò eos Magistratus nomine & dignitate omninò dignos iudicauerit, qui omnes suas curas, & cogitationes in Rempub. conferunt. Quamobrem cùm primum illum, & potissimum Principatus finem, quem sine optimis Magistatibus scriptæ leges assequi nequeūt, pro-

batissimos

batiſſimos Magiſtratus abſque ſcriptis legibus facilè conſequi poſſe mente attigerit: in excellenti illa à ſe potius excogitata, quàm re ipſa conſtituta Repub. non tam in condendis legibus, quam in formandis Magiſtratibus elaborandum ſibi eſſe putauit. Quos haud abs re cuſtodes appellauit: cuſtodum enim maximè proprium eſt omnia circunſpicere, ac tanquam ex aliqua ſpecula à longè proſpicere futuros caſus: hoc verò cùm Magiſtratuum munus eſſe definierit, ingenium præcipuè philoſophicũ, omnium ſine controuerſia perſpicaciſſimum, elegit ad humanũ gregem cuſtodiendum. quippe quòd ſoli huius oculo pateat boni ipſius iuſtitiæque exemplar, ad cuius imaginem benè, iuſtè, feliciterque pingenda ſit ciuitas. Cuſtodem præterea veridicum, liberalem, temperatum, fortem, iuſtum, magnanimum, manſuetum eſſe oportet, inquit Plato; quam cùm Philoſophi naturam eſſe demonſtrauerit, rectè collegiſſe mihi videtur, cuſtodiendi officium præ cæteris Philoſopho committendum. Nempe, ait ille, *Si vitam inueneris eorum, qui Magiſtratibus præfuturi ſunt, ipſis Magiſtratibus meliorem, tunc primum tibi optimè inſtituta ciuitas elucebit. In ea ſiquidem ſola uerè diuites dominabuntur, non auri dico, ſed cuius oportet virum beatum diuitem eſſe, vitæ probæ atque prudentis. Sin autem inopes, boniſque proprijs vacui ad publica aduentauerint, bona illinc rapere cupientes, ciuitas illa felix eſſe non poterit. Nam vbi de Principatu contenditur, cùm proprium hoc ſit & inteſtinum bellum, tum eos, qui ita pugnant, tum reliquam ciuitatem perdit.* Iure autem optimo ad Reipub. ſuæ gubernacula non alium aſſumendum præſcripſit, niſi quem conſtitiſſet, optima quadam tam indole, quàm educatione, vtrunque ſapientiæ & probitatis donum cælitus accepiſſe. Cùm enim difficillimum ab omnibus ſemper habitum fuerit, ſe ipſum feliciter moderari, certè fieri minimè poterit, vt ciuitatem quis ex tam multis diuerſiſque compoſitam hominibus, cui in dies ſingulos innumerabiles penè imminent rerum euentus, feliciter beatequè

Plat. lib. 6. de Rep.

lib. 7. de Repub.

abſque

absque Deo omnis felicitatis & beatitudinis authore componat. Ex quo factum esse apparet, vt quælibet ciuitas proprium quoddam Numen agnouerit, quasi patronum, cuius vicarium & interpretem esse ciuitatis gubernatorem, tradidit Plato, quòd illi ex muneris sui ratione potissimùm incumbat, & diuina contemplari, & humanis inde prouidere. Quamobrem improbos quidem, & prauis moribus imbutos homines, quasi diuini muneris omninò expertes à Reipub. gubernaculis procul expellendos esse decreuit: probos autem asciscendos constanter docuit. Non certè omnes, sed eos, quos ad publicas res gerendas aptos & idoneos esse constiterit; stultum enim esset ciuitatis custodiam & regimen cæcis somniantibusque hominibus, cuiusmodi sunt ignari & inscij, commendare. *Habes*, præclare Plato, *aliquos, qui ciuiles honores spernant præter veros Philosophos? Non per Deum. At enim Magistratus dandi sunt hominibus Imperij minimè cupidis, alioquin simultas inter æmulos orietur. Quos nam igitur ad custodiam ciuitatis induces, præter eos, qui optime hæc intelligunt, per quæ ritè ciuitas colitur, habentque & honores alios, & viam ciuili præstantiorem.* Optimè ille quidem: nam & Gethrus, cùm Mosi consuluit, vt grauissimas tantum causas ad se deferri iuberet, ne singulorum negotia deferrerētur, inferiores alios Magistratus, qui illis præessent, eligi oportere prudenter monuit. Non tamen quosuis, sed qui scirent, possent, vellent, munus sibi iniunctum æquè exercere, ad publica, vel etiam priuatorum negotia pertractanda, assumendos esse docuit *Prouide*, inquit, *de omni plebe viros potentes, & φοβούμενοι τὸν θεόν timentes Deum:* (Augustinus, & septuaginta viri legunt θεοσεβεῖς Deum colentes) *in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam* (Septuaginta viri, quos sequitur Augustinus, vertunt: *qui oderint superbiam*; quòd non minus superbia, quàm auaritia fœdum sit vitium, maximè tamen in Rempub. moderantibus) *& constitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui iudicent populum omni*

Plat. de Repub. lib. 7.

Exo c. 18. Aug. lib. 2. quæstion. super Exod. q. 69.

L. sancimus. C. ad leg. Iuli. repetũ. & §. qua propter. nouel. 8. & ibi. §. nos autem.

omni tempore. Vnde Theodosius & Valentinianus Imperatores consultò sanxerunt, ad Prouincias gerendas eiusmodi viros assumendos esse, qui ad honoris insignia non ambitione & pretio, sed probatæ vitæ testimonio accederēt. qui enim propter generis nobilitatem tantùm aut diuitiarum affluentiam Reipub. gubernacula sibi exhibenda existimant, eos profectò æquitatem omnem reiecisse sapientes semper iudicarunt. Et hæc certè sola via, qua ad salutarem illam metam, quam Principatui propositam esse diximus, tam Principi, quàm Magistratui perueniendum est, in ipso boni publici fine inclusa apparet. Nemo enim sic Rempub. geret, qui non ipse bonus; nec id solùm, sed & prudens. Quòd si duo hæc, prudentia, & virtus, legitimum & numeris suis absolutum efficiunt Magistratum: profectò, illa vt in actionibus eius eluceat, hæc in vita, necesse est: ita quidem, vt quod temperati moderatique mores exposcunt, præcipiat; nullum quod rectissimis monitis, sanctissimisque legibus vllo modo aduersari videatur, opus efficiat & nauet: decorum enim est, vt probitate emineat, qui dignitate cæteros antecellit. Idcircò namque Cyrus non censebat conuenire cuiquam Imperium, qui non melior esset ijs quibus imperaret οὐκ ᾤετο προσήκειν μηδενὶ ἀρχῆς, ὅστις μὴ βελτίων ἀρχομένων. Cùm enim Principes & Magistratus omnes non sua, sed hominum causa hominibus præsint, & arcta quadam catena deuincti sint, qui imperantur cum imperante: vt in corpore mens sana, aut insana esse non potest, nisi vt pariter vigeant, aut langueant eius functiones; ita sanè in Repub. si Princeps ad virtutem præit, sequuntur ciues: si ad vitia, inclinant: si benè beateque agit, florent: si inprosperè, labuntur aut ruunt cum illo.

Xenoph. Ped. 19.

Hinc veteres sapientes, quorum omnium communis fuit sententia & finis proponendorum Magistratuum, vt bonum ac syncerum, & perfectum sanctioris vitæ genus

in Repub. seruetur, vel si ab eo ciues deflectant, ad id correctione & imperij seueritate redducantur; sicque ad metam illam publici boni perueniatur, hoc est, optimus Reip. status cõseruetur: hinc, inquam, prisci illi sapientes iudicarunt, non facilè, aut celeriter præfecturas & Magistratus esse mutandos: (idque à Tiberio Cæsare exactissimè fuisse obseruatum, narrat Nicephorus Calixtus) non solum ad auaritiam tollendam, qua nullum vitium est tetrius, præsertim in Principibus, & Rempub. gubernantibus (singulari enim quadam ratione cum sanctitate & religione, sine qua nulla vnquam Respub. felix extitit, præ cæteris alijs vitijs, pugnat; adeò quidẽ vt propterea à Paulo simulachrorum seruitus dicta sit) sed etiam quòd Magistratuum mutationes non sine magno Reipub. detrimento fieri possint. Qui enim nouè ad Magistratus gerendos assumuntur, non semper quæ ex stylo maiorum recepta sunt, probare solent; & aliquid semper noui Reipublicæ ad ferre student: (decipit enim sæpe quosque etiam probatissimos viros omnibus innata φιλαυτία) plura autem detrimenta publicis rebus, quàm adiumenta inde importari haud inficias ibit qui accuratè & diligenter perpenderit, nihil Reipub. funestius accidere posse, quàm si ordo & leges fori mutentur, & noua iudiciorum forma constituatur: sic enim & incerta omnia fiunt; & quæ illi, qui Magistratu functi sunt, vel studiosè cæperant inquirere, aut cõsultare, conducant Reipub. rationibus nec ne; vel statum & deliberatum habebant in mores ciuium inducere, prius irritantur, quàm ab his qui nuper adepti sunt Magistratum, circunspiciantur, aut considerentur. Ex quo meritò dixit Vlpianus Iurisconsultus, tolerabilius esse absentem Iudicem, qui iudicium agnouerit, tantisper expectare, quàm Iudici nouo rem rursum iudicandam committere. Quibus adde, idcircò Magistratus Reipub. maximè necessarios iudicari, quia illorum opera, studio, & diligentia, ac iudicij seueritate refrena-

Lib 1. hist. cap. 17.

L. Prætor. ff. de uacat. & excus.

 tur

tur licentia, improbitas coercetur, libido resecatur, audacia & scelus extinguitur: At verò vix Magistratum aliquem aut certè perpaucos ad tempus constitutos reperies, qui forti constantique animo Magnatum impietati & violentiæ, prout nonnunquam rei grauitas, & delicti atrocitas postulant, sese obijciāt, &, iuxta legum præscripta, in eos acriter animaduertant, ac qui de perpetua authoritate, quamdiu ritè Magistratus munere funguntur, securi sunt: semper enim illi sibi timent, ne, potestate destituti, à Magnatibus, quorū crimina ex officij ratione punire debuissent, detrimenti aliquid accipiant. Quamobrem Papinianus, honorem delatum à Principe nullis temporis spatijs circunscribi debere, rectè dixisse mihi uisus est. Sed nos eò, unde nostra defluxit oratio, redeamus. Si, ad publicum statum optimè instituendum, vel eundem iam institutum feliciter retinendum, aut collabentem, vel etiam omninò collapsum renouandum & instaurandum, nihil optimis Magistratibus salutarius excogitari potuit; nec aliquid rectius decerni & præscribi, quàm vt ijs illi deferantur, qui obseruantiùs legibus parent, non solùm quia, vt inquit Orator, qui modestè paret, videtur, qui aliquandò imperet, dignus esse; sed etiam, quòd ad benè imperandum paruisse aliquandò necessè sit: (interitum enim paratum esse ciuitati, dixit Plato, in qua non leges Magistratibus sed Magistratus legibus dominantur) præclarè equidem cum ea Repub. actum erit, in qua illi Magistratibus fungentur, quos virtutis perfectio eiusmodi muneribus dignos reddiderit.

L. Iuris peritos. ff. de excus. tut.

Dial. 4. de legib.

CAP. II.

Atque hæc duo ad publicarum priuatarumque rerum statū permagni referre, vt ipsa Natura semper docuit: ita etiam sæculorum ætatumque omnium exempla optimè declarant, iam inde ab orbe condito fuisse in populo Dei Diuini Spiritus afflatu apprimè constituta. Hoc est, tam vt, præter summum Præsidem, penes quem suprema authoritas resideret, alij inferiores præfecti pro tepmporis

&

& negotiorum exigentia constituerentur, quàm etiam, ut eorum, qui præficiendi essent ingenia, mores, & authoritas accuratè perpenderentur. Quamuis enim mortalium ingenium qua parte virile est, veri & boni amorē non prorsus amiserit: postquam tamen ab illa prima, in qua constitutum ab initio fuerat, veritate desciuit, quatenus fœmineam retinet naturam, eamque deprauatam, superbam, & insolentem, ad falsitatem & vitia procliue est facilèque dilabitur. Huic malo ab initio Deus opportuna, & vtilia remedia comparauit: in quibus doctrinæ veræ ac sanæ studium, & exercitatio cum primis commendantur, quæ non singularibus hominibus modò ineunda, verùmetiam publicis & Magistris & Præfectis curanda creduntur, & diligentia atq. studio singulari, à primis rerum initijs, illis semper fuerunt obseruanda. Verùm enimuerò, quo tempore secundū Naturę legem Dei populus potissimum regebatur, quàm primum in familias & oppida, & ciuitates creuit, sub vno Summo Sacerdote, qui Sacerdotij primatum tenebat, alios fuisse inferiores Sacerdotes, primogenitos scilicet familiarum, quibus & rem sacram administrare, & controuersijs pro sua authoritate modum aliquem imponere concessum erat: & post legem in monte Sina à Deo datam, sub Summo Sacerdote & Pontifice Maximo Leuiticæ familiæ, alios etiam, non æquali tamen potestate præditos, Sacerdotes & Iudices, quibus ius dicendi, ex præscripto Dei, Moses facultatem fecerat, à nobis aliàs haud obscurè dictum est. *Si*, inquit ille, *Iudicum inter portas tuas videris verba variari, venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem*. Et hoc quidem pacto, dum illi diligenter & accuratè prospiciebant, & agebāt, vt quæ optimè in publicis, priuatisque rebus constituta, decretaque fuerant, syncerè, atque ritè inita exercerentur; in eos verò, qui hæc temerè violassent, seuerè animaduertebant, rerum certè status, & facies, quæ spectabatur, composita

Arias Mōt. Lib.6.de gener.& reg. Ada. cap.2.

Gene.c.8.

Supra li. 2.

Deut.c. 17.

atque decens conseruabatur, quod & Supremo Pręsidi, & Deo Optimo Maximo pergratum, perq. iucundum erat. Namque & qui suoptè studio vitæ suæ periodum rectè traducere parauerant, facilè id præstare poterant: & qui eis vel exemplo, vel incommodo obstare ausi fuissent, metu deterriti coercebantur, vel digna affecti mulcta corrigebantur, aut de medio tollebantur. Metu autem, & disciplina optimum cuiusque Reipub. statum conseruari sapientes tradiderunt.

Hinc certè sempiternus & perquàm benignus Dominus, qui & cælestia, & terrena omnia imperio continet, nutuque suo regit & moderatur, quod in populo Iudæorum defluxu quotidiano deperibat, & ex parte iam prolapsum erat, vario multiplicique supplicio præssius adstringebat. Nunc quidem, illorum tumorem comminationibus supprimens, & coalescentem in eis timorem conseruans, eos in officio continebat: nunc autem ingratos illorum animos barbarorum excursionibus premebat; opes excindebat, atque delebat. Non tamen repentè totam, sed sensim iram suam profundebat: ita ut leuiores primum plagas imponeret; deinde eis, qui ne percussi resipuerant, grauiora infligebat supplicia; vsque eò vt homines in scelere contumaces grauissimis pænis excruciatos extinxerit. Nam primùm non modò annonæ caritate, sed etiam grauissima fame atque siti vniuersam Iudæorum gentem vexauit. Rempub. deinde defensoribus spoliauit, omnesque viros fortes & strenuos ad hostium impetus reprimēdos, de medio sustulit. Et hæc quidem acerbissima illis intulit mala; sed illud cæteris omnibus fuit multò acerbius, quòd administrationem Reipub. suis destituit Rectoribus. Quamobrem sacer Vates Esaias, cum

Esa. c. 3.

dixisset, *Ecce dominator Dominus exercituum auferet ab Hierusalem, & ab Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aqu* ; statim adiecit; *Et fortem, & uirum bellatorem, & Iudicem, & Prophetam, & ariolum, & senem Principem super quinquaginta, &*

bono-

honorabilem vultu, & consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquij mystici. Hoc est, spoliabit vos ijs omnibus, quæ ad magnificentissimum, & optimum Reipub. statum ita spectant, vt sine illis Respub. nulla possit consistere. Si enim non solùm disciplina militaris obsolescet, verùmetiam pacis artes omninò silebũt: Iudicum seueritas, Senatus authoritas atque prudentia è ciuitatis finibus exterminabitur: si nullus erit Propheta, qui Dei mentem interpretetur, nullus sapiens, qui in posterum multò anteà prouideat; nullus denique, qui longo rerum vsu Reipub. regendæ scientiam assequutus sit: Si Princeps nullus hominibus quinquaginta, antiquo more & instituto, præpositus in vrbe remaneat, quæ amabo, isthæc Reipub. species censebitur? Non ne omnis ordo perturbabitur? Sanè. Multitudinis enim vniuersæ in certos manipulos distributione in obliuionem tradita, sublata senum grauitate, detracto Rectorum consilio de ciuitate, illud profectò consequetur, vt Rempub. belli subsidijs, & pacis ornamentis nudatam, homines indignissimi capessant, & iuuenili temeritate & amentia vsque adeò perturbent, vt & publicis & priuatis rebus exitio sint. *Et dabo*, inquit Dominus, *pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis, & corruet populus, vir ad virum, & vnusquisque ad proximum suum: tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem.* Tantam enim rerum conuersionem ea pertubatio consequetur, ex qua intestinæ seditiones excitari solent. Nam nec plebs effrænatam suam libidinem, & inconsideratam temeritatem à nobilitate cohibebit; nec nobilitas à plebe impotentiam animi continebit; nec iuuentus senilem ætatem verebitur; neque senes iuuentuti prospicient: sed pueri senibus erunt infesti; & plebs nobilitati pestem, & interitum machinabitur; omnisque ciuitas, pestiferarum partium contagione diuulsa atque dissipata corruet. Hinc autem, quod magnum signum est communis exitij, honores etiam amplissimi ad indignissimos quosque deferentur. *Esa. 3.*

In cap. 3. Esa.

rentur. *Quæ dicta sunt,* inquit Chrysostomus, *pœnam indicant intolerabilem, suntque argumentum extremæ perditionis. Stabilis enim firmaque protectio ciuitatum, neutiquam consistit in lapidibus, lignis, & mœnium ambitu: sed in prudentia, & sagacitate eas incolentium, qui tum quidem si adfuerint, licet præsente hostium exercitu, ipsam tamen cæteris omnibus tutius communiunt ac propugnant. Terrorem igitur* (prosequitur idem, paucis tamen interiectis) *eis inijcient (ait sacer vates) quia dominus destituet ciuitatem sua protectione & custodia, non modò sublatis è medio bellandi peritis: sed abreptis etiam eis qui pro potestate nouerant exercere iudicia, qui quidem Iudices nihil minus sunt vsui moderandis ciuitatibus, atque eisdem tuendis sunt bellatores.* διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργήν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν. Ideò, inquit Paulus, *necessitate subditi estote: non solũ propter iram, sed etiã propter conscientiam.*

Rom. c. 13. In epist. ad Ro. hom. 23.

Quid est, quærit Chrysostomus, *non solùm propter iram? Non solùm, inquit, quòd Deo non subditus aduersaris, neque quòd maxima tibi ipsi mala & à Deo & ab hominibus concitas; sed quòd & in maximis tibi benefacit Magistratus, dum & pacem & administrationem politicam procurat. Nam innumera bona ciuitatibus per Magistratus proueniunt, quæ si sustuleris, omnia simul pessumibunt: ita vt neque vrbes, neque agri, neque domus, neque forum, aut aliquid aliud, consistere queant, sed omnia simul subuertantur, potentioribus imbecilliores impunè deuorantibus.* Vt propterea dixerit Apostolus, etiam si inobedientem nulla ira consequeretur, eis subijci nihilominus nos oportere, qui verè & ex animo colendi sunt, imperioque illorum esse à nobis, sine vlla recusatione parendum, ne, quos in omni vita nostra à recta consciẽtia transuersum vnguem non oportet discere, in beneficos ingrati videamur. Si enim vetustissima monumenta diligenter perscrutabimur, iure quidem iam olim factum fuisse, & ad hæc vsque nostra tempora accuratè obseruari reperiemus apud immanes etiam & barbaras nationes, si quàm Reipublicæ formam & speciem retineant, vt qui publici ministri sunt, iurique dicundo præsunt, & reliquis omnibus curis omissis, hoc vnum munus

in

in vita suscipiunt, & huic rei incumbunt vni, vt communem salutem iuris æquabilitate, legumque sanctitate, conseruent, populi tributis alantur, atque sustententur. Atqui, inquit Chrysostomus, nihil illis soluissent ciues, nisi ab initio vtilem, & pernecessariam ciuitatibus talem fuisse præfecturam cognouisent. Non igitur solùm metuendi propter terrorem ab illis propositum, neque solùm amādi, propter eorum studium saluti communi dicatum; verùm etiam vt debitum officium reddamus, opibus nostris in medium collatis, alendi sunt; quandoquidem in eo perseuerant, vt nobis sapientia, & vigilantia sua prospiciant. Nemo verò mihi obijciat (præclarè Chrysostomus) quòd subinde quis potestate hac abutitur: sed quisquis hoc intentabit, constitutionis ipsius decorum inspiciat, & summam eius, qui ista ab initio instituit, sapientiam facilè conspiciet. *Si enim,* inquit ille, *cùm nunc sunt Principes, & Magistratus, multique sunt in eis corrupti, ac deprauati, tantus tamen rei est vsus, vt etiam cùm mali sint, magna ex eis capiatur vtilitas: cogita apud te, si ij, quibus sunt crediti Magistratus, eos rectè gererent, quàm benè cum genere humano ageretur. Sed Magistratus quidem constituere, fuit Dei opus: Quòd autem improbi ad eos proueh antur, & eis, non vt decet, vtantur, est hominum improbitatis.* Nullus igitur adeò in meridie cæcutiat, vt, propter nonnullorum prauitatem, qui Magistratibus aliàs non vt par erat functi sunt, vel etiam his nostris temporibus fortè minus decorè suo fungantur officio, vel muneris ipsius maiestatem, vel publicam, quæ ex eo in vniuersam Rempub. profluit, vtilitatem vllo modo contemnat. Est tamen omnibus valdè timendum, ne eiusdem muneris institutor Deus hominum sceleribus acriter incensus patiatur ac permittat, vt dignitates & munera publica eis deferantur, qui non solùm malis sint imbuti moribus, sed eo etiam sint ingenio, eoque genio præditi vt populos sibi creditos seducere moliantur; est enim malum hoc molestius ac toleratu atrocius publica licentia, quæ oriri solet per vacationem

Hom. in ps. 148.

Ma-

Magiſtratus. Qui enim non habet Principem, præduce viæ à quo regatur priuatus eſt: qui verò malignum ſortitus eſt ac reprobæ vitæ, habet à quo protrudatur in præcipitia vitiorũ. Quamobrem diſertiſſimè Chryſoſtomus (vaticinium iſtud Eſaiæ, quod nobis tam amplam dicendi materiam præbuit, commentarijs illuſtrans,) eo loci, quo Sacer Vates, dicit Deum comminatum fuiſse populo ſuo omnium miſeriarum colluuionem (quarum maximam recenſet adoloſcentulorum Principum inſtitutionem,) per adoleſcentulos inibi intelligi negat, eam ætatulam vlli calumniæ ſimpliciter ſubijci; ſed ex redundanti oſtendi aſserit Principum amentiã. Contingit enim ſæpe & ſæpius iuuenes eſse cordatos ac prudentes: contrà, videre licet, qui vnà cum ſtoliditate & delirijs conſenuerint. Cæterum quandò conſueuit hoc quidem rarius contingere, illud autem diuerſum in vſu eſt frequenti, rectè mente captos Principes nominari adoleſcentulos exiſtimat. Quare ſeptuaginta viri, quod noſter interpres tranſtulit, *& effœminati dominabuntur eis*, vt totam ſententiam dilucidiorem redderent, interpretati ſunt, *& illuſores dominabuntur eis:* quod optimè cum Hebræa lectione conuenit, quæ ſic habet: וְתַעֲלוּלִים יִמְשְׁלוּ־בָם׃ Vethanghalulim imſcelu-bham: id eſt, *Et paruuli, ſiue peruerſi dominabuntur in eos*. עוֹל, enim à verbo עָוַל, deductum, non ſolum paruulum, ſiue puerum, ſed etiam iniquum, & peruerſum tàm in lingua ſancta, quám apud Targum aptè & propriè ſignificat. quod, Santes Pagninus copioſè ediſserit. Quo fit vt ſeptuaginta viri vertant hìc illuſores, quaſi maleſuados impoſtores, cauillatores ſiue diſſimulatores, perfidioſos quoque aſsentatores, qui, ad captandam gratiam, lenocinijs verborum vſi quaſi obtentu poculi (ſic enim Chryſoſtomus) auditores detrudunt in miſeram cacodæmonis ſeruitutem. Quos pſeudoprophetas Plato, tanquam Reipub. peſtes, non arcendos modò è populi

Vide Sant. Pagni. in Theſauro lin. Sanctæ.

con-

congreſſu, ſed grauiſſimis plectendos ſupplicijs, & omninò extinguendos eſſe conſtituit, quoniam impia & execrabili doctrina & domos, & ciuitates vniuerſas demoliuntur. *Eorum igitur*, inquit ille, *qui damnatus fuerit in mediterraneis carceribus vinciatur, nec vllus liber vnquam ad eum accedat: ſed ſtatum ipſi à legum coſtodibus cibum ſerui afferant. Vita denique functum, extra regionis fines inſepultum eijciant. Quem ſi quis liber ſepelierit, à volente impietatis crimine accuſetur.* Cùm autem à primæ ætatis hominibus grauiſſimum animaduerſionis genus iudicatum ſit, corpora inſepulta feris, & vulturibus dare, quod, niſi flagitioſis & proteruis eueniſſe minimè legimus, ex ſupplicij grauitate delicti atrocitas metienda erit: vt vel inde quiſquis mediocris etiam ingenij poſſit colligere, tunc omnium grauiſſimo ſupplicio Rempub. aliquam affici, cùm eam Deus eiuſmodi hominibus regendam tradi patitur, quibus vita functis ſepulturæ ius nequaquam conceditur. *Plato lib. x. de leg.*

Quod ſi ethnicus philoſophus (cogor hæc obiter dicere) è ciuili ſua Politia fore maximè iudicauit maleficorum, hæreticorum, ſuperſtitioſorum, & pſeudoprophetarum cadauera ſepultura priuare: an non & hoc ipſum ad decorem Reipublicæ noſtræ apprimè ſpectare exiſtimabimus? Sanè vt à vitæ exitu & fine hominum laus æquè perpẽdatur, multis de cauſis Diuini Iuris, & Canonici præſcripti authoritate facinoroſos omnes publica vecordia peccati reos ab Eccleſiaſtica ſepultura arceri conſtanter veterum monumenta teſtantur. Quas omnes, quoniã illas ſigillatim oratione proſequi pręſentis inſtituti nõ eſſe exiſtimaui, ſilentio obuoluens, hoc vnum prætereundum nequaquam iudicaui: hęreticis horumque fautoribus, & propugnatoribus, ex ſacroſancto Eccleſiæ decreto Eccleſiaſticam interdici ſepulturam. *Quicumque* (Ergo) inquit Alexander IV. *hæreticos, credentes, receptatores, defenſores, vel fautores eorum ſcienter præſumpſerint Eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ, vſque ad ſatisfactionem idoneam excommunicationis* *Cap. quicunque. de hæret. lib. 6.*

tionis sententiæ se nouerint subiacere. Nec absolutionis beneficium mereantur, nisi proprijs manibus publicè extumulent, & proijciant huiusmodi corpora damnatorum. Et locus ille perpetua careat sepultura. Hoc verò æquissimè statutum fuisse ipsa syncerae Religionis, ac veræ pietatis conditio satis expressit; ne, qui ab Ecclesiæ communione vixerunt extorres, pestiferi & rabidi Christiani gregis lupi Ecclesiasticis beneficijs, honoribus & priuilegijs, vt participes, frui, aut debere, aut posse videantur. Itaque, (vt hæc interim intermittamus potius quàm omittamus, peropportunè forsitan aliàs hoc argumentum tractaturi, vt quàm malè illi de Christiana Religione mereantur, qui, cùm Catholici haberi velint, in Germania, Polonia, Gallia, aut quauis alia regione, hæreticorum cadauera in locis sacratis sepeliunt, vel ad cohonestādas exequias conueniunt, ac funeri operam dant, neminem latere possit.) si stabilis firmaque protectio ciuitatis neutiquam consistit in lapidibus, aut mænium ambitu, sed in prudentia, & solertia Rectorum, qui tum quidem si adfuerint, licet præsente hostium exercitu, ipsam tamen cæteris omnibus tutius communiunt ac propugnant: contrà verò quum absuerint, vt nullus obturbet, incolæ tamen eam exhibent quauis obsessa miserabiliorem, efficitur profectò nihil vsquam esse intractabilius Repub. quæ vacat principatu; quemadmodum neque periculosius aliquid est naui suo destituta gubernatore. Quid enim emolumenti adferet externos hostes vicisse & prostrasse, si excitatis posteà intestinis bellis se ipsos ciues conficiant? Sanè quandò mare insanis fluctibus exagitatur nullo præsente nauclero, nemine proram moderante, vt, naui ad syrtes & scopulos allisa, vectores in certissimo naufragio miserè pereant, necessariò consequitur: ac nisi aliquis adsit, qui pro muneris authoritate possit Reipub. fluctuationem compescere, tumultus sedare, & animos tranquillare, non minor proculdubiò inde suborietur exuberantia malorum. Quæ enim tabula in

Reipub.

Reipub. naufragio, ſublatis Rectoribus, tenebris offuſis, demerſo populo delectationem, aut leuamen adferre poterit? Si ergo Magiſtratus ſunt pacis & tranquillitatis cuſtodes, nullum equidem grauius Reipub. malum imminet eo, quo pacis artes omninò ſilebunt, iudicum ſeueritate, Senatus authoritate, atque ſolertia exterminata: nec vel pacatæ & tranquillæ, vel etiam grauiter laboranti Reipub. ſalutarius quicquam optimis Magiſtratibus euenire poſſe priſci ſapientes iudicarunt, ſuadentes ne vnquã ſpem ſuam incolæ confirmarent in amplitudine ciuitatis, vel opulentia Reipub. non in vallis, aut aggeribus collocarent fiduciam, neque audaciam ſumerent à bellicis molitionibus & machinis: ſed confiderent in virtute & ſagacitate æquiſſimorum Rectorum & ſapientiſſimorum Moderatorum, qui politiam ſibi creditam Iuſtitia & æquitate propugnabunt. Dum enim pacem æquis legibus attemperant, ſæpenumero hoſtium eruptioni ſe ſe opponunt, & eorum nefarios impetus reprimunt. Hoſtes enim quum continenter ſuboriantur ab radice peccatorum, non difficile eſt legum cuſtodes, ac eos, qui præſident iuri dicundo omni cum diligentia quàm multa è medio tollere ac ſupprimere ſcelera, quæ occaſionem præbent excitandis bellis. Neque verò ſilendum nobis eſt, quemadmodum in animalis corpore capitis integritas ac ſanitas cætera attingit membra, eademque rectè conſtituta, aptèque ſuis ſingulorum muneribus præſtandis comparata conſeruat, ita prorſus à Magiſtratuum ordine obſeruatam veri ac boni diſciplinam populum in officio continere, & Deum ſibi, & vniuerſæ Reipub. beneuolum defenſorem conciliare. Quod ne dubitare poſſimus, maximo eſt argumento, quod in ſacris literis Dei populo contigiſſe apertiſſimè legimus. Religionis enim, pietatis, atque humanitatis officiorum doctrina maiorũ exemplis comprobata; præclara illa æquabilitas, & mira Pontificum atque Iudicum æquitas, qua prudens ſynce-

rumque iudicium exercebant, aſſiduè ſpectata, vniuerſæ Iſraelitarum Reipub. magno, quoad ea durauit, ornamẽto & emolumento, ſingulis hominibus magno ad virtutem documento, & ad beatitatem adiumento fuit. Illis autem deſideratis, beneficiorum diuinorum, quæ perpetua eſſe debuit & explicatiſſima ſemper conſtare, memoria ac recordatio ſenſim obſcurata euanuit primum, ſtatimque ab illa patrum grauitate degeneratum eſt, mox verò Reipub. illius integræ ſplendor impuris moribus obſoleuit. Inde autem ad vana opinionum atque doctrinarum commẽta, in inſanas de Natura Diuina fabulas, mixtas & perturbatas de Religione ſententias aberratum, ac demum omnis cùm ſingularium ac priuatarum, tum publicarum facies rerum in fœdiſſimam turpitudinem, deteſtabile dedecus, impuriſſimamque labem commutata

Iudi.c.2. eſt. *Mortuus eſt autem Ioſue filius Num, famulus Domini, centum & decem annorum. Et ſepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnath-ſare in monte Ephraim, à Septentrione ad plagam montis Gad. Omniſque illa generatio congregata eſt ad patres ſuos, & ſurrexerunt alij, qui non nouerunt Dominum, & opera, quæ fecerat in Iſrael.* Qui autem illi fuerint, qui generationis nomine comprehenduntur, & Doctiſſimus Arias Montanus accuratè nobis tradidit, & verbum ipſum Hebraicum, pro quo noſter Interpres Latinus vertit, generationem, tam in hoc, quàm alijs in locis, apertè innuit. דוֹר, Dor enim (à verbo דָּאַר, deductum, quod peregrinari, habitare, & ſtruere aptè ſignificat) ad eos tantum referri ſolet, qui certo quopiam tempore alijs hominibus gubernandis, aut ducendis incumbunt: adeò quidem, vt ſæpè & ſæpius hoc nomen ad inſigne aliquod caput referri quàm multis ſacrorum monumentorum teſtimonijs comprobari poſſit. Namque (vt hoc vno duntaxat loco contenti alijs ſuperſedeamus) ſic Matthæus ab Abrahamo vſque ad Chriſtum generationes recenſuit, & connumerauit, vt, non paucioribus viris illuſtribus commemoratis, ſuæ vnoquoque

que

que ætatis Ductore eum numerum cõfecerit. *Omnes, itaque* ait ille, *generationes ab Abraham vſque ad Dauid generationes quatuordecim: à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis generationes quatuordecim, à tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum generationes quatuordecim.* Quocirca, cùm à Ioſue vſque ad primum Iudicem vix triginta interceſſerint anni, haud rectè de vniuerſa illa hominum multitudine, qui ex Aegypto in Chananæam profecti fuerant, nomen, generatio, exponi poteſt. Relinquitur ergo, vt de illis hoc loco mentio fiat, qui Principes populi extiterant, quod apertè nobis indicat phraſis Hebræa. Quoties enim in hac ſacra lingua oratio duobus articulis notantibus ornatur, certũ proculdubiò, & ſingulare aliquid indicare ſolẽt. Sic autẽ Hebraicè legimus: וְגַם כָּל הַדּוֹר הַהוּא נֶאֶסְפוּ אֶל־אֲבוֹתָיו: vegham col haddor ha hu neesfu el abhothau. *Et etiam omnis illa generatio, illa illa congregata eſt ad patres ſuos.* Hoc eſt, Ioſues veteris pacti fidelis miniſter, cæterique boni, ac ſapientes illius ætatis viri populi duces, qui & paternã pietatem ſectati, & fidem imitati fuerant, & ſpem retinuerant, è viuis ſublati fuerunt: quibus deſideratis, noua hominum, morumque facies extitit ab illa priore longè diſſimilium, *qui non nouerunt Dominum, & opera quæ fecerat cum Iſrael.* Siue, vt Chaldæus Paraphraſtes explicat: דְּלָא יְדַעוּ לְמִדְחַל מִן קֳדָם יְיָ: Dela iedhanghu lemidhchal min kodham Adonai. *qui non nouerunt ad timendum abante Dominum.* Id eſt, qui nec Dei præclara facta viderant, nec ea mente contemplati fuerant: ſed potiùs opinionis, & priuati conſilij ſui rationem ſequuti, contempto veri Dei cultu, idololatriæ labe infecti ſunt, ac ſenſim quem defenſorem, & propugnatorem populus Iſraelis habuerat, vindicem & vltorem ſeuerum expertus eſt. *Feceruntque Iſrael malum in cõſpectu Domini, & ſeruierunt Baalim.* Diſertè quidem Poeta ait:

Matth. c. 1.

Vergil.

Vidi lecta diu, & multos seruata per annos
Degenerare tandem, ni uis humana quotannis
Maxima quæque manu legeret: sic omnia culpis
In peius ruere, ac retro sublapsa referri:
Non aliter quàm qui aduerso vix flumine lembum
Remigijs subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in præceps pleno rapit alueus amni.

Qui enim post Iosuem & alios Heroes Dei cultores, & populi Duces sapientissimos publicam susceperunt administrationem, parem certè ijs, qui perfuncti iam fuerant, potestatem obtinuerunt, dissimili tamen probitate, virtute, ac pietate præditi extiterunt: vtpotè qui non nouerunt Deum. Non quidem qui Dei nomen aut ignorarent, aut negarent; imò fortassis, qui eum frequenter prædicarent, & repeterent: verùm qui non ea ratione colerent, vt Paulus inquit, qua, si rectè nouissent, colere debuissent. Ab istis verò neglecta, desertaq. vera diuini cultus disciplina, Religionis, ac vitæ instituta non ex certa ratione, qua Israelis doctrina continebatur; sed ex quadam tantum consuetudine, atque ex imitatione, comparatione, & contentione aliarum Gentium ethnicarum inierunt: inde verò ad impietatis genus omne desciuerunt. *Dimiserunt*, enim, *Dominum Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Aegypti: & sequuti sunt Deos alienos, deos quoque populorum, qui habitabant in circuitu eorum: & adorauerunt eos, & ad iracundiam concitauerunt Dominum.* Ex quibus haud obscurè colligit Theodoretus facilè quempiam mente consequi posse salutem, pacem, honestatem, atque humanam omnem Reipub. felicitatem in Principum pietate; illius verò interitum in eo maxima ex parte situm esse, si vel Principes, populique Rectores, & Magistratus in Repub. omninò desiderentur, vel improborum imperio regatur. Quod proculdubiò quæ ibidem proximè narratur historia apertiùs docet. Cùm enim Israelitæ miserijs & ærumnis premerentur, *suscitauit*, ait, *Iudices Dominus & liberauit eos de manu deprædantium*

Rom.c.1.

Theod. in li. Iudi. q. 6.

dantium eos. Et quamdiu ſuperſtites Iudices erant, Dei fulti auxilio & fauore, eximebant eos de manibus hoſtium ſuorum. At paulò poſtquàm diſceſſiſſet Iudex ad vomitum reuerſi, & vitijs cumulum addebant, & miſeriam atque calamitatem ſibi ipſis moliebantur: deteriores enim parentibus ſuis effecti Idolorum cultui vacabant, & Dei vindictam in ſe ipſos concitabant. Quos verò Iudices Hieronymus hic appellauit, ſi ad verbi Syriaci, & Chaldaici proprietatem mentem appellamus, Ductores, & Summæ rerum gubernatores haud immeritò nuncupabimus. ܢܓܝܕܐ, enim, Syriacè, ſiue נְגִידִין Chaldaicè Ductores, vel Duces, & Gubernatores, ac Principes propriè ſignificat. Imò in lingua ſancta etiam reperies eandem dictionem in ſingulari,* & in plurali mutato, ן, in ם, ſub eadem ſignificatione. Totis, itaque illis Iudicum ætatibus, ſi ſacram diligenter perpendamus hiſtoriam; non vno eodemque modo Deum erga populum ſuum ſe geſſiſſe reperies: quem enim nunc victorem ab hoſtibus, paulò poſt victum euaſiſſe leges: interdum quippe propter noxam, impietatemque acriter in eum animaduertiſſe, ſæpè etiã optimorum Magiſtratuum cura & opera Deum illi reconciliatum, ſæpiùs autem eundem in inſaniam atque ſcelera prolapſum facilè cognoſces. Atque id nõ vſquequaque veræ, tamen veroſimili cauſæ datum, Rectoris potentiſſimi defectui, cuius authoritate, reuerentia, ac metu, & vitium compeſci, & virtuti ſuus honor tribui poſſet, Spiritus ſanctus hiſtoriæ illius author apertè indicat. Permagni igitur intereſt, quibus Præfectis & Magiſtratibus publicæ res agantur. Quamobrem, vt enitendum orãdumq; eſt in primis, ne peruerſis moribus populi Rempub. fœdare poſſint: ita ſanè deinde curandum, ſummiſque precibus à Deo efflagitandum eſſe reor, ne vnquam optimis Magiſtratibus Reſpub. deſtituatur. Quamuis enim illum eſſe præſtantiſſimum Reipub. ſtatum nemo, etiamſi in

**Lib. 2. Reg. c. 5. ver. 2. & Pro. c. 8. ver. 6.*

Diuinis;

Diuinis, humaniſque rebus parum verſatus exiſtat, non ingenuè fateatur, cùm non Principum reuerentia ſolùm, & authoritate, ac iudicij & pœnæ formidine, ſed Dei timore, & virtutis ſtudio rectà homines incedunt: tamen cùm ab hac compendioſiſsima ad rectè viuendum via, rationeque deflectitur, illam non incongruam ineundam fore exiſtimarunt omnium ætatum Sapiētes viri, vt optimorum Reipub. miniſtrorum tùm exemplo, tum ſeueritate homines à ſcelere deterreantur, & ad omnē vitæ honeſtatē reuocentur. Sic enim fieri ſæpè & ſæpiùs conſueuit, vt alij quidem vero pietatis ſtudio ſeriò accenſi & inflāmati præclarè factis non modò Reipub. ſtatum cohoneſtauerint, verùm etiā firmauerint, & vndiq. munierint: alij verò ſupplicij recordatione perterrefacti à peruerſis moribus publicè abſtinentes minùs ſaltem Reipub. faciē maculauerint. Quo & illud contigiſſe, vt imminentem ob præteritorum temporum ſcelera animaduerſionem, & pœnam optimorum Magiſtratuum cura, opera, & procuratio deprecata fuerit omninò, ſæpè imminuerit, vel etiam longiùs in poſterum diſtulerit, & ſacra narrat hiſtoria, & Moſis exempla manifeſtè comprobant.

Exod. c. 32. lib. 4. Reg. c. 22.

CAP. III.

HInc ſub nouo teſtamento ita Rempub. ſuam Dei filius inſtituit, vt quamquam ob effrænatam populorum licentiam, vel etiam ob Eccleſiaſticorum Magiſtratuum negligentiam, vera, ſynceraque doctrina, qua optimus illius ſtatus mirificè conſeruatur, nonnunquam contemnatur, & loco eius inanis ſuperſtitio, vel prauæ diſciplinæ inſtitutio ſubrogetur: haud tamen fieri unquam poterit, vt in Chriſti Repub. ſyncera doctrina omninò perturbetur & corrumpatur. Quod vt Dei prouidentiæ, qua Politiæ ſuæ rebus conſulit, potiſſimùm adſcribendū eſt: ita ſanè in ea conſtituenda illius admirari licet ſapientiam, quandò præter vnum omnium maximum Principem cui vniuerſam ciuium ſuorum collectionem regendam tradidit, quoſdam alios creauit Magiſtratus, qui

qui singularum, vel ciuitatum, vel Prouinciarum curam gererent, inter sese tamen ita ritè dispositos, & subordinatos, vt, quemadmodum omnes Presbyteri, cæterique, tàm qui Ecclesiasticis ministerijs sunt mancipati, quàm, quos laicos dicimus, Christiani omnes alij Ecclesiasticis subijciuntur Præsulibus, ita ij suo sint Metropolitano subiecti, & vniuersi tandē supremo Præsuli Romano obtemperent. Sic enim fit, vt si aut populi synceram sibi traditam negligant doctrinam; aut in ea tradenda à vero vel latum quidem vnguem Præfecti deflectant, facilè vtriq. à superiore potestate corrigantur, & temeritatis suæ æquissimas pænas luant. Equidem non aliter, atque in hominis corpore varia membra, diuersaque eorum sunt officia, in Politia sua Deus ac Redemptor noster Christus graduum & functionum Ecclesiasticarum varietatem quandam, summo tamen ordine dispositam, & mira concinnitate ordinatam esse voluit; quā idcircò sacri Concilij Tridentini Patres ordinatissimam dispositionem dixerunt, quòd ex ea diuina sapientia præclarissimè eluceat, & opportunissimè humanæ imbecillitati auxilium feratur. Quis enim vnquam tanta industria, & in agendo dexteritate valeret, qui omnia munia, ac ministeria sacra, quæ in Dei Ecclesia apprimè sunt necessaria, solus obire ritè posset? Profectò nullus. At præter hanc functionum, & Ecclesiasticorum munerum varietatem maior adhuc authoritas alia in Dei Repub. necessaria fuit in actibus hierarchicis, quoad mysticū Christi corpus, quæ omnes illius partes, hoc est, eos qui illi fidem nomenque dedissent, tueretur, instrueret, regeret, moderaretur, & ad cælestem beatitudinem dirigeret: sapienter igitur dignitas & authoritas, quæ Episcopalis dicitur, ab eo constituta est, cui tùm inferiores Ministri, tùm etiam Sacerdotes lubentibus animis obtemperarent. Quo enim in hac Christiana Repub. varij Ecclesiastici gradus magis necessarij esse censentur, eo profectò euidentius concludimus,

Sess. 23. c. 2.

d tunc

tunc illi ſapientiſsimè à diuino noſtro Legiſlatore conſultum fuiſſe, cùm Epiſcopalem in ea dignitatem inſtituit, ne vnquam Eccleſiaſtici miniſtri illi deeſſent: ſed eos vt decet ipſa conſecratione inſtitueret, ac prædicatione inſtrueret: Atque vt in bellis gerendis omnibus militiæ ordinibus Dux vnus præficitur: ita quidem Sacerdotum vnus Princeps legeretur, & conſecraretur cæteris Sacerdotibus poteſtate ſuperior. Huius verò dignitatis amplitudo & maieſtas non aliter melius dignoſci poſſe mihi videtur, quàm ſi in ipſam Epiſcopi inaugurationem atq; conſecrationem oculos conijciamus, in qua ita magni cuiuſdam arcani ſacramenta Chriſtianorum oculis ſubijciuntur, vt non adeò quidem libenter & ſtudiosè, ac neceſſariò ſermonem hac de re mihi inſtituendum eſſe duxerim. Non libenter quidem quòd huiuſmodi ſacramenta arcano ſilentio ſanctiùs & auguſtiùs, quàm quauis opima oratione colantur; & quòd res tanti momenti breuiter explicari non poſsit, volumineque potiùs integro, quàm breui ſermone opus habeat. Neceſſariò tamen, nè ſilentium noſtrum de Epiſcopali dignitate humiliter & demiſsè ſentiendi anſam alicui præbeat; quòdque inſtituti noſtri ratio nos quodammodò cogat & impellat.

In Epiſcopali igitur inauguratione ſi rem attentè conſideremus, ſacræ quædam non vulgares aut profanæ, celebrantur nuptiæ, ex quibus omnis Hierarchici ordinis ratio, per quam vera Ieſu Chriſti ſingulari quodam modo dignoſcitur ſponſa, pendet: vnde omnis regiminis & gubernationis Eccleſiaſticæ oritur propago: per quas illa ipſa continua & perpetua Spiritualis, & Apoſtolicæ generationis deducitur ſucceſsio, ampliſsimum & ſingulare Catholicæ veritatis argumentum, illiuſque ſeminis de quo Eſaias vaticinatus eſt: *Spiritus meus qui in te eſt, & verba*
Eſa.c.52. *mea, quæ poſui in ore tuo non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, à modo vſque in ſempiternum.* Ex quibus denique nuptijs omnia Sacramenta oriuntur: vimque & initia ſua ſumũt,

& ſine

& ſine quibus nihil ſanctum, nihil ritè Deo dicatum eſſe poteſt. Hæc enim conſecratio omnium conſecrationum fons eſt & initium: hoc miniſterium, omnium miniſteriorum principium & fundamentum. Diuinum enim Pontificum ordinem primum eſſe eorum ordinum, qui Dei participes ſunt, & eundem vltimum, dixit Dionyſius Areopagita. Primum quidem, quoniam ex illo promanant reliqui omnes, & ſua accipiunt omnia. Vltimum autem, quia in eo deſinit & perficitur omnis Eccleſiaſticæ, & Hierarchicæ rei ornatus. *Sicut enim*, inquit ille, *Hierarchiã omnem in Ieſum terminari conſpicimus, ita vnamquamque functionem in diuinum Pontificem proprium. Porrò Pontificalis ordinis virtus, in ſacris omnibus distinctionibus capitur, & per omnes ſacros ordines operatur propriæ Hierarchiæ myſteria.* Nam etſi Sacerdotes aliqua per ſe conficiunt; non tamen ſine his quæ Epiſcopi propria opera & conſecratione fiunt. Sponſus eſt igitur Epiſcopus, ſponſa Eccleſia. Et quidem de Eccleſia, quàm multa alibi à nobis dicta ſunt: De Epiſcopo eiuſque munere, cuius eſt Summa & prima in Chriſti Repub. dignitas & authoritas, quid ipſe Chriſtus Dominus, quid Paulus, quid vetuſtiſsimi & Apoſtolici viri iam olim ſenſerint & cenſuerint breuiter perſtringã. Epiſcopum enim cùm Summus ille Pontifex Chriſtus Paſtorem ouium, ſalem terræ, lucem mundi, ciuitatem illam ſeptã munitam & inexpugnabilem in mõte poſitam, oculum vniuerſi, quique claues Regni cæleſtis habeat, eſſe dixerit, ampliorem profectò illius dignitatem oſtendit, quàm vt aliqua poſsit oratione explicari. Is namque paſtor eſt, non mercenarius; intrat per oſtium, nõ aliunde; (oſtium autem eſt Chriſtus) huic oſtiarius Spiritus Sanctus aperit: quo fit, vt oues ſuas cognoſcat, & eas nominatim vocet; dux earum ſit, præeat illis, & oues eum ſequantur: atque non modò mercedem fluxam & caducam non reſpiciat, non modò laboribus non defatigetur vllis, non modò opibus & facultatibus ſuis non parcat, honorem

Diony. li. de Eccleſ. Hierar c. 5.

In libris de vera Chriſti Eccleſ.

Ioan. c. 10.

ſuum non quærat, lupis non cedat, oues non deſerat, infamiam, paupertatem, exilium, carcerem non metuat; ſed vitam etiam ipſam libenter & promptè pro ouium ſuarum ſalute & incolumitate profundat. Eſt inſuper ſal terræ, condiendo quidem, & ab omni labe conſeruando populo Chriſtiano comparatus. Eſt lux mundi, quæ ſterilia fœcundet, errantia illuſtret, mœſta exhilaret, latentia prodat, ac in lucem proferat. Eſt ciuitas vndequaque illuſtris, quæ obſcurari nullo modo poſſit: oculus vniuerſi, quo ſano & ſimplici totum corpus lucidum ſit, eo verò deprauato & lippiente, totum tenebroſum fiat. Claues habet Regni cæleſtis, vt cui aperuerit, apertum ſit; cui clauſerit, ſit obſeratum. Hunc ergo qui audit, Chriſtũ audit: hunc qui ſpernit, Chriſtum, &, qui miſit eum, Deum Patrem ſpernit & conculcat. Eſt enim Epiſcopus *fidelis* ille *ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*, vt det illi cibum tempore opportuno: eſt operarius meſſis eius, vt fructum afferat, & fructus eius maneat: qui claritatem habeat, quam dedit ei Princeps Pontificum Chriſtus Ieſus: qui eum, non ſeruum, ſed amicum, & fratrem ſuum appellare ſolet. Vt propterea nemini mirum videri debeat, ſi Paulus hunc eundem, quem hominem eſſe dixerat ex hominibus aſſumptum, pro hominibus conſtitutum in his, quæ ſunt ad Deum; vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis, miniſtrum & adiutorem Dei ac diſpenſatorem myſteriorum eius eſſe conſtanter aſſeruerit. Datum enim illi eſt miniſterium reconciliationis, vt legatione fungatur pro Chriſto, tanquam Deo exhortante per os eius. Hunc Clemens, qui primus hoc nomine appellatus eſt, Petri ſucceſſor, omnis ſacræ ſcientiæ cuſtodem, mediatorem Dei & hominum, in eo quod ad Deum facit miniſterio, Doctorem pietatis, ſecundùm Deum parentem noſtrum, qui per aquam & Spiritum regeneret nos in ius adoptionis filiorum Dei: Principem, & Ducem populi Dei, Regem atque Dynaſtam

Matth. c. 5. *Ioan. c. 8.* *Matth. c. 6.* *Matth. c. 16* *Luc. c. 10.* *Matth. c. 24* *Luc. c. 10.* *Ioan. c. 17.* *Ioan. c. 15.* *Matth. 28.* *Hebr. c. 5.* *1. Cor. c. 4.* *2. Cor. c. 5.* *Cõſt. Apoſt. lib. 2. c. 28.*

ſtam θεὸν ἐπίγειον, hoc eſt, poſt Deum, terreſtrē Deum, cui à nobis primus debeatur honos: (de Eccleſiaſticis enim Præſulibus ſcriptum eſſe docet illud Regij Pſaltis: *Ego dixi, Dij eſtis & filij excelſi omnes*: & illud: *Dijs non maledices.*) qui primum in omnibus locum teneat: Diuini honoris, quantum homini fas eſt, participem: vniuerſi cleri caput: totius denique populi, in his quæ ad Deum ſunt, Principem eſſe dixit. Quid pluribus opus eſt de hoc argumento diſſerere? Certè Dionyſius ille Areopagita Pauli eorum arcanorū, quæ homini non fas eſt proloqui, vnicus & germaniſſimus interpres, quem poſt Apoſtolos Theologorum Principem doctiſſimi quique appellare conſueuerunt, Epiſcopum eſſe dixit, *virum Diuinum, totius ſanctæ ſcientiæ peritiſſimū, in quo liquidò, ac perſpicuè ſacratus omnis ordo ſuus, & perfectus ſit, & poſſit agnoſci.* Non diſſimilia Ignatius Ioannis Apoſtoli diſcipulus de Epiſcopo ſempiternis mandauit monumentis: ad Smyrnenſes enim ſcribens inquit Epiſcopum omni Principatui & Poteſtati ſupereminere, &, quoad homini licet, imitatorem Chriſti veri Dei, & Principem Sacerdotum eſſe, ac imaginem Dei referre: Dei quidem propter Principatum, Chriſti verò, propter Sacerdotium. *Vbicumque* ergo, inquit, *Epiſcopus apparuerit, illic & plebs eſto, ſicuti & vbi Chriſtus eſt, omnis cæleſtis militia præſens eſt, & adeſt, tanquam duci militiæ virtutis Domini, & vniuerſæ intelligibilis naturæ diſpenſatori.* Denique, *cùm non ſit in Eccleſia quidquam Epiſcopo maius Deo ſacra faciente pro totius mundi ſalute (vt neque Regi compar eſt quis in Principibus, pacem & æquitatem ſubditis procuranti) qui honorat Epiſcopum, à Deo honorabitur: vt itidem qui inhonorat eum, à Deo punietur.* Qui enim Epiſcopo non obtemperat, ille ſanè ſine Deo eſſe cenſetur, pietatis expers, Chriſtum deſpicatui habens, eiuſque ordinationi reſiſtens: ſine quo nulla eſt Eccleſia, nulla Sanctorum cōgregatio: qui enim Chriſti ſunt, Epiſcopi ſunt; qui verò ab illo deficiunt, & cum impijs communionem amplectūtur, hi cum illis exſcindentur: quippe qui, non Chriſti agricultura, ſed cacodæmo-

Pſ. 81.
Exod. c.
Lib. de Eccl. Hier. c. 1.
Ignat. epiſ. ad Smyrn.

dæmonis ſemen ſunt. Sacerdotium enim eſt omnium bonorum, quæ in homine ſunt, ſupremus apex; qui aduerſus illud quidquam molitur, non hominem, ſed Deum & Chriſtum Dominum, qui natura ſolus eſt primus & Summus Sacerdos, ignominia & contumelia afficit. Illa verò duo Catholicæ Religionis clariſſima lumina Gregorius Nazianzenus, & Magnus Baſilius pulcherrimis & veriſſimis coloribus Epiſcopum denotare mihi videntur, quoties eum Angelum Dei, candelabrum in Eccleſia Chriſti, Sacerdotem incruenta ſacrificia offerentem, illuſtrem animarum cuſtodem, magni Dei imaginem in manibus ſuis portantem, Deum hominibus conciliantem, immortalis vitæ Doctorem, magnam vocem & tubam, ſermonum Regalium viuificantem virtutem, columnam & firmamentum in domo Dei, ſcopulum eminentem, qui omnes fluctus errorum & inſectationum excipiat, frangat, & à populo Dei arceat: terrorem hæreticorum, cuſtodem patriarum legum, omnis nouitatis hoſtem, ſecurim, petram ſcindentem, linguam flumini irriganti ſimilem, ſacri conſilij apicem, ſermonum myſticorum interpretem, ignem malam & vitioſam materiam purgantem, ventilabrum, quo à grauibus dogmatibus leuia diſcernuntur, gladium vitij radices excindentem, percutientibus Adamantem, diſſidentibus Magnetem, ac denique, veteris vitæ & doctrinæ exemplum appellare ſolent. Et hæc quidem magna & ampla ſunt, quæque Epiſcopalis dignitatis celſitudinem apertè nobis ob oculos proponunt. Verùm dum mente recolo in Epiſcopi inauguratione ſacratas quaſdam inter ipſum & Eccleſiam nuptias celebrari, fateor animi mei exiguitatem tantam illius magnitudinem capere non poſſe: quippe quod Summum illum Sacerdotem & Pontificem Chriſtum Ieſum, quem Sanctus Ignatius primogenitum & ſolum natura τοῦ πατρὸς ἀρχιερέα, Dionyſius verò θεαρχικὸν καὶ πρῶτον ἱεροτελεστὴν, hoc eſt, diuinum & primum conſecratorem appellat, earum

Nazian. in Apol. 1. & in orat. de laud Athana. In funere item Patris. in exhortat. ad Epiſcop. Baſil. in epiſ. 62.

Dion. c. 5. de Eccl. Hier.

rum nuptiarum ſponſorem ſacris oraculis teſtatum videam. Primus enim & Summus Pontifex Chriſtus Ieſus, Eccleſiæ ſuæ primus Hierarcha, ex vniuerſa illa diſcipulorum multitudine, quam ſibi aſciuerat, duodecim quos Apoſtolos cognominauit conſultò elegit: hos autem in vltima quidem cœna Sacerdotes, ad cælos verò aſcenſurus illis verbis Pontifices creauit, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Quo loci Chryſoſtomus & doctiſſimus Theophilactus, vt alios nunc ſileam, tàm ad verba, quàm ad cæremoniam qua vſus eſt (*Hoc*, enim, *cùm dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.*) mentem forte appellentes, Apoſtolos tunc temporis Chriſti Vicarios inſtitutos, & ad ipſum Chriſti munus & authoritatem aſſumptos fuiſſe dixerunt. Quibus Cyrillus addidit, tunc propriè duodecim illos creatos fuiſſe Apoſtolos, & vniuerſi orbis Doctores, ea autem oratione Chriſtum Saluatorem noſtrum expreſſiſſe omnem Eccleſiaſticam poteſtatem in Apoſtolica authoritate mirificè contineri. Si enim Sempiternus Parens Filium ſuum hominem factum ſumma affecit authoritate, & Dei Filius eodem prorſus modo, ac ipſe à Patre miſſus fuerat orbis Doctor, & Pontifex, Apoſtolos ſuos in omnes totius orbis oras miſit, vt Euangelicam doctrinam, non Iudæorum modò, ſed ethnicarum etiam Gentium populis traderent; efficitur profectò ex ipſa Chriſti verborum ſerie, eos tunc temporis ſummam in vniuerſum orbem poteſtatem accepiſſe. In quam ſententiam ita Cyprianum deſcendiſſe video, vt quæ hac de re nobis ſcripta reliquit, digniſſima ſanè, vt in omnium ore verſentur exiſtimem. *Loquitur enim Dominus* inquit ille. *ad Petrum, Tibi dabo claues Regni cælorum, & eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit, Paſce oues meas. Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatẽ tribuat, & dicat: ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos: tamen vt vnitatẽ manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit.* Quamobrem eorum, qui Apoſtolos,

Ioan. c. 20.

Cypr. de vnit. Eccl.

los, non à Christo, sed à Petro iurisdictionem accepisse asserunt, haud vnquam probare potui. Quid enim? Nonne si sic se se res haberet, in Matthię electione manifestum fuisset & exploratum? Proculdubiò. At Lucas narrat, huic eidem primo & Summo consecratori Petrum cum omni multitudine fratrum, præsentasse Iosephum, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est iustus, & Matthiam, illaque vsum fuisse præfatione: *Tu Domine, qui nosti corda omnium ostende quem elegeris ex his duobus vnum accipere locum ministerij huius, & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum.* Hoc ipsum Paulus apertè docuit: *Ascendens,* inquit, *in altum dedit dona hominibus.* Quæ nam? *Et ipse,* ait, *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios verò Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitate fidei, & agnitione Filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Sed apertius ad Galatas scribens omnem dirimit controuersiam: sic enim inquit: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Deum Patrem.* Et post alia: *Cùm autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, continuò non acquieui carni & sanguini, neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abij in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum; deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum.* Huius profectò (inquit Dionysius Areopagita) *Sacræ functionis initium est fons vitæ, bonitatis essentia, vnica rerum omnium causa beatissima Trinitas. Ex qua sola bonitatis causa, quæ sunt omnia, vt essent, & benè essent, acceperunt.*

Turr. cremata & Dominicus Iacobatius. ille lib. 2 c. 54. Summæ de Eccl. hic verò lib. 10. de Concil. art. 7.

Act. cap. 1.

Ephe. c. 4.

Ad Gal. c. 1

De Eccles. Hier. c. 1.

CAP. IV.

HAnc verò Episcopalis dignitatis authoritatem bipartitam esse Catholici omnes Doctores sapientissimè tradiderunt. Vnam quidem Ordinis, Iurisdictionis alteram. Illa Sacramentorum administrationem, potissimùm tamen Sacrosanctæ Eucharistiæ (quàm, vt à nobis alibi opportunè dictum est, Dionysius τελετὴν τελετῶν appellauit)

lauit) consecrationem respicit: hæc autem ad mysticum Christi corpus spectat. Atque de Ordinis potestate non est cur in præsentiarum sermonem habeamus, cùm id non necessariò expostulet præsentis instituti ratio; quæ vt de Iurisdictionis potestate, quò orditam tellam perficiamus, & Christianæ Reipub. statum vndequaque optimum ostendamus, disserere nos quodammodò cogit & impellit. Quoniam tamen Illustrissimus Dominus D. Gabriel Palæotus S. R. Ecclesiæ Cardinalis, acturus de Bononiensis Ecclesiæ administratione, ita accuratè expendit,& copiosè explicauit præcipuas,ac pernecessarias Episcopalis muneris functiones, vt & iurisdictionis eius potestatem omnem amplexus sit, & nihil quod hac de re quempiam scire oporteat, ampliùs desiderari posse videatur; nos de vno, vel altero tantùm capite, pro ingenij nostri tenuitate breuiter disseremus.

Et quidem, vt rem hanc ad sua deducamus principia, non, quemadmodum Apostoli directè à Ch risto omn , qua præditi fuerunt,authoritatem acceperunt,ita Episcopos, sed à Summo Pontifice eam, quam in populos sibi subditos habent,iurisdictionem accipere, primo loco con stituimus. Ita sanè vt quæ in suo genere à Deo proximè manat, vt à nobis demonstratum est, in specie à Summo Pontifice proculdubiò profluat. Quo fit, vt, cùm is authoritate, qua pollet, præscribere nullo modo possit, vt in Christiana Repub. nullus omninò sit Episcopus, quia Diuinum ordinem immutare nequit; possit nihilominus (vt ad Mediolanenses scripsit Bernardus) Romana Sedes nouos ordinare Episcopatus, vbi hactenus non fuerunt, & eos qui sunt,alios deprimere,alios prærogatiuis, & priuilegijs cohonestatos in dies magis magisque amplificare,& ad ampliores euehere honores, atque Iurisdictionis potestatem,vel longè lateque dilatare, vel aliàs diffusam restringere, prout Christianæ Politiæ magis expedire iudicabit. Quam sententiam ex recẽtioribus Caietanus, So-

Ber. epist. 131.

Caie. tract. de author. Papæ & Conc. c. 3.

to, Franciſcus Vargas, Heruæus, & Gabriel: ex veteribus autem Scholaſticis Doctoribus B. Bonauentura, Albertus, Durandus, & alij non pauci, nec infimæ claſſis, ſed Sapiẽtiſsimi viri, tanquam veriſsimam, amplexi & ſectati ſunt. Omnes enim, re æquiſsimè perpenſa, exiſtimarunt è Chriſtiana Repub. fuiſſe, vt, inſtar triumphantis Eccleſiæ, quę varijs ordinibus diſtincta Archangelorum, Thronorum, Principatuum, ac reliquorum cæleſtium ſpirituum ab vno Summo Deo regitur & adminiſtratur, Chriſti militiæ adſcriptis hominibus toto Orbe terrarum diffuſis, pro locorum amplitudine, Regnorumque frequentia Antiſtites præficerentur, quorum alij ampliori, alij verò ſtrictiori pollerent authoritate, ad leges condendas, & alia excercẽda Eccleſiaſtica iudicia. Nam vt in ordine politico aliæ alijs continentur vniuerſitates hominum, & à ſuprema poteſtate vnicuique ſuus præficitur gubernator: ita ſanè iam olim ad ſpiritualem Chriſtianorum adminiſtrationem, præter Archipresbyteros, vel Decanos, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ populis Chriſtianis ſapientiſsimè à Chriſti Vicario (cuius dignitas omnium eminentiſsima in ſummo omnium graduum faſtigio conſtituta in vniuerſam Chriſti Rempub. cunctoſque ordines poteſtatem exercet) præfecti ſunt. Quid enim? Nonnè vbi peculiaria ſunt munera, & certæ quædam ad communem vtilitatem inſtitutæ functiones, vt ſuprema aliqua poteſtas præcellat, quæ cæteras omnes moderetur, ad pacem, concordiam, & vnitatem tuendam, lumen ipſum naturæ, & ipſa recti regiminis ratio, maximè opus eſſe docet? Proculdubiò. Rectè ergo, cùm Chriſti Reſpub. corpus vnum ſit omnibus ſuis partibus abſolutum, Chriſtus Saluator noſter vnum quidem illi præfecit Principem Summa authoritate præditum, quam ipſe alijs Eccleſiaſticis Præſulibus impertiret, prout populorum ſaluti magis expedire iudicaret. Quæ Magiſtratuum, & Præſulum pluralitas, vt omnis prorſus confuſionis expers eſt, ita vnius Summi Principis

Sot. in 4. d. 20. q. 1. a. 2. Varg. lib. de hac q. Heruæ. li. de po. Papæ. Gabr. in can. Miſſæ, lect. 3. Veteres in 4 d. 18. & 20. ac 24.

S. Tho. li. 4 cont. Gent. c. 76.

Leo epiſt. ad Anaſt. 84.

cipis & Monarchæ Romani Pontificis Petri ſucceſſoris authoritati minimè derogare cenſenda eſt. Nam Cyrillus ſingulare quoddam ſignum ſupremæ poteſtatis eſſe tradit authoritatem creandi Magiſtratus, qui cum imperio & iuriſdictione, nomine eius qui præficit, eligit, vel creat, poſſit poteſtatem exercere in alios, vel iubendo vel iudicando. *Vos eſtis*, inquit ille ad Theodoſium Imperatorem, *& omnium ſupremarum dignitatum fontes, & ſupra omnem eminentiam, humanæque felicitatis principium & origo*. Fluit enim iuriſdictio à Regibus in Conſules, vel alios Magiſtratus, vt à Cōſulibus ad Prætores: quod Vlpianum & Modeſtinum Iuriſconſultos non obſcurè ſignificaſſe video. Et B.P. Auguſtinus perpendens, id quod in libro Numerorum legimus Dominum Moſi dixiſſe (cùm is conquereretur, quòd non poſſet ſolus onus regiminis ampliſsimi populi Iſraelitici ſibi commiſſi ſuſtinere) *Congrega mihi ſeptuaginta viros de Senioribus Iſrael, quos tu noſti quòd Senes populi ſint ac magiſtri: & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum: vt deſcendam & loquar tibi: & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris:* ait iſtam ablationem ſpiritus à Moſe, nō ſignificare diminutionem ſpiritus in eo, ſed quòd à Moſe in Seniores virtus proflueret. Præclarè quidem ille inquit: *Intelligimus nihil aliud Deum ſignificare voluiſſe, niſi ex eodem ſpiritu gratiæ illos quoque habituros adiutorium, ex quo habebat Moſes: vt & iſti haberent, quantum Deus vellet, non vt ideò Moſes minus haberet:* Nam & Paraphraſtes Chaldaicus, hanc Domini ſententiam, quaſi eam è proprio fonte hauſiſſet, ſic interpretatus eſt:

Cyril. de recta in Chriſt. fide.

Vlpia. ff. de Iuriſ. omn. Iudi. paſſim. Et l. 1. ff. ad legē Iuliam. de ambitu.

Num. c. 11.

Aug. q. 18. in lib. Num.

ואתגלי ואמליל עמך תמן וארבי מן רוחא דעלך ואשוי עליהון
ויסוברון עמך במטול עמא ולא תסובר את בלחודך׃

Veithgli vaamallel nghimmach tāman veerabbi min rucha danghalach vaaſciauui nghalehon viſobherun nghimmach bematul nghāma vela theſobhar atte bilchodach. Hoc eſt: *Et reuelabor & loquar tecum ibi: & augebo de ſpiritu qui eſt*

ſuper te, & ponam ſuper eos: & ſuſtinebunt tecũ onus populi, & non ſuſtinebis tu ſolus. Iam verò ſi hæc Syriacis literis ſcribantur (quòd, cùm omnia Chaldaica, ſiue Syriaca ſint, aptiſſimè fieri poteſt) & illa verbum ex verbo transferamus apertiorem noſtram reddent ſententiam. Sic enim Syri legunt:

ܘܐܬܓܠܐ ܘܐܡܠܠ ܥܡܟ ܬܡܢ ܘܐܘܪܒ ܡܢ ܪܘܚܐ ܕܥܠܝܟ ܘܐܫܦܥ ܥܠܝܗܘܢ ܘܢܣܝܒܪܘܢ ܥܡܟ ܡܛܘܠܐ ܕܥܡܐ ܘܠܐ ܬܣܝܒܪ ܐܢܬ ܒܠܚܘܕܝܟ܀

Vethgle vemalel humoch tamon, vaureb menruhho dahlaic veſciaue hlaihun, van ſaibrun hamoch mattolo dhamo, vlo tſaibar ath balhhudaic. Id eſt: *Reuelabor & loquar tecum ibi, & magnificabo ex ſpiritu, qui eſt in te, & expandam,* (ſiue diffundam, vtrumque enim verbum ܫܦܥ ſciaui, propriè ſignificat) *ſuper illos, & ſuſtentabunt tecum pondus populi, & non ſuſtentabis tu ſolus.* Huc autem ſpectare mihi videntur quatuor illæ ſimilitudines, quibus Cyprianus ad rem noſtram expreſsè demonſtrandam vtitur: Sedem enim Petri cum capite, radice, fonte, & Sole aptiſſimè confert. At verò ſi corpus humanum conſideres, à capite membrorum virtutem deriuari: ſi arborem contempleris, proculdubiò ramorum omnem virtutem ex radice oriri: ſi ad riuos omnes oculos conuertas ex fonte aquam profluere: omnem denique radiorum ſolarium lucem à Sole ortam facilè reperies. Quamobrem Innocentius I. in ea epiſtola quam ad Concilium Carthaginenſe dedit, *A Petro,* inquit, *ipſe Epiſcopatus, & tota authoritas nominis huius emerſit.* Et alibi ad Concilium Mileuitanum ſcribens, *Arbitror autem,* ait idem, *omnes fratres & Coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, ideſt, ſui nominis, & honoris authorem deferre debere quod per totum mundum poſsit omnibus Eccleſiis*

Cypr. de vnit. Eccleſ.

Hæc Innoc. epiſt. eſt 91. inter epiſt. Aug.

Inter epiſt. Aug. eſt 93

clesiis in commune prodesse. Leonem quoque Sanctissimum Pōtificem huius fuisse sententiæ, qui illius Epistolas diligenter & accuratè perleget manifestè cognoscet: sic enim ille inquit: *Huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.* Loquitur autem Sanctissimus vir de modo legitimo, quo Deus Ecclesiæ suæ Principibus, idest Episcopis confert dona sua. Nō enim ipsum latere potuit Apostolos singulari quodam priuilegio à Christo Domino directè accepisse iurisdictionem omnem quam in vniuersum Orbem exercerent. Quo fit, vt in creandis Episcopis Romani Pontifices huiusmodi vtantur narratione: *Prouidemus Ecclesiæ. N. de N. & præficimus eum in* Patrem *&* Pastorem, *ac Episcopum eiusdem Ecclesiæ, committentes ei administrationem in temporalibus, & spiritualibus in nomine* Patris, *& Filij, & Spiritus Sancti, Amen.* Nec vllus tamen vnquam extitit Catholicus Doctor, qui Summos Pontifices, vel minima dignos reprehensione existimaret, quod hac verborum serie Episcopos creare consueuerint. *Leo. epi. 89.*

Quòd si ordinem & dignitatem Episcopalem ab ipso Deo directè institutam fuisse liquidò constat: profectò, quemadmodum Regia authoritas non est simplex officium iudicandi (hoc enim munere quàm multi alij in Repub. funguntur) sed vera præfectura in rebus politicis, hoc est, potestas regendi homines sibi subiectos, imperando honesta, & vindicando turpia: ita etiam Episcopatus non est munus duntaxat concionandi, quod alij, qui Pastores non sunt populorum, ab Ecclesiarum Præsulibus instituti exercent, sed vera est præfectura Ecclesiastica, id est, potestas regendi populos sibi creditos. Vnde apud ethnicos etiam ἐπίσκοπος nomen erat Magistratus, nimirum Prætoris; & nomen Pastoris Episcopo tribui, alibi haud obscurè ex Diuinis literis ostendimus. Vt verò & *Vide Aristophanem.*

rectè

rectè & opportunè quæ vniuerso Christianorum cætui opus essent prouiderentur, & omnis perturbationis & confusionis ratio tolleretur, multis ab hinc sæculis præscripti sunt fines, distinctæque Ecclesiæ horum Præsulum administrationi subiectæ: vt quàm primùm aliquis Episcopus crearetur, sciret ad quos vsque terminos facultas iurisdictioque sua extenderetur; vni tantum Romano Pontifici, qui omnium caput est plena seruata authoritate ac potestate in inferiores omnes gradus, & Ecclesias nullis finibus circumscripta, nulla etiam exceptione, aut distinctione, in ijs, quibus Petro Apostolorum Principi successit, & quæ Christus Dominus illi donauit, restricta. Itaque (præclarè Illustriss. Dominus Cardinalis Gabriel Palæotus) sicut Sol & homo in generatione hominis se habent, quorum, cùm vtrunque sit agens principale, Sol tamen vniuersalis, homo verò singularis causa censetur: Eodem sanè modo, licet non quoad omnia, in Ecclesiastico ordine dijudicari solent Romanus Pontifex, & quilibet Episcopus: siquidem vtrique illorum conuenit animarum cura tanquam agentibus principalibus: longè tamen diuerso modo, Romano enim Pōtifici vt vniuersali, Episcopo autem vt singulari agenti, & quatenus capitis vniuersalis adiutor est, vocatus in partem solicitudinis, atque illa in prouincia, aut diœcesi, ac ea iurisdictionis potestate, quæ iuxta sacros canones illi data est, ad gubernandos populos, & dirigendos ad sempiternam felicitatem consequendam.

80. dist. per totum. & c. prouincia. 99. dist.

Arist. Phys. li. 2. tex. 26.

Caiet. 2. 2. q. 184. art. 8.

c. decreto. 2. q. 6.

S. Leo epist. 84.

CAP. V.

HÆc cum ita se habeant, sintque doctissimorum hominum sententijs explicata, sanctissimorum Patrum authoritate corroborata, Summornm Pontificum decretis illustrata, & Diuinis oraculis vndique firmata: non defuerunt tamen iam olim VValdenses, Marcilius de Padua, Ioannes VViclephus, Ioannes Hus; & nostris hisce temporibus Lutherus, Caluinus, & horum asseclæ, qui Ecclesiasticis Præsulibus authoritatem omnem condendi

nouam

nouam aliquam legem, aut diuinæ etiam legis transgressores puniendi facultatem omninò interdicere temerè conati sunt. Quorum audaciam & ijs, quæ in superioribus libris, & nuper à nobis dicta sunt, confutari, & impietatem redargui ratio ipsa ex Episcopali munere deducta apertissimè ostendit. Si enim Episcopi ita Ecclesijs præficiuntur, vt verè & re ipsa (quemadmodum & Principes Regnorum suorum) sint illarum Prouinciarum siuè dioeceseon, quarum curam & administrationem suscipiunt, primi Magistratus, profectò cùm illi Magistratus censeantur, quibus (teste Aristotele) datum est, de quibusdam non solùm deliberare, sed etiam, imò potissimùm, statuere: nemo, qui mentis compos sit, inficias ibit, ad Ecclesiarum Præsules spectare veras leges condere, quibus populi sibi subiecti parere teneantur.. Quibus enim spiritu Diuino afflante dictum est: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquiesiuit sanguine suo*: ij certè non docendi modo functionem, verùm etiam gubernandi regendique authoritatem accepisse declarantur. Quis autem adeò hebeti ingenio esse potest, qui non facilè percipiat, quanto hæc discrimine seiuncta sint: Doctoris officio fungi, alienaque duntaxat præcepta monstrare, & Rectorem esse? Quamquam, equidem, hoc Christi consilium fuit, vt ita illi Ecclesiæ Rectores constituerentur, vt simul etiã Doctores essent (quod Paulus Timotheo liquidò explicauit) Rectoris tamen, & Præfecti Ecclesiastici munus, maius quiddam complectitur. Qualis namque ille Rector tibi videbitur, qui nihil possit ipse præcipere? Qui, cùm videat scelera in Repub. grassari, æquissimo supplicio nequeat delinquentes afficere? Cuiusmodi obsecro is Gubernator est & Rector, cui cæteri sint potestate & authoritate pares? Cui obedientia neque deferatur vlla, neque debeatur? Atqui rectè prudenterque administrari, aut in officio contineri familiam nullam posse, nisi potestas

Lib. 4. Polit. c. 15.

Act. ca. 20.

1. ad Tim. c. 3.

Præ-

Præfecto adſit, & conſtituendi quod pro temporum hominumque conditionibus opportunum videatur, & corrigendi ſi quid in leges peccatum ſit, communis priſcorum omnium ſapientum ſententia fuit. Cùm verò mortalium ſtatus nuſquam conſtans, fixuſque perſeueret, ſed pro temporum & locorum diuerſitate lubricè varietur, minus quidem ſapienter Chriſtianæ Reipub. proſpectum fuiſſet, ſi nullam eius Rectores ferēdi leges poteſtatem accepiſſent. Acceperunt autem proculdubiò eam iam olim à primis Eccleſiæ initijs, eaque pollent nunc etiam Eccleſiaſtici Præſules, nec vnquam in Chriſti Repub. deſiderabitur, oblatrent licet impij cacodæmonis miniſtri. Hoc enim idcircò á Paulo & commendatum, & expreſsè traditum præceptum legimus: *Obedite Præpoſitis veſtris & ſubiacete eis: Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Qui ergo Pauli præceptum, quo, omnem animam ſublimioribus poteſtatibus ſubditam eſſe oportere, tradidit, libenter & ſuſcipiunt, & vt Eccleſiaſticam deprimant poteſtatem paſſim amplificant, æquè perpendant, ſimiliter Paulum præcepiſſe, vt cuncti qui Chriſtiani cenſeri velint Eccleſiaſticis obtemperent Præfectis: quibus profectò præcipientibus niſi neceſſariò obediendum eſſet, nec iure præeſſe exiſtimarentur, nec Paulus diceret, *Qui benè præſunt Presbyteri duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Quòd in priori quàm ad Theſſalonicenſes ſcripſit epiſtola ita repetit Apoſtolus, vt à ſubditis ſtrictè exigat, vt pro illis impenſius preces fundant apud Deum: nec obedientia modo & fide, ſed charitate etiam illis præſtò ſint. *Rogamus*, inquit, *vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos: vt habeatis illos abundantius in charitate: propter opus illorum pacem habete cum eis.* Hoc eſt: benè agatur cum illis apud vos: nam pacis nomen hoc loco honorem, decus, curam, ſtudium, atque officium omne oportunum ſignifi-

Hebr. c. 13.

1. ad Tim. c. 5.

1. ad Theſſ. c. 5.

ficat. Quid deinde Paulus, ad Corinthios ſcribẽs, indicare voluit, cùm dixit: *Quid enim mihi de his, qui foris ſunt iudicare? Nam de his qui intus ſunt vos iudicatis*: nunquid ſolam ſibi docendi facultatem vendicauit? Nihil minus profectò. Illos enim, qui idolorum cultui vacabant, & docere poterat, & re ipſa docuit Apoſtolus. Quid ergo ait? Certè quòd nondũ illi baptiſmi gratiam ſuſcepiſſent, alienos à Chriſti Repub. iure optimo reputauit, ac propterea iuriſdictionis ſuæ poteſtatem in eos ſe exercere minimè poſſe, quæ ad ſubditos duntaxat extenditur, æquiſſimè dixit. In eos tamen, qui ad Chriſti familiam pertinerent, Eccleſiarum Præpoſitis animaduertendi facultatem, ſi inobedientes ſeſe præſtarent, elargitam eſſe, apertè oſtendit idẽ ad Corinthios quoque ſcribens. *In promptu*, inquit, *habentes vlciſci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit veſtra obedientia*. Et rurſum *Prædixi, & prædico vt præſens vobis, & nunc abſens ijs qui antè peccauerunt: & cæteris omnibus, quoniam ſi venero iterum non parcam*. Et alibi: *Vultis in virga veniam ad vos?* Et, *ſi is, qui frater nominatur inter vos, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cùm eiuſmodi nec cibum ſumere*. Quanta verò ad condendas leges polleant authoritate, ex eo, quod à Luca ſcriptum extat, haud obſcurè colligi poteſt: nam Paulus, inquit, *perambulabat Syriam, & Ciliciam, confirmans Eccleſias: præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum*. Denique, diſciplinæ ratio in omni Regno, Ciuitate, Familia adeò neceſſaria ſemper habita fuit, vt, vbi illa colitur, ſtent illa ſuis viribus integra, membrorumque iucunda pace lætentur. Vbi verò negligitur, quaſi corporis ſoluta cõpage, diffluant vniuerſa. Quamobrem Paterfamilias noſter Chriſtus Dominus aſcenſurus in cælum ſeruum vnum conſtituit ſuper familiam ſuã vt ei præberet cibum in tempore; ad cibum autem familiæ Chriſtianæ potiſſimùm leges iuſtæ & ſalutares ſpectant: vt iam dubitare nemini liceat de ea, qua, præ cæteris omnibus, Chriſti familiæ Præpoſiti authoritate poteſ-

1.Cor. ca. 5.
2.Cor.c. 10. & 13.
1.Cor.ca. 5.
Act.ca. 15.

tateque pollent tam ad coercendos inobſequentes, quàm ad condendas leges tempori congruentes, quibus illa regatur.

Quoniam verò Brentius, dum in leges Eccleſiaſticas ſæuiret, in tantam redactus eſt inſaniam, vt, quo omninò eas refringeret, non dubitauerit aſſerere, Chriſtum ipſum (quem & Redemptorem, & Legislatorem, & ciuitatis ſanctæ Exædificatorem vniuerſus orbis Chriſtianus cognoſcit, confitetur, prædicat, & vniuerſa Scriptura Sacra paſſim reſonat) nullas prorſus leges condidiſſe, neque etiam huius rei gratia in hunc mundum veniſſe; lubet, pauciſſimis quidem, manifeſtiſſimis tamen rationibus execrabilem iſtam hominis impietatem ita ante omnium oculos proponere, vt illius etiam ſectatores, eam maximè deteſtari oportere, velint, nolint, confiteri cogantur. Cùm enim impius homo in eam Domini ſententiam incidiſſet; *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos;* tanto verborum ponde-

Ioan.c.20. re preſſus, maximam eſſe Eccleſiaſticorum Præſulum authoritatem, ſecum ipſe perpendens, nec vllo modo eam ſe impugnare poſſe attentè conſiderans, quin priùs Chriſtũ Dominum legislatoris munere omninò ſpoliaret, eò tandem prorupit, ne in Eccleſiaſticum ordinem conceptum odium deponeret, vt aſſeruerit Chriſtum, non quo nouã aliquam Politiam inſtitueret, vel nouas leges ſanciret, ſed vt Euangelium homines doceret, à Sempiterno ſuo Parente in mundum miſſum fuiſſe. Quare, inquit, quanto magis Epiſcopi, & ipſe etiam Romanus Pontifex, gloriantur ſe ſucceſſores Apoſtolorum eſſe, & Chriſti in terris vices ſuſtinere, tanto minorem habent authoritatem condendi nouas leges. Hoc autem quid abſurdius, aut à Sacrarum Scripturarum veritate magis alienum vnquam excogitari potuit? Nonne ille veteribus abrogatis Moſaicæ legis inſtitutis, noua ſuffecit, quæ à populo Chriſtiano perpetua obſeruatione tenerentur? Certè nos haud obſcurè in huius operis initio oſtendimus veteri Paſchate

remo-

remoto, nouum deinceps iussisse offerri, quale in vltima Cœna ipse ad similitudinem Melchisedechis obtulerat, cùm præcepit strictè, legemque tulit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quis etiam alius legem illam condidit, quæ omnibus ijs qui salutem sempiternam consequi velint, baptismi suscipiendi necessitatem facit? Nullus profectò nisi Christus hoc instituit: *Nisi quis*, inquit, *renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest intrare in Regnum Dei.* Quæ verò ad sacrum Coniugij fœdus & sacramentum apprimè spectant, quis eius authoritate negare audebit ad primam institutionem fuisse reuocata? Denique (quod ipsi sæpe commemorauimus) cùm alios quidem Apostolos, alios autem Euangelistas instituerit, alios Pastores & Doctores, hisque vnum præfecerit Summum omnium Præsulem, à quo cæteri fidei & Religionis normam susciperent, &, si quandò laberentur, ad viam Regiam reducerentur; omnesque, qui Christo nomen dedissent, in officio ita continerentur, vt non essent, tanquam paruuli fluctuantes, & circunferentur omni vento doctrinæ, in nequitia & astutia hominum: nonne politiam in ciuitate sua sancta Hierusalem nouam instituisse apparet? Et quis est, qui adeò insaniat, vt hæc audeat negare? Ipse Christus Saluator noster Ecclesiam suam extruxit super petram. Ipse duodecim iecit fundamenta, portasque duodecim, quibus inscriberentur nomina duodecim Apostolorum, constituit. Non est autem quòd mirùm alicui videatur, si, quem dedit Pater caput super omnem Ecclesiam, quem constituit Regem in monte sancto suo, noua in Ecclesia sua fecit omnia; nam & à Sacro Vate longè ante prædictum fuerat: *Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam, & iam non erunt in memoria priora.* Iam sic colligamus: Christus Dominus potestatem habuit condendi nouam legem, & reipsa nouam instituit Rempub. quam nouis institutis cohonestauit: Ecclesiæ ac Reipub. suæ verè caput, sponsus, ac Dominus à Sempiterno suo Parente fuit institutus: sed *Esa. c. 65.*

hæc apertiſſimè indicant præcipiendi, atque coercendi authoritatem; ergo, quos ille miſit in vniuerſum orbem, ſicut ipſe à Patre miſſus fuerat, Apoſtoli, &, qui in eorum locum ſucceſſerunt, Pontifices & Epiſcopi leges quoque ferendi, & coercendi poteſtate, non modò miniſterio docendi Euangelicam doctrinam, inſtructi ſunt. Sed iam Brentium, eiuſque aſſeclas ijſdem, quæ in Eccleſiaſticos Magiſtratus parauerant, telis confoſſos demittamus: & quæ illis idem Dominus contulit beneficia, quibus eos donis locupletauit, quibus etiam priuilegijs cohoneſtauit, quos Reipub. ſuæ Principes & Paſtores inſtituit, luculentius adhuc demonſtremus.

Verùmenimverò, ſi vt par eſt, quæ Chriſtus Saluator noſter dum adhuc mortalis cum hominibus verſabatur: vel immortalitate iam donatus, poſtquam, parta victoria, de morte glorioſum egit triumphum, diſcipulos ſuos monuit, cùm eos de ijs, quæ ad ſempiternam animorum ſalutem conſequendam, & ad optimum Politiæ ſuæ ſtatum potiſſimùm ſpectant, ſapientiſſimè inſtituebat, religioſè contemplabimur, reperiemus omnium maximorum donorum, quæ Spiritu Sancto in terras miſſo diſcipulis ſuis eſſe præſtanda idem Dominus fuerat pollicitus, duo eſſe præſtantiſſima capita, quibus mirabilis quædam aliorum Chriſtianorum dogmatum ſumma continetur. Vnum quidem virtutis & Sanctitatis eorum, quibus illa felicitas communicaretur in teſtimonium eius veritatis, ob quam ipſe à Patre profectus in mundum venerat, & iterum relicto mundo ad Patrem reuertebatur. *Accipietis*, inquit, *virtutem Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* Alterum verò actionis, & efficientiæ ad cæterorum hominum publicam, priuatamque informationem, doctrinam, & ſalutem, atque adeò ad Politiæ Chriſtianæ ædificationem, & conſeruationem. *Cùm inducent vos in Synagogas, & ad Magiſtratus & Poteſtates, nolite ſoliciti eſſe qualiter, aut quid reſpondeatis,*

Act. c.1.

Luc. cap. 12.

deatis, aut quid dicatis. Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere. Et, iam iam aſcenſurus in cælum, dixit diſcipulis ſuis. *Adhuc multa habeo uobis dicere: ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Primi igitur optimi doni à Patre luminum præſtiti experimentum, ſapientia fuit cum eloquentia ac linguarum facultate coniuncta, indoctis aliàs, & rudibus, atque adeò barbaris exiſtimatis hominibus contingens; quod eos, qui adfuerũt, & experti ſunt Apoſtolos omnium Gentium idiomate vſos fuiſſe, in maximam admirationem traduxit. Non tamen ab re illud accidit. Nam ſiue hæc potiſſima munera, ſiue horum ſigna ſpectes: hoc eſt, portentorum copiam & authoritatem, pro rerum, ac temporum vſu: Sermonum facultatem diuino magis munere acceptam, quàm humani ingenij dexteritate, & ſtudio partam: Sanationum, atque beneficentiæ, opis, auxilijque omnis opportunè præſtandi, &, quod omnibus his ornamentum fulcimenque addit, fortitudinis ac perſeuerantiæ robur in Ieſu Chriſti amore firmatum, omnium humanarum virium metus expertem, & laboris omnis, atque ærumnarum, & incommodorum corporis contemnentem: omnia profectò hæc in humani generis auxilium & commodum à Chriſto Ieſu & promiſſa & data fuiſſe, facilè intelliges. Quos enim Spiritus Domini repleuerat, vt conſtantes ab omni metu, ab omnique humana vel inuidia, vel gratia, vel ſui ipſius cura, & ſiniſtro amore procul ſemoti, neque popularibus tumultibus, neque Principum potentiæ ac ſæuitiæ cederent: nec minis ac terroribus retinerentur, neque pœnis, tormentis, ſupplicijſuè frangerentur: nec demùm promiſſionibus, muneribuſuè vllis, quamuis maximis, flecterentur: horum certè multis varijſque periculis examinatum, compertum, exploratumque Chriſtianæ veritatis teſtimonium in communem hominum vtilitatem, doctrinam, & ſalutem hinc propriè petendam, & poſtulan-

Ioan. ca. 16.

landã atque certorum documentorũ ſtudio, exercitatione & vſu curandã, Diuinæ Sapientiæ cõſilio deſtinatum fuit: quippè cùm eos Paſtores & Doctores orbis terrarum Matth.c.28. cõſtituiſſet. *Data*, inquit, *eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Euntes ergò docete omnes Gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; docentes eos ſeruare omnia quæcunq; mandaui vobis: & ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationẽ ſæculi.* Quamobrem Chriſtus Ieſus, cùm ex mortuis victor, proſtrata morte, euaſit, de ijs, quos è miſera cacodæmonis ſeruitute liberauerat, ad peculiaris populi cõditionem ac dignitatem inſtituẽdis toto quadraginta dierum ſpatio quàm diligentiſſimè egit: vtque ad futuri ſtatus amplitudinem optandam, expetendam, & expectandam auidiſſimè excitarentur, interdum arcano, aperto nonnũquam ſermone ſuos inſtituit & adhortatus eſt: eademque opera ad miniſteria eidem præparando populo opportuna & apta varijs muneribus, donis, ac virtutibus, eos, quos delegerat, auxit, illuſtrauit, adornauit, atque horum miniſteriorum vim, efficacitatem, vſum, propagationem, ac ſtabilitatem docuit: vt incomparabilem Reipub. ſuæ felicitatem, & in ea inſtituenda diuinæ ſapientiæ magnitudinem apertiſſimè præſignificaret: cùm eos illi Magiſtratus præfecerit, qui diuinis myſterijs, & ſacramento initiati, ac Spiritus Sancti munere inſtructi, virtuteque muniti & firmati tutò eos, qui ſeſe illis crederent, ad ſempiternam animorum ſalutem conſequendam dirigerent, ad æternamque felicitatem, & nullo vnquam æuo interituram beatitudinem perducerent: quo ſanè nec aliquid Reipub. Chriſtianæ glorioſius, nec populis militiæ Chriſti adſcriptis vtilius excogitari potuit. Si enim ſumma cuiuſuis ciuilis Politiæ felicitas in eo poſita & cõſtituta veteribus Philoſophis videbatur, ſi eam ſapientes viri adminiſtrarent & moderarentur: quale illud eximij beneficij donum in mortales à Chriſto collatum fuiſſe exiſtimabimus, quo effectum proculdubiò eſt, vt, qui Magiſtri,

giſtri, Principes & Magiſtratus orbis terrarum conſtituebantur, tanta cælitus ſapientia donarentur, tantamque conſequerentur authoritatem, vt tam de eorum doctrinæ ſynceritate, quàm de publica Eccleſiaſticæ Politiæ adminiſtrandæ ratione ſecuri iure optimo homines redderentur? Maius ſanè donum iſtud eſt, quàm vt illud humani ingenij vis, & efficientia aſſequi poſſit. Quod quoniam nullibi magis, quàm in Oecumenicis Concilijs, eminet, lubet de eorum origine, vſu, & authoritate, pro ingenij noſtri tenuitate, pauca quædam adnotare, ac lectori, & oculis inſpicienda, & mente contemplanda proponere.

CAP. VI.

AB orbe igitur condito ciuitatem à cacodæmone fundatam ſemper aduerſam, & oppoſitam fuiſſe Eccleſiæ à Deo noſtro conſtructæ diuinæ, & ſacræ literæ teſtantur. Neque enim illa hominum collectio, quam nimius amor ſui, & iniqua lex gubernat, atque moderatur, quæque iubet illos, quæ ſua ſunt, quærere, potuit non infeſtam hominum ſocietatem habere, cuius ſancta lex præcipit, quæ Ieſu Chriſti ſunt, inueſtigare, & ſummoperè diligenda perquirere. Hæc ergo cùm ſit illa prior, & antiquior, quicquid in Babylone diaboli ciuitate reperies, ab Hieruſalem ſupremi Dei magnifica ciuitate prius defeciſſe certò ſcias. Tanta eſt enim cacodæmonis inuidia, tantus furandi animus illi eſt inſitus, tantum odium in bonos ingenitum, vt ab ouili Dei nullo non tempore aliquid detrahere molitus fuerit. Rempub. enim omnipotentis Dei prius in Angelis, & hominibus inchoatã, quàm cacodæmon vllam ſibi in vtrouis genere partẽ ſuffuratus eſſet, ex antiquitate, & primis Eccleſiæ initijs, quæ demonſtrauimus, quiſquis facilè poterit euincere. Quam & eandem ſemper perſtitiſſe, & illius doctrinæ veritatem, & certitudinem perpetuò eſſe duraturam efficaciter cõprobauimus. Quemadmodum verò Dei ciuitas ſemel incepta, & inchoata ſemper perſtitit, ſiue in paucis, ſiue in multis conſeruata: ita diaboli ciuitas illa, quam ex homini-

In libris de uera Chriſt.

minibus in hoc sæculo sibi congregauit, ita semel diluuio interijt, vt nisi Cham ex maledictione patris sui illam instaurasset, neque cineres eius, neque vestigium vllum in terris appareret. Illorum igitur internecio posteris omnibus, qui in hanc vsque ætatem Babylonis muros reædificare moliti, summo studio, & diligentia impietatem suam aduersus orthodoxam Ecclesiæ doctrinam seminare, atque propagare cæperunt (si prudenti animaduersione rem totam perpendissent) omnem prorsus diuturnæ durationis spem abstulisset, seq. suis proprijs gladijs confodiendos vidissent: Ecclesiæ verò stabilitatem, atque perpetuitatem à Deo promissam (vel etiam si omnes neruos intendant) nullo vnquam æuo euertēdam proprijs oculis prospexissent. Quare infestissimus humani generis hostis longè præuidens impietatis ministros, quòd à Dei Ecclesia seiuncti, atque diuisi essent, conseruari minimè posse, dispersos, & dissipatos euertendos, & in interitũ ruituros: Ecclesiæ verò Filios, & Patres Ecclesiastica vnitate copulatos contra omnes aduersariorum incursus fortes persistere, & munitos vndique, & corroboratos conseruari, illorũ summæ fœlicitatis inuidus per hæreticos luporum rapacitate, & feritate (vt gregem Dominicum omninò perdat) quos Spiritus Sanctus ad vnitatem adducit, dispergere totis viribus conatur. Recentia igitur, & noua, atque impia dogmata tradere, & longè, latèque diffundere; recta verò viuendi instituta, atque pietatis doctrinam, quam tot sæculis sartam tectam Ecclesia catholica conseruauit, abrogare quoties per hæreticos nititur, quid aliud, quàm fidelium populorum ab vna sancta, & Catholica Ecclesia separationem quærere videtur? Intelligit enim eorum conspirationem, & concordiam minimè posse superari. Itaque vt lupus ouem à grege segregare, vt segregatam facilius inuadat: vt accipiter columbam ab agmine volantium seiungere, vt seiunctam commodius aggrediatur, creberrime solet: sic ille cùm non satis

sibi

ſibi virium eſſe aduerſus omnes arctiſſimo concordiæ vinculo coniunctos exploratum habeat: ſeparationem quærit, vt ſingulos circumueniat: atque in hoc maximè laborat, vt, ſi quos poſſit à toto corpore ſeparare, quibus opportunius inſidias machinetur. Hanc itaque diſtractionem ſummo ſemper ſtudio cauendam eſſe orthodoxi, & catholici patres exiſtimarunt. Nam diuus Pater Auguſtinus vertex Theologorum nullum crimen ſacrilegio ſchiſmatis maius, aut ſceleſtius eſſe, & ad Rempub. euertendam funeſtius, atque pernicioſius, quàm multis ſacræ paginæ teſtimonijs contra Parmenianum comprobauit: quòd ad impietatē aditum patefacere ſoleat. Nam ſi Eccleſiæ annales memoria repetamus, & hæreticorum, qui præteritis temporibus Eccleſiam vexarunt, machinationes intueamur, perſpiciemus certè clandeſtinis colloquiis ab illis Eccleſiæ pacem prius oppugnatam, imperitorum hominum capitalia odia contra Eccleſiæ miniſtros concitata, cœcutientis multitudinis animos ad defectionem totis ſolicitatos viribus, vt illos tandem ad quoduis impietatis genus facillimè adducerent. Hoc artificio Valentinum, & Ptolomæum in vulgi ignari animos ſe inſinuaſſe tradit doctiſsimus Irenæus. *Hi enim,* ait ille, *ad multitudinem, propter eos, qui ſunt ab Eccleſia, quos communes Eccleſiaſticos ipſi dicunt, inferunt ſermones, per quos capiunt ſimpliciores. Poſtquam verò falſis, fictiſque querimonijs Eccleſiaſticos viros per ora hominum traduxerunt: cùm deieciſſent aliquos à fide per quæſtiones, quæ ſiunt ab eis, nec non contradicentes auditores ſuos feciſſent: his ſeparatim inenarrabile plenitudinis ſuæ enarrarunt myſterium, inſaniſque eos opinionibus inuoluerunt.*

Aug. cont. epiſ. Parm. lib. 5. c. 11. lib. 2. c. 1. & ſeq.

Iren. lib. 3. c. 15.

Quamobrem cùm ſolida, & firma pax Chriſtianæ Religionis, ſententiarum, & ſtudiorum conſenſione, tāquàm ſtabili fundamento conſtituatur: neque aliter vnus grex, & vnus paſtor ſimus, niſi id ipſum dicamus omnes, ſimuſque perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia; ab initio naſcentis Eccleſiæ, conſilio Spiritus Sancti, cuius illa

g pro-

prouidentia regitur, fuit institutum, vt cùm sacrilegis opinionibus Respub. Christiana deflagraret (quamuis ortas de fide controuersas placare, & mores proprijs in Ecclesiis componere ad Episcopos maximè spectet, quos de fide, & Religione populus audire, & consulere tenetur: quia nonnunquam, quod certè accidit, euenire potest, vt vel Præsul contra doctrinam à Spiritu Sancto patefactam doceat; vel è populo contra doctrinæ veritatem insurgant aliqui: & Pastoris sui iudicio nolint acquiescere: vel arduum aliquid: & difficile in dubium vertatur, quod domestico consilio nequeat dissolui: neque alia iam funestissimæ flammæ extinguendæ spes relicta videatur) Romani Pontificis, qui in vniuerso Christiano Orbe Christi vices obit, & cuius iuri omnium nostrum salus commissa est, opera & authoritate, Episcopi vnum in locum coacti (quorum consilijs, atque definitionibus Spiritus ille veritatis adest) falsas opiniones à veris sententijs secernerēt: errores funditus euellerent; hęreses extirparent: & sanam, veramque doctrinam, communi opera & studio indagata veritate, insererent: improborum verò perfugia omnia, concertantiumque aditus omnes obstruerent: omnes denique in vnum congregati (cui coitioni Concilij nomen inditum est) de eo, quod vnus perfectè definire non posset, maturiori, & prudentiori animaduersione iudiciū ferrent: & quemadmodum humani generis hostis per hæreticos suos ministros honesta disturbare machinatus, cōsentientem Ecclesiæ harmoniam disrumpere, diuellereque contendit; sic illi eos, qui Christo nomina dedissent, ad pacem, & mutuam concordiam adducerent; in fide, & vero vnius Dei cultu firmiter stabilirent.

Idcircò autem ad Ecclesiastica Concilia ij tantummodò vocantur, quorum cum munere sit coniunctum, in fidei hostes, quasi facto agmine, irruere, idest, Episcopi, atque principes Ecclesiæ, non omnes, & singuli de corpore; quoniam quemadmodum Naturæ, atque veræ rationis du-

ductu (si omnes ab initio hominum conuentus, ciuilesq. Societates mente percurreris, diligenterque consideraueris, siue Monarchias, Regna, imperia, liberosque cœtus vniuersos) humanum Concilium non ob aliud inuentum est, quàm vt res dubiæ à pluribus, ijsque prudentibus, & in rerum vsu versatis, &, quorum potissimum sit communi bono consulere, in commune consultantibus, rectius, quàm ab vno aliquo discuti, tractarique possint: Ita sanè Spiritus Sancti afflatu statim à primis Ecclesiæ initijs sanctissimi Heroes, vel vt Reipub. Christianæ valdè periclitanti subuenirent, vel de summis atque arduis rebus agerent, cum tanto Ecclesiæ prouentu conuenire consueuerunt, posteritatique veluti per manus celebrandorum Cõciliorum normam & rationem, atque in desperatis Ecclesiæ rebus vtilitatem summam, ne dixerim, necessitatem, ita auidè videntur tradidisse, vt Ecclesiastica Concilia, non humanum, sed Diuinum prorsus inuẽtum fuisse liquidò appareat. Quoties enim, vel hæresim recenter exortam destrui, vel vniuersæ Ecclesiæ mores formari, & vitia, quæ nonnunquàm in dominicum gregem irrepserunt, extirpari oportuit: instaurari deniq. toto penè Orbe collapsum Ecclesiasticę disciplinæ vigorem, atq. sacrilega schismata sarciri, & contentiosa dissidia componi opus fuit; vel litem aliquam, & controuersiam, grauissimam tamen, & ad vniuersam Ecclesiam spectantem, dirimi operæpretium visum est, Episcopi, & Ecclesiæ Primates ad Concilia coiuerunt: de re dubia grauiter, & maturè deliberarunt: atque communi sententia finem imposuerunt excitatæ controuersiæ. Quanuis enim Spiritus Sancti præsentia, & fidei stabilitas à Christo Ecclesiæ sit promissa, hoc est, vniuerso fidelium cœtui: non tamen vniuersus fidelium cœtus de rebus cõtrouersis iudicat: tum quia non omnes consuli, nec adiri possunt: tum quia non omnium sit de fide sententiam pronunciare. Fidei enim firmitudo, à Saluatore nostro Ecclesiæ promissa totam Ecclesiam à

vero nunquam aberrare posse manifestè demonstrat: at de rebus fidei iudicandi potestatem habere, minimè vnquam gentium. Aliud namque est firmum, & stabile esse: aliud à seipso firmitatem accipere, & firmandi alios vi, & authoritate pollere. Totum Ecclesiæ corpus firmum est: Christi corpus est; Spiritum Dei habet. Non tamen omnes, vel seipsos, vel alios confirmare possunt. Sunt enim in corpore Ecclesiæ gratiarum diuisiones, & diuisiones ministrationum, & non omnes Apostoli, non omnes Prophetæ, non omnes Doctores, inquit Paulus, *Vnicuique autem nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* Et ne gratiam illam, quæ singulis ad rectè viuendum, & credendum necessaria est, solummodò intellexisse videretur, sed & potestatem istam iudicandi, ac docendi, quæ etiam gratia gratis data est, adiecit protinus: *Ascendens Christus in altum dedit dona hominibus.* Quæ? *Dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores.* Non ergo promiscuè, & confusè toti corpori Ecclesiæ data est gratia: sed secundùm mensuram certam: Nec profectò hæc de rebus fidei iudicandi potestas omnibus, vel toti corpori, sed quibusdam eius partibus concessa est, ijs, inquam, quorum cum regendi munere sanam doctrinam tradere, vera à falsis dogmatibus secernere, & errores, veluti funesta pabula euitare coniunxit; hoc est, Episcopis, & Ecclesiæ Principibus.

1. Cor. 12.

Ephes. c. 4.

CAP. VII.

HInc cùm Antiochenses de Circumcisione quęstionem sedari, atque restingui voluerunt, Paulum, & Barnabam Hierosolymam miserunt, qui cum Apostolis tantummodò, & Senioribus, siue Presbyteris, hoc est, cum primarijs Ecclesiæ viris negotium sedulò conferrēt, quos solos B. Lucas post longam, & maturam consultationem rem finiuisse, & publico decreto, quid tenendum, faciendumue foret, præscripsisse affirmat. Iamuerò quamuis Presbyteri apud Græcos, etiam ætate prouectiores, cuiuscunque ordinis illi sint, dici consueuerint: Paulus tamen, & Lu-

& Lucas Ecclesiæ Præsides, qui cæteros dignitate, & authoritate præcedũt, quoties Presbyteri nomine vsi sunt, absque dubiò intellexerunt. Non enim cùm Lucas ait à Paulo, & Barnaba constitutos per Lyciam, Iconiam, & Antiochiam Presbyteros: Neque Paulus cùm Timotheo scribit; vt, qui bene præsunt, Presbyteri duplici honore digni habeantur: Cum item Tito in memoriam reuocat Cretæ relictum fuisse, vt, quæ deerant, corrigeret, & constitueret per singulas ciuitates Presbyteros, & Timotheũ adhuc adolescentem Presbyterum vocat, alios, Presbyteri nomine significauit, quàm qui sunt munere, & dignitate præstantes. Idque ex ipsius Pauli epistola, quam ad Titum scripsit, satis apertè liquet. Cùm, enim, qui ciuitatibus præficiendi essent Sacerdotes veluti quibusdam coloribus dipingens, dixisset (*si quis sine crimine est, vnius vxoris vir filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos*) protinus adiecit, *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non iracundum &c.* Vnde Ioannes Chrysostomus in eam sententiam adductus est vt existimarit non communes quosque Presbyteros, sed, Episcopos ab eo diuersis ciuitatibus instituendos, Paulum Tito mandasse. Quamobrem cùm Christus non tam gradus, quibus Ecclesiam Regi constituit, certis nominibus distinguere curauerit, quàm functiones distribuere, & munera cuique propria, atque pecularia designare constituerit: Apostoli, qui diuino instinctu ad plebem erudiendam totos se comparauerant, à Græcis eas voces sunt mutuati ad Ecclesiæ Ordines significandum, quæ ad cuiusque munera exprimenda cum primis aptæ videbantur. Hinc, Diaconatus vocem, quæ apud veteres quoduis ministerium significat, illi ordini accommodarunt, qui, cùm ad Sacerdotum dignitatem proximè accedat in ministrãdo, dum Sacra faciunt, Presbyteris, potissimùm versatur. Idque ex veteribus Concilijs, maximè verò Carthaginensi quarto liquet. Cùm ergo illorum, qui Ecclesijs præficiuntur, proprium

Act. c. 13. *1. ad Tim. cap. 6.* *Ad Tit. c. 1.* *Tit. 1.* *Chrysost. in epist. ad Titum hom. 2.* *Conc. Carth. 4. cap. 37. 38. 39.*

prium munus ſit, vigilantibus curis pro grege Domini excubare, illiuſque rationibus ſumma diligentia prouidere, Epiſcopos, hoc eſt, ſpeculatores, & obſeruatores eos dixerunt. Vnde conſtat, authore Hieronymo, Iacobum Apoſtolum ſtatim poſt Chriſti obitum fuiſſe cõſtitutum Hieroſolymorum Epiſcopum. Tranſiit quippè cum ſua ſignificatione, atque proprietate in Eccleſiam vox Græca ἐπισκοπόντες id eſt, ſuperintendẽtes, vt inquit Hieronymus. Tali enim nomine, vt ait Suidas, dicebantur inſpectores, & cuſtodes, quos Athenienſes, ad ciuitates ſuo Imperio, ditionique ſubditas mittebant: vt in cuiuſque mores, & inſtituta, & viuendi rationem inquirerent. Ad hoc, niſi fallor, alludit Cicero ad Atticum ſcribens: Sic namque inquit: *Vult enim me Pompeius eſſe, quem tota hæc campania, & maritima ora habeat Epiſcopum*. Vocabantur etiam à Lacedoemonijs ἁρμόσαι quaſi Prouinciarum cõſtitutores. Quo etiam nomine Dionyſius Areopagita Eccleſiæ Antiſtites deſignat. Quoniam verò ipſa pietatis ratio poſtulat, vt maximam illis obſeruantiam, & reuerentiam exhibeamus, à quibus ad Religionẽ informamur, atque ad officium colendum cæleſti authoritate impellimur, vniuerſum Sacerdotum Ordinem, quo etiam Epiſcopi continentur, (authore Anacleto) Presbyterorum, hoc eſt, Seniorum vocabulo complexi ſunt: cùm vel ipſa natura ſenectutem obſeruare, colere, & reuereri doceat. Doctiſſimus tamen Irenæus ita Presbyteros definiuit, vt ſolos Epiſcopos intellexiſſe videatur. *Quapropter*, inquit ille, *qui in Eccleſia ſunt, Presbyteris obedire oportet; his, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione Chariſma veritatis certum ſecundùm placitum Patris acceperunt.*

Hier. de ſcriptor. Eccleſ. — *Epiſtol. 85. Ad Euagr.* — *Suid. in hiſt.* — *Lib. 7.* — *Iren. lib. 4. cap. 43.*

Verum cùm olim commune fuiſſe videatur Presbyteri vocabulum tam Apoſtolis, quàm cæteris inferioris ordinis Sacerdotibus: reipſa tamen fuiſſe diſtinctos omninò Presbyteros ab ipſis Apoſtolis, ipſorum acta ſatis ſuperque declarant; in quibus legitur: *Cum autem veniſſent Hieroſoly-*

Act. c. 15.

ſoly-

ſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia, & Apoſtolis, ac Senioribus. Et rurſus: *Conuenerunt Apoſtoli, & Seniores videre de verbo hoc.* Atque iterum: *Tũc placuit Apoſtolis, & Senioribus cum omni Eccleſia &c.* *Act. cap. 15* In literis item ab Apoſtolis ex Cõcilio Hieroſolymitano Antiochiã miſſis habetur: *Apoſtoli, & Seniores fratres his, qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ.* Scio equidem Hieronymum tum in commẽtarijs epiſtolę Pauli ad Titũ, tum etiam, in quadã quam ad Euagrium ſcripſit epiſtola, haud obſcurè dixiſſe, apud veteres eoſdem fuiſſe Presbyteros, quos Epiſcopos: paulatim verò vt diſſentionum ſeminaria euellerentur ad vnũ omnem ſolicitudinem eſſe delatam. *Hie. in com. & epiſt. 85.* *Sicut*, inquit ille *Presbyteri ſciunt ſe ex cõſuetudine Eccleſiaſtica ei, qui ſibi Præpoſitus fuerit, eſſe ſubiectos: ita Epiſcopi nouerint, ſe magis conſuetudine, quã diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe maiores, & in commune habere Eccleſiam regere, imitantes Moſem, qui cùm habuerit in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, ſeptuaginta elegit, cum quibus populum iudicaret.* Nec etiam me latet ex his perperam acceptis noſtri temporis hęreticos occaſionem arripuiſſe detrahendi Epiſcopali dignitati, tanquam ex mala cauſa in Eccleſiam irrepſerit, & à Chriſto minimè inſtituta fuerit. Quam illi hæreſim cũ Aerio Hęreſiarcha iã olim ſepultã ab orco reuocarunt. Is enim, vt Epiphanius narrat, iniquo animo ferens ſibi Epiſcopalem dignitatem, nunquam fuiſſe delatam, quin potius ſe prætermiſſo Euſtathium eius æqualem & condiſcipulum Epiſcopum fuiſse creatum: alienam dignitatem ſuam ignominiam reputans, multoque facilius impietatis crimen, quàm ambitionis dolorem ſe poſse ſuſtinere confidens, Pontificiæ dignitatis amplitudinem oratione extenuandã ſuſcepit, vt ſcelere & impietate inuidiæ mederetur. *Epipha. hære. 75.* Hinc inſanus & ſacrilegus homo ita Sacerdotes, quos ſimplices hominum vulgus appellat, cũ Epiſcopis æquari & conferri poſse exiſtimauit, vt ea ſolummodò ratione ductus, quòd Presbyteri nomen apud veteres duos Sacerdotij gradus contineri intellexiſset, inter Epiſcopum & Presbyterum nullum omninò

ninò constitui posse discrimen rabido ore prædicauerit. Quantum verò ab hac impia sententia Hieronymus abhorruerit ipsius scriptis apertè testatū est. In eamet enim epistola quam ad Euagrium scripsit, longè maiori dignitate sublimen, etiam in sedendo, fuisse Episcopum, ampliorique auctum officio in manus impositione, vt ipsius tantùm non autem Presbyteri sit id munus, contra impij Aerij dogma egregiè profitetur. *Nam & Alexandriæ à Marco Euangelista,* (inquit Sanctissimus Doctor *vsq. ad Heraclam & Dionysium Episcopos Presbyteri semper vnum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominant: quomodò si exercitus Imperatorem faciat.* Nec verò illud silentio prætereundum esse censeo, quod ibidem inquit: Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus quod Presbyter non faciat? Cùm enim Epiphnanius accuratè hoc singulare Episcopi munus perpendisset, maximum ex eo inter Episcopum & Presbyterum discrimen constitutum asseruit. Sic namque ille ait: *Dicere illum Episcopum & Presbyterum æqualem esse, quomodo erit possibile? Episcoporum enim Ordo, patrum generator est; Patres enim generat Ecclesiæ: Presbyterorum verò non potens generare Patres, per lauacri regenerationem generat filios Ecclesiæ non tamen Patres, aut Doctores. Et quomodo possibile erat Presbyterum constituere, non habentem manuum impositionem ad eligendum, aut dicere ipsum æqualem esse Episcopo?* Quòd certè sæpè alias repetit Hieronymus. Et in eamet epistola ad Euagrium à nobis sæpè commemorata, & ad Nepotianum, quemadmodum ab Aarone cæteri differebant Sacerdotes, ita in Ecclesia eodem gradu Episcopos à Presbyteris differre, firmiter asseuerat. Quam excellentioris dignitatis amplitudinem non humana consuetudine post oborta in Ecclesia schismata, sed iam olim, ipso nascentis Ecclesiæ initio ab Apostolis quidem obseruatam, cælitus verò institutam, docet idem Hieronymus in commentario aduersus Luciferianos. *Non quidem,* ait ille, *abnuo esse Ecclesiarum consuetudinem, vt ad eos, qui longè in minoribus vrbibus per*

Epist. ad Euagr.

Epiph. hær. 75.

Hierony. Ad Nepotia. epist. 2.

Presby-

Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad inuocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat. Et paulo post. *Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum Sanctum, quem nos asserimus in verò baptismate tribui? Disce hanc obseruationem ex ea authoritate descendere, quod post Ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit.* Tandem, inquit Hieronymus; *Ecclesiæ salus in Summi Sacerdotij dignitate pendet: cui si non exors quædam, & ab hominibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata, quot Sacerdotes. Inde euenit, vt, sine chrismate & Episcopi iussione, neque Presbyter, neque Diaconus ius habeant baptizandi.* Denique, ad Euagrium, ad Marcellam, & ad Heliodorum scribens necnon in commentarijs vaticinij Michææ, & pluribus alijs in locis Episcopalem dignitatem ex diuina institutione promanasse constanter asserit, quoties docet Episcopos loco Apostolorum successisse. Si enim in sæculi Magistratibus experimur eum, qui in alterius locum suffectus est, idem cum illo rectè dici principium deducere, & potestatem, quo prædecessor est munere auctus, ac dignitate prelatus; eadem proculdubiò (quod omnium orthodoxorum sententia receptum esse video) origo & dignitas Episcopatus, quæ & Apostolatus iure censebitur. At Apostolicam dignitatem à Christo Domino directe fuisse institutam, qui sacri Euangelij scriptores attentè perlegerit, maioribus quasi theatris propositum esse fatebitur. Reliquum igitur est, vt, cum Episcopi in illorum sint locum suffecti, ex eodem planè fonte Episcopalis dignitatis amplitudinem hauserint, & prærrogatiuas susceperint. Quamobrem maiorem Presbytero Episcopum esse, quippe quem sub se continet, & exploratissimum reor & ab Hieronymo minimè ignoratum liquido constare arbitror. Quo fit vt Tridentini Patres definientes, Episcopos Presbyteris superiores esse, illorumque, non Presbyterorum, cæterorumq. clericorum munus esse ordinare, confirmare, & quædam alia facere, nec ab Hieronymo dissentiant;

Cont. Lucif.

Epist. 85.

Epist. 54.

In c. 2. Michææ.

Idem epi. 2.

h nec

nec Hieronymus à Spiritu Sancto positos in Ecclesia Dei Episcopos fuisse neget: cùm id de Presbyteris, quos Episcopos esse contendit, apertè asseruerit. Episcopos ergo inter se pares facit, quoad ordinationem scilicet, non Episcopis Presbyteros cōfert, vt nonnulli perperam existimarunt, neque Diaconos Episcopis, vt somniauit Erasmus, æquat. Dum autem ait vnum à cæteris assumi, qui posteà sit Episcopus, electionem talem respicit, qualis hodie in Germania fieri ab Ecclesiarum capitulis solet. Quod verò Erasmus ait Hieronymum minus Episcopis tribuere, quàm temporibus his illi possideant; & quod minus etiam tribuisset, si nostros vidisset Antistites: manifestè demonstrat hominis impietatem, & in Episcopalem dignitatem conceptum odium: antidoti enim nomine venenum fundit dum nullam obtrectandi sanctissimis Præsulibus occasionem omittit: nam Hieronymum & Episcopis, & Presbyteris maximum semper detulisse honorem, multis in locis puto eum legisse, nisi vltro memoriam deposuerit, vt in Epistola prima ad Heliodorū, in secunda ad Nepotianū, & alibi sępissimè: quem honorem nūc etiam si viueret defferret, dignitas enim & authoritas illis relicta, nec tempore, nec scelere commutantur.

Quid ergo dicendum nobis erit? Certè quemadmodū apud Iudæos, etiam Apostolorum ætate prisca illa vigebat consuetudo, vt Seniores vnà cum Principibus Sacerdotum ad Concilium conuenirent, atque sententiam rogati dicerent (quod multis in locis testantur Sacri Euangelij Scriptores, Matthæus, & Lucas) sic etiam ab Apostolis Seniores ad Concilium admitterentur, non quidem vt in causa fidei, atque Religionis Iudices sederent; sed vt in causæ discussionem simul incumberent, & operam nauarent. In Hierosolymitano ergo Concilio Apostolos Iudices sedisse, vt litem omnem, & controuersiam dirimerent, Presbyteros verò, vt cum illis Apostoli rem conferrent, interfuisse dicimus: qui cum simul omnes controuer

Act. ca.11.

Math. c.14. 27.28.

Luc.20.22. & Act. 4.

siam

ſiam diſcuſſerint, ſoli tamen Apoſtoli, rem iudicauerunt: & de controuerſia exorta ſententiam protulerunt. Nam, præter Petrum, Paulum, & Barnabam, & Iacobum, nemo à Luca introducitur, qui vel verbum vllum fecerit. Apoſtoli ergo, & Seniores, ſiue Presbyteri, ideſt, Epiſcopi, & Sacerdotes conuenerunt, vt viderent de verbo hoc: non quòd de re ipſa aliquid dubitarent (ait venerabilis Beda) ſed vt mentes dubitantium Apoſtolicæ Synodi authoritate firmarentur. Cùm enim Spiritus Sanctus Præſulum in vnum coeuntium mentes cæleſti virtute informet, & ſplendore irradiet, Conciliorum profectò placita, & definitiones, non vt humanæ voces, ſed vt diuina oracula, accipienda ſunt. Act. c. 15.

Non tamen me latet ex hominum ferè quatuor ordinibus, quibus vniuerſa continetur Eccleſia, in more ſemper poſitum fuiſſe, quam multos œcumenicis Concilijs intereſſe. Nam ex Presbyteris, qui Diuinarum, humanarumque rerum cognitione pollerent, & pietate perilluſtres, & conſpicui eſſent, tum vt differendo Epiſcopos in cauſæ diſcuſſione iuuare poſſent, tum vt miniſteria alia exercerent, ad Concilia ſunt vocati. Principes, quoque, Reges, & Imperatores Concilijs interfuiſſe, quandoque legimus: non quidem, vt aliquid ipſi de rebus ad fidem pertinentibus ſtatuerent; vel ſibi earum cognitionem, vel iudicium vſurparent: ſed vt authoritatem, vnitatem, & concordiam Concilij tuerentur, & quæ ſalubriter eſſent in eo conſtituta, quàm diligentiſſimè curarent ab omnibus ſanctè obſeruari: atque veluti decretorum conſcij, & teſtes contumaces poſteà, & tranſgreſſores acriter punirent. Non enim fruſtrà Reges gladium gerunt. Nonnullos etiam ex priuatis hominibus ad munera alia obeunda Concilijs intereſſe inueterata conſuetudo obtinuit. Verùm, vt ſuffragium ex munere ferant, vt de fide Iudices ſedeant, illi tantummodò vocantur, quos Spiritus Sanctus ſtatuit Epiſcopos ad regendam Eccleſiam

Dei. Ex priuilegio tamen, & consuetudine Cardinales, Abbates, & cœnobiorũ Generales Præfectos, etiam si ad Episcopatus dignitatem, & amplitudinem assumpti non sint, inter Episcopos consedisse legimus. Quod nouum beneficium illis obuenisse ex Cõcilij Calcedonensis actis liquidò apparet: in quo simul cum Episcopis locum obtinuerunt Abbates: & ex Florentino, Lateranensi, & Tridentino, quibus non ex veteri iure, sed Imperatorum, & Romanorum Pontificum beneficio Abbates, & Cœnobiarchas subscripsisse manifestè patet.

Episcopis ergo, & Ecclesiarum Præfectis capitis, id est, Romani Pontificis authoritate, & iussu congregatis œcumenicum Concilium potissimùm constat: quorum curæ, & prouidentiæ gregem suum salutaribus præceptis instituendum, & vera Religione imbuendum Christus Dominus commisit. Est enim, est vera dogmata à falsis secernere, & salutaria pabula à nocẽtibus, & exitiosis separare cum hoc pascendi munere vsque adeò deuinctum, & copulatum; vt nulla alia ratione permotus Diuus Pater Augustinus plenarij Concilij sententiam totius Ecclesiæ consensionem appellarit, quàm quod œcumenicum Cõcilium ea omnia membra contineat, quæ de Religionis nostræ mysterijs sententiam ferre & possunt, & debent. Vnde quemadmodum Senatum, ciuilesque Magistratus, quòd Rempub. gerant, atque moderentur, ciuitatem veteres dixere: sic sanè qui Ecclesiarum administrationi pręfecti sunt, cùm legitimè in vnum coeunt, iure optimo, peculiari quadam ratione nomen Ecclesiæ sibi vendicant: à quibus, non autem vniuersæ Ecclesiæ Vicarijs, aut fidelium procuratoribus, illam repræsentari recentiora Concilia intellexerunt: cùm à qualibet œcumenica Synodo vniuersalem Ecclesiam contineri satis prouidè dixerunt, vna atque constanti voce ac mente pronuntiarunt. Quare Diuus Cyprianus disertè ad Florentium scribens: *Scire,* inquit, *debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo.* *Epist.69.*

Et

Et Eusebius Cæsariensis Concilium trecentorum decem, & octo Episcoporum conuentum orbis terrarum dixit. Episcopi enim, quibus (vt inquit Beatus Ignatius) credita sunt Sancta Sanctorum, & commissa sunt secreta Dei, Patrum locum in Ecclesia tenent. Iam verò Patres liberorũ suorum saluti, & tranquillitati prospicere tenentur. Idcircò Reipub. Christianæ satis prouisum fuisse prisci heroes existimarunt, si quos oportet de salute liberorum suorum esse solicitos, hi ex vniuerso orbe Christiano ad Concilium essent vocati, quandò de summa rerum agendum foret. Cùm ergo de illis, quæ ad sæcularem Rempub. pertinent, concilium ineũdum ēst, non omnes vndique congregantur (est enim multitudo seditionis, & tumultus mater, quæ in Cõcilijs maximè euitanda, & præcauenda sunt) sed Optimates, Senatores, atque primarij cuiusque ordinis, & ciuitatis viri. Hi verò postquam conuenerunt, Regnum vniuersum, vniuersa Respub. conuenisse dicitur. Cuius conuentus constitutiones, Regni statuta, iure sanè optimo appellantur; quòd ab illis conditæ sint, ad quos Reipub. salutis cura propriè spectat: & quorum potissimum interest laboranti, & periclitanti Reipub. opem ferre consilio suo, atque prouidentia. Simili etiam modò cùm Episcopi, Ecclesiæ Principes, & Pastores Summi Pontificis authoritate coeunt, vt de Religione agant, vt veras sententias à falsis seiungant, vt Ecclesiæ mores componant, vt nouas leges condant, rectè vniuersa Ecclesia dicitur conuenisse: quorum decreta, & sanctiones, Ecclesiæ vniuersæ statuta, & placita meritò nuncupantur: quòd ab illis lata sint, penes quos integra, perfectaque Ecclesiæ authoritas residet, vt excitatas de Fide controuersias cælesti fulti numine componant. Hinc Leo Magnus canones Concilij Nicœni ab spiritu Dei conditos, & totius mundi obseruantia scribit esse consecratos. Quinimò & in sacra pagina Salomon dicitur faciem suam conuertisse, & benedixisse omni Ecclesiæ. *Omnis enim Ecclesia Israel*

Igna. epi. 9.

Leo epi. 26.

1. *Reg. c. 8.*

Israel stabat. Omnem autem Ecclesiam Israelis appellauit natu maiorum, Principum, ac Ducum familiarum, & præpositorum cætum, qui congregati fuerant ad Regem Salomonem in Hierusalem, vt efferrent arcam fœderis Domini è ciuitate Dauidis.

CAP. VIII.

Ecclef. Hierar. lib. 6. c. 1. 2. 4.

EX his ergo in primis colligitur, deceptum fuisse egregium virum Albertum Pighium, quòd vniuersalis Ecclesiæ nomine, non nisi fidelium omnium collectionē significari existimauerit: atque inde nullam per se Ecclesiæ authoritatem fuisse à Christo tributam colligere tentarit.

Quàm verò ineptius, & absurdius Lutherus, & post illum Magdeburgenses cum sectatorum turba voluerint viros ex omnibus hominū ordinibus in Concilijs Iudices sedere, & in causa Fidei nostrę, & Religionis sententiā ferre: tanquam illius iudicium æquè ad Laicos, ac Sacerdotes, & ad Episcopos, & Ecclesiæ Principes attineret, nullus, meo quidem iudicio, qui sanum sapiat, non iudicabit; si diligenti animaduersione, & æqua lance perpendat, tàm ex Sacra Pagina, quàm ex priscorū Patrum doctrina liquidò constare, pastorum potissimum munus esse, quæ credenda, vel agenda sint, populis præscribere, hæc verò in concilijs maximè constitui, atque definiri. Quod certè per Hieremiam apertè significauit Dominus: *Dabo*, inquit, *vobis Pastores secundùm cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina*. Vnde Hieronymus, & Augustinus (cum Paulus dixisset datos, quidem à Christo Ecclesiæ suæ alios Pastores, & Doctores) munus Pastoris cum Doctoris nomine ideò coniunctum fuisse, quòd præcipuè Pastorum sit docere, acutè, & sapienter notarunt. *Pastores, & Doctores*, ait Augustinus ad Paulinum scribens; *eosdem puto esse, sicut & tibi visum est; vt non alios Pastores, alios Doctores intelligamus; sed ideò cùm prædixisset, Pastores, subiunxit, & Doctores, vt intelligerent ad suum officium pertinere doctrinam. Ideò enim non ait quosdam autem Pastores, quosdam verò Doctores; sed*

Hier. c. 3.

Hierony. in eundem locum Pauli.
August. ep. 59. ad Pauli. q. 4.

ſed cùm ſuperiora ipſo loquutionis genere diſtingueret, dicendo quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, quoſdam verò Euangeliſtas: hos tanquam vnum aliquid duobus nominibus complexus eſt. Hæc ille. Iam verò Eccleſiarum Paſtores ſolos Epiſcopos cenſendos eſſe, non Laicos, non etiam quoſuis Eccleſiaſticos ipſe ſpiritus veritatis perfectiſſimè docuit. Sic enim legimus: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Quòd ſiqui id Chri- *Act. 20.* ſtianis omnibus, quod Petro à Chriſto dictum fuiſſe contendant: & Chriſtianos omnes inde Epiſcopos inferre conentur, iam proprio gladio interimendi reliquantur. Nam Caluinus (quem præceptorem ſibi fuiſſe teſtabuntur, ſimul ac tam lethale virus euoment) inſtitutionem Paſtorum, qui ad paſcendum, vel docendum populos deſtinantur, inter Eccleſiæ Sacramenta conſtituit. Quod certè non toti Eccleſiæ commune, ſed illis tantummodò, qui eo initiantur, eſſe dixit. Vnde Laicos, oues; Epiſcopos verò, Paſtores ex ipſius etiam confeſſione educimus. At ſileat Caluinus. Aduerſarios interrogatos vellem, an Eccleſiaſticam Rempub. rectè à Paulo humano corpori, à Chriſto autem gregi aptiſſima ſimilitudine collatam arbitrentur. quod ſi vnam, vel alteram, vel vtramque aptiſſimam metaphoram ineptiſſimè reijciant, ab hominum conſortio æquiori iudicio longiſſimè repellantur: quippe qui non ſolùm Paulo diuini ſpiritus pleno, ſed etiam ipſi Chriſto, in quo omnis ſapientiæ, & ſcientiæ theſauri reconditi ſunt, aduerſari temerè voluerint. Si verò illorum amplectantur ſententiam, profectò cùm omnes Chriſtianos Paſtores conſtituant, nullas illis paſcendas oues tradent: Si verò caput omnes, vbi corpus? nec enim humanum corpus, vbi ſolummodò caput conſideres; nec grex, cui oues nullas, paſtores verò quàm multos adſcribas, cenſendus eſt. Quamobrem (ſi à Chriſti domini, & Pauli accommodatiſſimis ſimilitudinibus diſcedere nemini vnquam licet) quidam membrorum vices

obeant,

obeant, necesse est; quidam verò capitis munere fungantur: alij oues, laici nimirum, & priuati Ecclesiastici, alij autem Pastores, idest, Episcopi constituantur. quorum profectò est salutaria pabula à funestis, & exitiosis separare, & vera à falsis prudenter seiungere. Nam si ad vniuersi mundi structuram mentis oculos applicemus, profectò totam hanc rerum molem ita coagmentatam, & constructam fuisse cernemus, vt ordine omnia miro concinnata, & distincta sint. Cùm enim Deus optimus illa, quæ non erant, produxit, productisque formam, & speciem dedit, potuit quidem simul omnia in lucem edere, & simul exornare: verum vt cum rebus creatis statim ordo exorietur, aliud primum, aliud secundum, aliud tertium, atque sic deinceps productum numeratur. Omnia itaque ordo constituit, & colligauit. Cælestia, & terrestria ordo continet admirabilis. In ijs, quæ ratione, & mente intelliguntur, ordo locum aptissimum habet. In ijs, quæ sensibus percipiuntur, ordo eximius conspicitur. In Angelis, astrorum motibus, magnitudine, mutua relatione, & splendore, ordo tam elegans constituitur, vt alia Solis dignitas sit, alia Lunæ, alia Stellarum: stella enim à stella claritate differt. Anni partes, & tempora breuissimis decurrentibus momentis aptè, & distinctè progrediuntur quidem, & recedunt: atque per mediocritatem tanta cõcinnitate inclementiam mitigant, vt ordo in his principem locum obtinere videatur. Diem, & noctem debitis interuallis ordo egregius constituit. Neque elementa, ex quibus corpora mirificè constant, ordine priuata noscuntur. Ordo cælum in orbem mirificum duxit: aerem in sublimi statuit loco: terram ita omnibus rebus subiecit, vt cùm infimum locum teneat, montium, colliumque beneficio supra mare emineat. Humidam siquidem naturam ita rerum opifex fudit, vt tamen in certa loca, quanquam variè sinuata, continuata tamen reductis aquis, & quodam veluti carcere conclusis, terra & locum suum

fir-

firmiſſimum, atque perpetuum obtinuerit, & variarum rerum gignendi facultatem ex Verbi Diuini virtute, & efficientia adepta ſit. Quam rationem omnem complexus Pſaltes, atque admiratus paucis decantauit verſibus: *Qui fundaſti, inquit, terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi.* Vel ut textus Syriacus habet. Pſal. 93.

ܐܬܩܢ ܐܪܥܐ ܥܠ ܡܬܩܢܝܗ ܕܠܐ ܬܙܘܥ ܠܥܠܡ ܥܠܡܝܢ܀

Athchen arho hal mathcneh dlo tzuh lholam holmin. Id eſt, *Stabiliuit terram ſupra ſtabilimenta (vel fundamenta) ſua ne moueretur in ſæculum ſæculorum.* Quicquid enim cuiq. rerũ generi vel agendi, vel patiendi cõditione ab opifice ſummo iniunctum fuit, id fœdere perpetuo conſtans, firmumque manet, vt ordo in his omnibus eleganter ſeruetur, ea verò ordine debito diſpoſita conſeruentur. *Terminum poſuiſti, quẽ non tranſgredientur: neq. conuertentur operire terram.* Et: *Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi: præceptum poſuit, & non præteribit.* Pſal. 103. Pſal. 148.

ܘܐܩܝܡ ܐܢܘܢ ܠܥܠܡ ܥܠܡܝܢ ܢܡܘܣܐ ܝܗܒ ܘܠܐ ܥܒܪ܀

Vakim enum lholam holmin, nomuſo iab vlo hobar. *Conſtituit ea in ſæculum ſæculorum, legem dedit, & non præterit.* Conſtituit, inquam, Angelos, Solem, Lunam, ſtellas, & aquas cæleſtes, ſeu, vt vno verbo dicamus, conſtituit omnia cæleſtia ſempiterna fore: & ea ſtabiliuit vt in natura nunquam interitura perſiſterent. Quamobrem Angeli quidem ſunt incorrupti, & corpora cæleſtia non, niſi ſecundùm qualitates, mutabuntur, ſiue renouabuntur igne conflagrationis. Ordinem verò, regulam, & legem, qua illis motum, influxum, aliaſque actiones præſcripſit, tempora etiam quibus vel apparere, vel moueri, aut influere debeant, præfixit, non tranſgreditur, niſi quandò præter ordinem prodigium aliquod vult operari: ne fortè, quòd in æternum manerent, naturale illis eſſe crederetur: Hoc

est, ne quis existimaret animas, & Angelos, cæteraque cælestia corpora ex se, & propriè esse immortalitate, & perpetuitate prædita, omni alieno beneficio secluso, quod Dei proprium est, sed talia esse ex Dei dono, qui pro suo beneplacito largitus est illis talem naturam incorruptibilem: ac proinde cùm habeant naturam acceptã à Deo, posse quoq. quantum in ipsis est, à Deo etiam in nihilum redigi. quo fit, vt & in officijs suis & in natura, pro ipsius voluntate & decreto, illa perpetuò consistant. Cum denique ventos emiserit, vt vtiliter spirent: sed non ita, vt eis facta sit copia supra modum flandi: officitur sanè, vt ordine florente, atque dominante, mundus sit eximia pulchritudine, & venusta cõcinnitate mirabiliter ornatus, & stabili firmitudine quàm maximè constans.

Contra verò in aere tonitura, in terra motus, in mari naufragia, in vrbibus, domibusque dissidia, & bella, in corporibus morbos, in animis peccata, perturbatio & cõfusio procul omni dubitatione procreauit. Quin & labem illam, atque in expectatione positam rerũ omnium corruptionem nihil aliud esse existimamus, quàm profusam quandam earundem confusionem: vt enim Ordo constringit; ita perturbatio dissoluit, & dissipat, cùm videlicet totam hanc rerum machinam dissoluere, aut in præstantiorem statum commutare ei visum fuerit, à quo coniuncta, & tanquam quibusdam vinculis constricta est & copulata. Quod tamen omnium maximum, & præstantissimum fuit, homo est, quem ex duabus partibus, grauiore nimirum & crassiore mole constante altera, altera verò agili, omninòque crassitùdinis, & molis expertè, atque planè ex eo rerum genere, cui propter naturæ præstantiam spiritus nomen inditum est, Ordo ratione vtens animal construxit; atque arcano modo, & qui nullis verbis explicari queat, terram cum mente, mentem cum spiritu coniunxit. Ita enim à Deo efficiendum erat, vt quemadmodum mundus ipse ex inferiorum, atque superio-

periorum generum naturis, hoc est, cœlo, terraque componitur: homo etiam ex diuiniore, quadam, & quæ nullo sensu comprehendi posset, parte altera (quæ cœlum tamen ipsum dignitate longè superaret) & ex altera, quæ videri quidem, atque tangi valeret, hoc est terra (quam etiam dignitate vinceret) compositus euaderet. Cuique eas sors contingeret, vt quanquam terrenus, animalisque homo dici posset à parte, quam ex terra obtinuerat, ab altera tamen, quam peculiari Dei dono atque communicatione adeptus fuerat, diuinus haberetur, contineretque vnus & nomen terræ, & cæli dignitatem, essetque demum totius mundi exemplum, breue quidem illud magnitudine, atque mole, virtute verò, honestate, & pulchritudine magnum, atque amplum. Denique si quæras, quid nos à mutis animantibus distinguat, respondebitur statim; Ordo. Quid ciuitates cōdat, quid leges instituat; Ordo. Quid virtuti honores decernat, quid vitium pœnis afficiat; Ordo. Quid artes excogitarit; Ordo. Quid matrimonia conciliarit; Ordo, qui etiam erga susceptos liberos amorem, feram, & agrestem vitam ad humanitatem excoluit: &, quod terreno hoc amore maius est, diuinū amorem animis nostris tenaciter infixit. Est ergo in rebus omnibus Ordo summoperè expetendus, tanquam illarum maximus conseruator, & tutor. Nunquid igitur Ordo, qui in vniuersa mundi structura, cunctisque eius partibus Principem locū videtur tenere, ab Ecclesia separabitur? Is sanè in Ecclesia constituit, vt alij oues sint, alij pastores existant: alij præsint, alij imperia accipiāt: alius caput sit, alius pedes, alius manus, alius oculi, alius aliud quoddam corporis membrum ad totius Ecclesiæ concinnitatem & ornatum, vtilitatemque subditorum, vel Præfectorum. Et quemadmodum in corporibus membra licet inter se abrupta, atque distracta non sint, verùm tota illa congeries vnum corpus sit ex diuersis membris conflatum: non tamen eadem est vis, & facultas (tametsi ad beneuolen-

tiæ, concordiæque necessitatem, honorisque parem in disparibus rationem, alia aliorum opera ex æquo indigeant: nec enim oculus incedit, sed viam monstrat, neq. pes prospicit, sed ingreditur, atque loca permutat; neque lingua voces accipit; id enim aurium munus suum est: nec rursus auris loquitur, cùm id linguæ officium sit: & naris quidem eorum, quæ olfactu sentiuntur, receptaculum est: guttur autem, vt Iob loquitur, cibos degustat; manus porrò dandi, atque accipiendi instrumentū est: mens denique omnibus præest, atque imperat, vtpotè à qua sentiendi vis proficiscatur, & ad quam sensus omnes tendant, atque referantur. Ad hunc quoque modum apud nos, idest, in communi Christi corpore res sese habet. Omnes enim vnum corpus in Christo sumus, singuli autem Christi, atque alij aliorum membra. Alij enim dominantur, & præsunt: alij verò parent, & reguntur: & quanquam eadem non sit vtrorumque actio (nisi quis idem esse contendat præesse, & parere) fiunt tamen vtrique vnum ab eodem spiritu constructi atque compacti. Ac rursus quemadmodum inter eos, qui subsunt, permagnū discrimen reperitur, vt qui & doctrina, & vsu, atque exercitatione, & ætate inter se distent: eodem modo inter Præfectos etiam non parua differentia est. In ipsis enim Præpositis ordo est: nam cæteri adhærent primo, idest, Petro, atque eius successoribus: ij vero Christo. Hoc igitur, si vel coacti, vel conuicti verum esse agnoscunt aduersarij: profectò ipso Sole manifestius euincimus non laicorum, sed Episcoporum esse Concilia. *Illicitum est enim* (dixit quondam Theodosius Iunior) *eum, qui non sit in ordine sanctissimorum Episcoporum Ecclesiasticis immisceri tractatibus.* Et Pulcheria Imperatrix, exceptis paucis illis, quos Episcopi secum duxerant, imperauit, vt clerici, monachi, & laici à Concilio vi etiam, si opus esset, eiicerentur. Fuit autem Pulcheria sicut vitæ sanctitate, perpetuaque virginali pudicitia insignis; ita summa authoritate prædita.

Iob. c. 14.

Th. epist. ad Synod. Eph. quæ extat in 1. to. eius Concil. c. 32

Pulcheria epi. ad Strategū Bithyniæ. habetur ante Cōsil. Chalced.

Nam

Nam cùm ad fratrem eius Theodosium recens ablactatum orbis terrarum Imperium deuolutum fuisset, & fratris,& Imperij gubernatrix erat à Deo constituta. Cùmq. de ipsius sententia, mortuo fratre, Martianus fuisset Imperator designatus, fuit illa nihilominus Imperij consors: atque vnà cum illo Chalcedonensi Concilio interfuit. Quæ cùm non esset decimum quintum annum egressa, Zozomeno authore, supra ætatem sapientissimum, atq. diuinum spiritum accepit. In Concilio etiam Chalcedonensi cùm ad Martinum Archimandritam misisset Euthiches, vt schedulæ, qua eius opinio continebatur, subscriberet, non Archimandritarum, sed Episcoporum esse dixit de fide sententijs subscribere. Subscripserunt nihilominus in ea Synodo de consensu Episcoporum etiã Presbyteri, ita tamen, vt inter eos, & Episcopos discrimen fuerit. Nam Episcopi Iudices, & alibi definientes subscripserunt: Presbyteros verò solum proprij nominis signum, tanquam decretis illorum consentientes apposuisse certissimum est. Idcircò etiam cùm, vt in eodem Concilio simul cum Episcopis Iudices sederent, qui Dioscori partes tuebantur, laici quàm multi ingrederentur, sæpius reclamatum est: *Concilium Episcoporum est, superfluos foras mitte*. Idque sanè post Apostolos exactissimè semper obseruatum fuisse, qui omnia Conciliorum volumina perlegerit, manifestè cognoscet. Nullibi enim quamuis vel laici, vel clerici permulti affuissent, in Concilijs Iudices de fide, nisi Episcopos sedisse legimus.

Zozom. li. 9. cap. 1.
In Concil. Chalc. Act. 1.

Hanc autem inueteratam Ecclesiæ consuetudinem ab exemplo, & traditione Apostolorum originem duxisse, ipsum, quod Hierosolymis Apostoli celebrarunt, Concilium euidenter ostendit. *Conuenerunt enim*, ait Lucas, *Apostoli, & seniores videre de verbo hoc*. Illi quidem, vt, quid ratum, firmumque haberi ad salutem opus esset, iudicarent; hi verò vt in causæ discussione operam nauarent. Nam simul Episcopi, & seniores rei veritatem indagabãt:

Act. ca. 15.

simul

ſimul Sacrorum Vatum oracula conſulebant: *& cùm magna diſquiſitio fieret*, ſoli Apoſtoli ſententiam protulerunt: quorum certè de Religione quæſtionem exortam ſoluere munus proprium fuerat. Poſtquam ergo Apoſtolorum Princeps, cui totius Eccleſiæ cura demandata fuit, ad vniuerſum cætum orationem habuit, controuerſiam diluit, & Circuncisionem ad ſalutem amplius non eſſe neceſſariam definiuit. *Tacuit* certè *omnis multitudo; & audiebat Paulũ, & Barnabam*. Qui cùm finem dicendi feciſſent, dixit & Iacobus. *Tunc* verò *placuit Apoſtolis, & Senioribus cum omni Eccleſia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo, & Barnaba Iudam, qui cognominabatur Barnabas, & Silam*, qui Concilij acta referrent, & quicquid actum eſset, teſtarentur. Aderat igitur Populus, aderant & Seniores: ſed ſoli Apoſtoli ſententiam protulerunt: cæteri autem tacito conſenſu dicentibus Apoſtolis annuebant. Idem in Concilio Carthaginenſi (cui præter Epiſcopos Presbyteros non paucos, Diaconos, & Laicos affuiſse legimus) obſeruatum fuiſse, qui de fide ſententiis, & Concilij decretis ſubſcripſerunt, apertè teſtantur. Denique hæc omnium conciliorum praxis ſemper eſt obſeruata, vt ſoli Epiſcopi in Conciliis ſubſcriberent. Quod verò inueteratæ conſuetudinis authoritate, & tanto antiquitatis robore firmatum eſt, id ego Apoſtolis ſacroſanctum fuiſſe inficiari non auderem.

Quemadmodum igitur falsò illi Chriſtianæ Religionis hoſtes aſſeruerunt in Concilijs œcumenicis laicos, etiam ſi cæteris eruditione præſtarent, de fide Iudices extitiſſe: ita etiam perperam Diuum Ambroſium Patronũ ſibi aſſumpſerunt, à quo aduerſus Auxentium populum Iudicem appellatum eſſe, temerè audacterque dixerunt. Qui enim fieri poterat, vt ille, qui Theodoſium Imperatorem in Cõcilio Aquileienſi laudauit: quòd ius Eccleſiaſticorum Præſulum non inuaſiſſet (*Ecce*, inquit, cùm illius ſcriptum recitaſſet, *quod Chriſtianus conſtituit Imperator; noluit iniuriam facere Sacerdotibus: ipſos interpretes conſtituit Epiſcopos)*

Ambroſ.

pos) in causa Religionis populo controuersiam dirimendam committeret, & Iudicem adsciceret, quem, non vt doctrinam traderet, sed vt à Pontificibus traditam acciperet, ad Concilia conuenire probè nouerat? At nonnunquam inseruiendum est tempori: cùmque duplex sit iudicium, publicum inquam, quod certè non fit, nisi ab eo, qui iudicandi, & lites dirimendi authoritatem habeat: cuique imperanti cæteri parere teneantur: & priuatum, quod quiuis auditis rationibus, & opinionum vniuersarum iactis fundamentis apud seipsum facere potest: vt id, quod sibi rectius videatur, eligat. Illud sanè in causa fidei, & Religionis nunquam populo commissum: hoc verò etiam à viris integerrimis, literis, & pietate clarissimis non rarò populo concessum legimus. Nec enim Apostolus Petrus Simonem Magum in alio, quàm priuato hoc iudicio, Eliæ exemplo, conuenit, prostrauit, atque vicit. Sic etiam Archelaus Episcopus vrbis Mesopotamiæ coram populo ad singulare certamen cum Mane descendit. Nam scelestus homo in medium diluculo progressus Triphonem ad disputandum vocauerat: affuit vir insignis, & ad ea, quæ Manes interrogabat, aptissimè respondit. Sed cùm eò ventum est, vt causa Religionis præsentiam Pastoris postulare & exigere videretur: velut fortis paterfamilias prosilijt, & cum fiducia quadam prædam abducere conantem aggressus est, confutauit, compescuit, & in tantam adduxit perturbationem, vt populus zelo commotus impium hominem occidere conatus sit. Eodem modo Syluester Papa cum Iudæis, Athanasius cum Ario, Augustinus cum Maximino disputaturus in arenam descendit. Neque verò à Diuo Ambrosio aliud, quàm priuatum istud iudicium in causa Auxentij populo concessum fuit: qui cùm temporis rationem haberet; neque ab Imperatore, qui Arianis fauebat, aliud potuerit impetrare, quàm vt constitutis arbitris cũ Auxentio, præsente populo, disceptaret, cedendum esse tempo-

Clemens Romanus cõst. lib. 6. c. 9. Arnobi. aduersus gẽtes lib. 2. Cyril. Cathech. 6. Epiph. Her. 21. Euseb. lib. 2. c. 14. Philastr. de hær. cap. 3. Aug. pluribus in locis. Prosp. Theodo. & plures alij antiquitatum amatores.

Elias Achab Sacerdotes vicit lib. 3. Reg. c. 18.

Archelaus aduer. Manẽ disputat authore Clemente lib. 1. & 2. recog. Socrat. li. 1. hist. c. 17. et Epiph. hær. 66.

Apud Zonaram in uita Constantini.

temporì rectè duxit. Si enim, cùm Imperator iussisset, examen populi effugeret, quem de fide, & Christiana Religione benè meritum esse nouerat, causa certè Religionis in maximum discrimen adduceretur. Quare nō quod vellet in re grauissima, quæque ad Religionem spectaret, quenquam suæ inniti prudentiæ (cum & hoc iudicij genus firmo Catholicæ Ecclesiæ iudicio confirmari debeat) sed vt quiuis vtriusque rationes, & argumenta, Ambrosij scilicet, & Auxentij æquè perpenderet: & (quod non rarò in publicis Theologorum, & Philosophorum concertationibus fit) adhæreret opinioni, quæ sibi verosimilior videretur: priuatum iudicium, quo nullus ad assentiendum cogi potest, temporis necessitate compulsus populo concessit. Sic enim ait: *Veniant planè, si qui sunt, ad Ecclesiam: audiant cum populo; non vt quisquam Iudex resideat, sed vt vnusquisque de suo affectu habeat examen: & eligat, quem sequatur. Agitur de istius Ecclesiæ Sacerdote: si audierit illum* (idest, Auxentiū) *populus, & putauerit melius disputare, sequatur fidem eius: non inuidebo.* Et rursus ad populum post longam hac de re disputationem. *Hæc ego,* inquit, *fratres, coram Auxentio apud vos pleniùs disputarem: sed certus non ignaros vos esse fidei vestrum effugit examen, & gentiles quosdam, quatuor, aut quinque fermè homines cognitores sibi elegit: si tamen aliquos elegit, quos vellem, adessent in cœtu omnium: non vt de Christo iudicent; sed vt maiestatem audiant Christi. Tamen illi iam de Auxentio pronunciauerunt, cui tractanti quotidie non crediderunt. Quæ maior eius condemnatio, quàm quòd sine aduersario apud Iudices suos victus esset? Ergo & ipsorum sententiam contra Auxentium iam tenemus: & quòd gentes elegit, iure damnatus est: quia Apostoli præcepta dimisit. Ad verecundiam enim vestram dico,* ait ille, *sic non est inter vos Sapiens quisquam, qui possit iudicare fratrem suum. Magnus enim pudor est, si inter eos, qui dicuntur Deum cognouisse, non inueniatur, qui examinare possit iuxta Euangelicum ius.* Hucusque Ambrosius.

Apud Vigilium Episcopū Trident. Apud Augu. li. 1. contra Maxim. cap. 1.

Ambr. tom. 5. li. 2. epist. 13.

Tom. 5. Ser. 1. de Basilicis nō trad. hær.

1. Cor. 6.

Causam autem iuxta Euangelium examinare, non populi, sed Episcoporum munus esse, apertè sanè significauit

uit Dominus. Mosi enim inquit: *Veniā ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentē ad te, et credat tibi in perpetuū.* Et post alia: *Descende, & contestare populū, ne fortè velit transcendere terminos, ad videndū Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. Sacerdotes quoque, qui ascendūt ad Dominum, sanctificētur.* Et, *Ascēdesq. tu, & Aaron tecū.* Iam verò de Mosis, & Aaronis Sacerdotio dubitare impium fuerit: nam Regius Vates testatur dicens: *Moses, & Aaron in Sacerdotibus eius.* In Ecclesia igitur Catholica per Episcopos, & Pastores Christianum populum esse instruendū, ita vt cum Sacerdotibus populus in Concilio Iudex de rebus fidei nequaquā sedere possit: sed vt ad radices montis præscriptis contineatur terminis: Patrumq. definitiones expectet, quibus proculdubiò teneatur obtēperare, Deus ipse apertè indicauit: idq. maximè è re Catholica esse sanctissimi Patres rectissimè iudicarunt.

Exod. c. 19.

Psal. 98.

CAP. IX.

EOrum autem Principatum omni Regno excellentiorē esse, præstareque multò Sacerdotes Regibus, & eminentiores esse omnibus terrenis Principibus ex Patribus ostendimus in ijs, quos de vera Christi Ecclesia edidimus, libris. His ergo, quæ à nobis dicta sunt, vnus suffragatur Augustinus, qui illud Regij Vatis enarrans: *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij: Quid est*, inquit, *pro Patribus tuis nati sunt tibi filij? Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filij nati sunt tibi: constituti sunt Episcopi, hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundū, vnde nati sunt? ipsa Ecclesia Patres illos appellat: ipsa illos genuit: & ipsa illos cōstituit in sedibus Patrū. Non ergo te putes desertā: quia non vides Petrum: non vides Paulum: quia non vides eos, per quos nata es: de prole tua tibi creuit Paternitas: pro Patribus tuis tibi sunt nati filij: cōstitues eos Principes super omnem terrā. Hæc est Ecclesia Catholica; filij eius constituti sunt super omnem terrā, filij eius constituti sunt pro Patribus. Agnoscant, qui præcisi sunt: veniant ad vnitatem: adducantur ad templum Regis.* Quis ergo ita delirus est, vt non agnoscat? Quis ita cœcus, vt non videat, non illis, qui sibi præ cæteris docti videntur, & ad hoc munus obeundum nequaquam assumpti, aut vocati sunt, sed Principi-

Lib. 9.

Psal. 44.

bus his, quos Ecclesia filios genuit, & in sedibus Patrum constituit, Ecclesias regendi, ligandi, soluendi, deque fidei causis cognoscendi potestatem esse concessam?

Non tamen sum nescius aduersarios, vt quamminimum loci beati Petri, & Apostolorum successoribus relinquant, ad totum Dei populum regimen Ecclesiæ reuocare ex hac P. Augusti sententia molitos fuisse: quem dixisse proclamarunt: primum à Christo genitos esse Apostolos, veluti Ecclesiæ Patres: deinde vniuersalem Ecclesiam, veluti Apostolorum filiam procreasse Pastores, & Doctores, veluti filios quidem suos, Apostolorum verò nepotes, quæ cùm inter se minimè cohæreant, quæ fuerit Augustini mens, paulò diligentius discutere, ne causam vicisse sibi videantur hæretici, nobis maximè opus est. Nam vniuersalis Ecclesia non coit aliquandò in vnum, vt vnum aliquem pastorem aut vniuerso corpori, aut vnicuipiam membro præficiat. Quamuis Pastores Ecclesiarum aliquandò in vnum conueniant, & vniuersalem Ecclesiam repræsentent. Congregantur quippe Pastores illi non ad multitudinis Imperium, sed in primis capitis impulsu, deinde sponte sua, ac sese mutuò prouocantes: & quicquid inter se decernunt, id potius probat regimen Ecclesiæ statim sub Christo penes ipsos esse, quàm penes reliquam Ecclesiam. At per se vniuersalis Ecclesia neque vnquam congregata est: neque aliquandò aut Pastores creauit, aut deinceps, quo fierent ordine, præscripsit. Quid ergo inquit Augustinus? *Genuerunt te Apostoli: ipsi missi sunt: ipsi prædicauerunt: ipsi Patres pro Apostolis nati sunt tibi filij: constituti Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum vnde nati sunt? ipsa Ecclesia Patres illos appellat: ipsa illos genuit: & ipsa illos constituit in sedibus patrum*, id est, Apostolorũ. Rectè quidem Augustinus differens ab Ecclesia genitos Episcopos asseruit. Illi enim, quos in baptismo genuit, posteà ex ipso fideliũ corpore assumpti sunt ab alijs Episcopis ad Episcopalem dignitatem, & amplitudinem. Cæterùm

terùm si, quomodò Ecclesia illos generarit, inquirant rursus aduersarij, ipsum Augustinum attentè audiant, qui ab Ecclesia illos productos, dum à Presbyteris, aut aliis Ecclesiæ ministris baptizarentur, appositè respondit. Verum non ideò ab Ecclesia genitos hoc modo dixit, quòd cùm baptizarentur fideles, ministri necessariò conuocēt Ecclesiam: veluti absque illius iussu baptismum administrare non possint: sed quia quod Pastores Ecclesiæ faciunt, cum summo bonorum consensu, & voto faciant: id ipsum, inquam, quod à paucis verè fit, ab omnibus fieri meritò interpretamur. Ecclesia igitur, inquit Augustinus, constituit Episcopos in sedibus Apostolorū: quandò per interpositam Episcoporum potestatem, manibus de more impositis ad pascendum Dei populum illi missi fuerunt. Per alios ergo Ecclesia genuit Episcopos: & per alios constituit eosdem in sedibus Apostolorum, veluti per suos ministros, non tamen ex ipsius Ecclesiæ institutione, sed ex Domini instituto hoc ministerium Ecclesiæ præstant. Certè quemadmodum, vt diximus, cùm Aerius affirmaret Presbyteros ab Episcopis nulla debere differentia discerni, Epiphanius constanter Catholicam fidē tutatus est, dicens Episcoporum Ordinem Patrum generatorem esse, quòd patres Ecclesiæ generet; Presbyterorum autem Ordinem per lauacri regenerationem, non quidem Patres, aut Doctores, sed Ecclesiæ filios generare: ita etiam Gregorius Nyssenus Ordinem Episcoporum esse, qui generat Episcopos constituēdos in sedibus Apostolorum, prudenter, & quam appositè docuit; qui Sacerdotum creationem non ad populi suffragia, sed ad Sacramenti sanctificationem refert. Cùm enim Sacramenta baptismi, & Eucharistiæ virtute diuinæ benedictionis sancta fieri declarasset: *Eadem*, inquit, *vis etiam Sacerdotem Augustum & honorandum facit, nouitate benedictionis à communitate vulgi segregatum: cùm enim heri, ac tempore superiore vnus è multitudine, ac plebe esset, repentè redditur Præceptor, Præses, Doctor* *Greg. Nyss. de sanct. Bap.*

k 2 *pietatis,*

pietatis, mysteriorum latentium Præsul: eaque contingunt ei, cùm nihil vel corpore, vel forma mutatus; sed, quod ad externam speciem attinet, ille sit, qui erat, inuisibili quadam vi ac gratia inuisibilem animam in melius transformatam gerens. Hoc verò Leo Magnus duplici columna stabilitum fuisse testatur: authoritate, inquam, consuetudinis, quam ex Apostolica nouimus manare doctrina, & Sacra Scriptura. Cùm enim Apostoli Paulum, & Barnabam ex præcepto Spiritus Sancti ad Euangelium Gētibus annunciandum mitterent, ieiunantes, & orantes imposuerunt eis manus. Tam igitur ex Græcorum Patrum, quam ex Latinorum testimonijs, imò & ex Diuina Scriptura liquidò constat Sacramentum quoddam Sacrorum Ordinum esse: totius autem Ordinis Ecclesiastici capita, authore Ambrosio, Præsules sunt, qui Episcopi vocantur.

Leo ep. 81. alias 83. ad Diosc. Alexan. Episc.

Ambr. 1. ad Cor. c. 1.

Quid est ergo, quod hæc hæreticorum turba querula inanibus suis clamoribus in Episcoporum cœtum, & Sedem Apostolicam iniuriosi perstrepunt? ignaros quoque (quorum censura ne extra crepidam quidem se se extendit) in Reipub. Christianæ, rerumq. grauissimarum caussam Aduocatos, & Iudices accersendos esse contendunt? Ecclesiæ regimen, morum disciplinam, fidei stabilitatem, omnem denique Rempub. horum iudicio, ne dicam ignorantiæ, & furori, firmandam & confirmandam committi oportere? Certè *Gallione Proconsule Achaiæ insurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal, dicentes: quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum.* At Gallio ad Iudæos dixit: *Siquidem esse iniquū aliquid, aut facinus pessimum, ò viri Iudæi, rectè vos sustinerem: Si verò quæstiones sunt de verbo, & nominibus Legis vestræ, vos ipsi videritis. Iudex ego horum nolo esse. Et minauit eos à tribunali.* Ecce Proconsul de Religione aliquid decernere muneris sui esse negat. *Vos ipsi*, inquit ille, *videritis*. Quid vobis à Domino Deo vestro præceptum sit, optime nostis. Ite ad Sacerdotes quorum est inter mundum, & immūdum discernere: & quorum labia ideò

Act. 18.

Leuit. c. 10. Malach. c. 2.

scien-

ſcientiam cuſtodiunt, vt populi ex eorum ore legem Domini requirãt. Ad ciuiles igitur Magiſtratus in Rempub. patrata crimina, ſceleraque punire, ad Eccleſiæ verò Paſtores mores componere, Diuini cultus rationem omnẽ præſcribere, fidei dogmata explicare, & exortam de Religione diſceptationem dirimere potiſſimùm ſpectat: ad quos Chriſti Regnum, quod ad domum, & ſceptrum Dauidis pertinet, trãslatum eſt. Translato enim illo temporali Regno, ſpirituale erigitur, quod eſt Sacerdotium Eccleſiæ, in quo Chriſtus peculiariter regnat, poteſtatem exercet, docet, fert leges, ſoluit peccata, reconciliat mũdum, denique omne illud, per quod inter homines regnat, adminiſtrat; quod Diuus Pater Auguſtinus diſertè contra Creſconium tradidit: *Chriſtus*, inquit, *per Eccleſiam dominatur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos Orbis terræ.* Quod Epiphanium quoque docuiſſe iam in ſuperioribus oſtendimus. Receſſit enim (quod olim fuerat prædictum) ab ſtirpe Iudæ, & familia Dauidis Regium Iudæorum ſceptrum: rerumque ſumma ad Herodem proſelytum, & nefarium virum, poſt miſeram Antigoni necem, translata fuit. Nam ſatis omnium conſtat (de quo nos diffusè, latèque diximus) poſt Iudæam à Pompeio Magno deuictam, populoque Romano vectigalem effectam, & in formam prouinciæ ex parte non exigua redactam, atque à Scauro primùm, deinde à Gabino Senatus Romani Imperio gubernatam, poſt etiam à Craſſo templum cunctis opibus, & diuitijs ſpoliatum, maximamque à Caſſio ſtragem illatam, & à Iulio Cæſare primo Romanorum Imperatore rurſus impoſitum tributum, & à Caſſio crudeliter deuaſtatam, poſt etiam Marci Antonij gubernationẽ, dimicantibus inter ſe acerrimè Aſſamonæis, denique, Domitio Caluino iterum, & Aſinio Pollione conſulatum gerentibus, Herodem Antipatri filium ex Idumenæa regione Iudææ finitima, cùm Romæ eſſet, Regnum Iudæorum ex Senatuſconſulto fuiſſe adeptum. Iudæorum autem vl-

Aug. contr. Creſco. li. 2. cap. 26.

Epiph. li. 1. tom. 2. hær. 29.

Gen. 49.

Ioſeph. antiq. lib. 14. c. 8. 10. 12. 17. 26.

timus

timus Rex fuit Antigonus Aſsamonæus, qui fauentibus Parthis, expulſo Hyrcano Regnũ occupauit. Hic à Marco Antonio (quæ eſt rerum viciſſitudo) poſteà debellatus eſt, & grauibus affectus ſupplicijs, vt qui fuſtibus cæſus, & in crucem actus, ac ſecuri crudeliter percuſſus miſerrimè vitam terminauit.

Quod narrat Dio Caſſius.

Quapropter cùm tribus Iudæ maiorum ſuorum Regno fuiſſet ſpoliata; quid aliud, quæſo, ſupererat, quàm vt ille toties in ſacris Vaticinijs promiſſus è cælo in terras mitteretur, & Regnum Iudæ gubernandum acciperet, atque olim collapſum, Antigono in crucem ſublato, per crucem ſuam Regnum ſtabiliret, & multò magis dilataret? Neque ſolùm per hæc tempora Regnum antiquiſſimum, & nobiliſſimum Iudæorum extinctum fuerat: verùm etiam legitima Summi Sacerdotis creatio penitus expirarat. Regno itaque, Iudæorum funditus euerſo, nihil reſtare videbatur, quàm vt Sanctus Sanctorum Oleo Diuino inungeretur. Illud etiam addam per id temporis, ſynceram, & ſanam rectorũ dogmatum doctrinam, magno agmine errorum ingruẽte, quibuſdam veluti tenebris ſepultam fuiſſe: adeò, vt Iudæi, quid verũ eſset, & quid ſequendum foret, neque ſatis videre, neque ſatis iudicare potuerint. Eruperunt enim apud illos eo miſerrimo tempore tres impiæ, & nefariæ ſectæ, Phariſæorum ſcilicet, & Sadducæorum, & Eſsenorum; quibus duæ aliæ acceſserunt, Galilænorum nempè, & Herodianorum: qui cùm omnes maximè inter ſe diſcreparent, effectum eſt, vt miſeri Iudæi ignari, quid amplectendum eſset, quàm multis errorum generibus fuerint inuoluti.

Card. Baro. in Apparatu ad An. Eccle.

Ioſeph. antiq lib. 18. c.2. de bello Iud. li. 2. c. 6.

Grauibus igitur morbis ſingularia remedia, & nefarijs criminibus abſtergendis ſumma, & ſingularis iuſtitia neceſsaria fuerunt. Miſit Deus filium ſuum vnigenitum, qui ſapientia ſua morbis interitum minantibus continuò mederetur, & qui peccata, quibus obnoxius mundus erat, iuſtitia ſua reſecaret. Tunc illa ingens Diuinæ gratiæ Sca-

turigo

turgo erupit. Tunc veræ lucis splendidissimus radius in tenebris emicuit. Tunc ille Sol iustitiæ, qui nescit occasum, faciem suam omni splendore ornatam hominibus caligine obrutis liberaliter ostendit; hocque beneficium mortalibus elargitum est, cùm Cæsar Augustus Imperium Romanum summo in otio moderaretur. Est illud quidem memoria quàm dignissimum, quod ab Historicis non vulgaribus fideliter narratur. Reuersus Augustus ex Apollonia Macedoniæ oppido, post Caij Cæsaris auunculi sui miserandum interirum, ingressus est Romã: & ecce subitò in summa aeris serenitate circulus speciem Iridis referens Solis ambitum circundedit; quasi alium Solem multò clariorem mundo exortum esse demonstrans. Deinde cùm idem Augustus in Sicilia receptis à Sexto Põpeio, & Marco Lepido legionibus, triginta millia seruorum, qui à dominis defecerant, iisdem dominis reddidisset, & sex millia, quorum domini desiderabantur, grauissimo crucis supplicio mulctasset, & militum viginti millia cingulo militari exuisset, ac quadraginta quatuor legiones ad defensionem Imperij sui distribuisset, & cum ouatione, quæ species quædam triumphi erat, vrbẽ ingressus omnia superiora debita populi Romani delenda censuisset: fons olei vberrimus è domo meritoria per totum diem abundantissimè effluxit. Quid hoc manifestius, quid hoc euidentius significare potuit Christum, idest, vnctum, & ex illo Christianos, hoc est, vnctos largiter, & perpetuò processuros? restituendos per eum seruos, qui dominum habebant, illos verò, quibus dominus non erat, atrociter necandos? obliteranda debita peccatorum in ea vrbe, in qua oleũ diuinitus emanarat? Clausit Octauius Cæsar templum Iani tertius à Romulo (quod signum optatæ pacis manifestum habebatur) & nomen hoc amplissimum Augusti à populo Romano iampridem oblatum assumpsit. Hoc quidem Christi ortum, in quo maxima pax Orbi erat futura, & ipsum Christum po-

Ado. Viennen. in Breuiario Chro. ætate. 5.

testa-

testatis nomen assumpturum euidentissimè indicabat. Hanc pacem non solùm Sacrorum Vatum oraculis, verùm etiam Sibyllarum carminibus multò antè prædicta sempiternis monumentis testatum est. Non enim consentaneum rationi erat, vt author pacis, nisi pace vbique regnante, nasceretur. Nec Tertullianus hinc ineptè colligit Regnum Christi pacificum esse: cùm Christus nullo alio tempore, quàm cùm totus terrarum Orbis pace trāquillissima fruebatur, & nasci, & regnare voluerit. Itaque Deus, per quē Reges regnant, & sapientes iura decernūt.

Qui nutu ingentes mundi moderatur habenas:

Sicut omnibus mortalibus pacem tribuerat quietam: ita Cæsarem ad edicendum, vt totus scriberetur Orbis, & vnusquique in sua ciuitate profiteretur, haud sine aliquo ingenti mysterio impulit. Nam dum professio terrena præstatur, spiritualis adimpletur, non terrestri domino exhibenda, sed cęlesti Principi dicanda. Cum enim Fidem Catholicam profitemur, tunc singulorū animæ in Christi catalogo inscribuntur. Censu antiquissimo synagogæ è medio sublato, nouus Ecclesiæ Catholicæ census parabatur: qui nulla vnquam tormenta admoueret: sed è finibus suis omninò amoueret. Non hic discribuntur limites, sed longè latèque proferuntur. Non hic ætas vlla distinguitur; sed omnis, cuiuscunque sit ætatis, in libro inscribitur. Nemo est, qui ab hoc censu se liberum, & immunem audeat prædicare: omnis enim à prima vsque ad extremam ætas Christo debet esse tributaria. Hunc infantes vagitum emittentes martyrio confitentur: hunc pueri nondum ex vtero egressi summa exultatione testantur. Ab hoc censu, nihil est, quod deterreat quempiam: nihil in ipso terribile, nihil horrendum, nihil existit seuerum. Censores non iniqui sunt, sed æqui, non inclementes, sed comites, non minis, aut virgis ad censum impellunt, sed comitate summa adducunt volentes. Denique vt agnoscas non Augusto, sed Christo populos profiteri, totus terrarum

rum Orbis censeri iubetur. Non Augusti hoc est; sed Christi, qui cùm dominus totius Orbis sit meritò talem poterat professionem exigere. *Non enim Augusti, sed Domini est terra, & plenitudo eius, Orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in ea. Gothis non imperabat Augustus, non imperabat Armenijs: sed Gothis imperabat Christus, imperabat Armenijs.* Sic Ambrosius. Sed nos vnde digressi sumus iam tandem reuertamur. *Amb. lib. 2. in Luc. c. 2.*

Quandò itaque Dei filius, homo factus, ex vtero matris suæ in hanc lucem prodiuit: iam Regum Iudæorum, qui longè, lateque dominati fuerant, series antiquissima defecerat. Nullus enim è Prosapia Iudæ iam clauum Reipub. tenebat: Nullus à Dauide oriundus, iam amplius regnabat. Herodes erat, qui Iudæorum diadema capiti imponebat: qui sceptrum antiquissimum, & nobilissimum manibus gerebat. Natus Christus Regnum sibi debitum suscepit, & Regiam sedem in Ecclesiam transtulit: in qua nunc firmiter manet in æternum. Thronus hic ex duplici origine, scilicet, Regia, & Sacerdotali dignitatem amplissimam habet: Regia quidem à domino nostro Iesu Christo profecta, qui secundùm humanitatem ex Regis Dauidis semine descendit, & secundùm diuinitatem ante omnia sæcula perpetuò regnat: Sacerdotali autem ab eodem Christo exorta, qui est omnium Pontificum maximus, & Sacerdotum omnium nobilissimus, qui secundũ ordinem Melchisedechis Parenti suo sacrificium obtulit admirandum. Manet igitur thronus ipsius: manet sanè perpetuò; neque Regnum eius ullum sentiet finem. Sedet Christus in sublimi solio Dauidis, ita tamen vt Regnũ hoc vnà cum Pontificatu seruis suis, idest, Pontificibus Ecclesiæ Catholicæ liberaliter fuerit largitus. Secundùm hoc Regnum omnis Christo potestas data est in cælo, & in terra: & hanc totam, ait B. Chrysostomus, Sacerdotibus contulit: illisque etiam dedit clauem Dauidis, tanquã huius Regni sceptrum nobilissimum. Vnde Diuus Pater Augustinus de præpositorum in Ecclesia Regno interpretatur *Chrys. lib. 3. de Sacerd.*

Apoc.c.20. pretatur illud Ioannis: *Vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas: & iudicium datum eſt illis.* Non enim, inquit ille, hoc putandum eſt de vltimo iudicio dici: ſed Præpoſitorum ſedes, & ipſi Præpoſiti intelligendi ſunt: per quos Eccleſia nunc gubernatur. Quocirca Chriſti Eccleſia non ob aliam rationem propriè ſtabilis in fide, & Regnum Chriſti in poteſtate perpetuò duraturum eſſe dicitur, quàm quia de Paſtoribus, & Magiſtris Eccleſiæ proſpectum eſt, à quorum ore veritas non recedet: & ex quorum labiis lex, & ſcientia exquirenda ſit: quia etiam horum Paſtorum ſucceſſio certa, atque perpetua futura ſit: quia denique in huiuſmodi Paſtoribus excellentiore quodam modo regnat Chriſtus: eamque poteſtatem vſque ad finem mundi per illos exercet, quam à patre accepit, paſcendi, docendi, ad veritatem ducendi, Deum hominibus manifeſtandi, mũdum reconciliandi, peccata ſoluendi, cæteraque omnia ad ſalutem æternam neceſſaria diſpenſandi. Hos enim Paſtores, & Doctores conſtituit; in his verbum reconciliationis repoſuit: hos diſpenſatores myſteriorum Dei fecit, qui vice ſua, & legatione fungerentur.

CAP. X.

QVod ſi Paulum, quem Deus ipſe per ſe erudiendum ſuſcepit, hac de re etiã conſulamus: ita Eccleſiaſticorum Præſulũ munus, & dignitatem amplificatã videbimus, vt nõ fidelium omniũ collectionem neque ciuiles Magiſtratus, Ciuitatum, vel Prouinciarum Rectores, vel etiam Reges ipſos, ſed Antiſtites, & Eccleſiarum Præſules (quoties de Spiritus Sancti auxiliis, quæ ad Fidei, & Religionis myſteria enodanda conceduntur Eccleſiæ, ſermo incidit) Eccleſiæ nomine ſignificari voluiſſe videatur. Idcircò Eccleſiam cum humano corpore ſæpe comparauit, vt cunctis notum faceret ita ſingulis ſtatibus propria munera ſingulari Dei prouidẽtia fuiſſe deſignata, vt quemadmodum in humano corpore vnumquodque membrum proprium munus habet, nec eſt quòd alterum alterius functionem vſurpet: ita in Chriſtiana Republica

publica ſinguli ſtatus proprias exercent functiones; alienam verò poſſeſſionem inuadendam nequaquam ſibi perſuadent. Ad Romanos enim ſcribens, vt temerariam ſupernarum rerum examinationem plebi diſſuaderet, eleganti corporis humani ſimilitudine, in ſuſcepti muneris executione vnumquemq. mortalium continere ſtuduit. *Dico enim,* inquit ille, *per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus, qui* Rom.c.12.
ſunt inter vos, non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, & vnicuiq. ſicut Deus diuiſit menſuram fidei: ſicut enim in vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem, alter alterius membra, habentes autem donationes ſecundùm gratiam, quæ data eſt mihi differentes. Et ad Corinthios rurſus ſcribens, vt quicquid quiſque haberet, in communem Eccleſiæ vtilitatem conferret, eadem humani corporis ſimilitudine vſus, diſertè ſuadere conatur: oſtenditque tunc Chriſti Eccleſiam venuſtate ſumma, & forma mirabili conſpicuam, fulgentiſſimamque factam fuiſſe: cùm muneribus diuerſis, & plurimis ordinibus exornata eſt: quorum vnuſquiſque proprij officij executione detentus, in alienam meſſem, vt aiunt, falcem mittere nunquam auderet: nec hoc quidem facere vnquam cogitaret. Quemadmodum enim humani corporis venuſtas & pulchritudo, ita ex communi omnium partium in totius corporis vtilitatem conſpiratione exoritur, vt tamen oculus cernat, auris audiat, lingua verba proferat, manus contrectent, non autem vel manus linguæ, vel oculus aurium muneri præpoſterè ſeſe immiſceat: ita profectò tunc Eccleſiæ pulchritudo maximè ſplendet, cùm Antiſtites, quibus de rebus fidei ſtatuendi munus incumbit, in vnum coeuntes Chriſtianæ Religionis occulta & inuoluta myſteria explicant: diuini cultus normam præſcribunt: & cùm ipſi loquuntur, vniuerſa multitudo ſilentium præſtat: cùm verò aliquid ſtatuunt, reliqui eorum decreta amplectendo comprobant. *Si enim totum corpus oculus,* ait

1.Cor.c. 12. Paulus, *vbi auditus? si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra vnumquodq. eorũ in corpore, sicut voluit. Quòd si essent omnia vnum membrum: vbi corpus? nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus.* Quam sententiam mirum in modum amplificauit Diuus Gregorius Nazianzenus: *Quemadmodum enim,* inquit ille, *in corpore aliud membrum principatum tenet, ac velut præsidet: aliud subest, ac regitur: ad eundem quoque modum Deus, vel æquitatis lege, quæ meritum cuiusque perpendit, vel etiam prouidentiæ, per quam omnia inter se deuinxit, hoc in Ecclesiis constituit, vt alij pascantur, & pareant (quibus id vtilius est) ac tum sermone, tum opere ad officium dirigantur: alij contrà ad Ecclesiæ perfectionem Pastores, ac Magistri sint: nimirum qui virtute, coniunctione, & familiaritate apud Deum vulgo sublimiores sunt, rationem animæ ad corpus, aut mentis ad animam obtinentes; vt hæc duo, hoc est, & id, quod deficit, & id, quod redundat inter se, velut in membris, composita, & compacta, spiritusque compage connexa, & colligata vnum corpus omni ex parte perfectum, atque ipso Christo, qui caput nostrum est, omnino dignum existant.* Ecce vt magnus theologus ex vniuersis Ecclesiæ ordinibus corpus vnum, cuius veluti anima Pastores sunt, compactum esse monstrauit. Iam igitur sic colligo: vt homo videre, loqui, audire, contrectareque tunc rectè dicitur: cùm oculus cernit, lingua loquitur, auris audit, manusque contrectant: ita certè tunc Ecclesia fidei dogmata explicare dicitur, cùm Ecclesiarum Præfecti Romani Pontificis authoritate in vnum coeunt, & quid in rebus obscuris, & difficilibus tenendum sit, quidque posteritas vniuersa amplecti, atque aliis veluti per manus tradere debeat, clarius Sole demonstrant, & rectè definiunt: cùm etiam ad morum formationem leges sanciunt, lites componunt; cùm exortos tumultus placare, atque sopire student; hæc omnia ab Ecclesia facta proferimus. Quod enim illa per Præfectos facit, cum quibus vnum corpus, & vnus est spiritus, id tota Ecclesia facere narratur. Ita enim vniuersam Ecclesiam ex multis, & variis membris constare dicimus, &

Nazianz. in Apol. cur in põtum fugerit orat. 1.

Eph. 4.

cre-

credimus, vt tamen Episcopos, & Presbyteros potiora eius membra dicamus: qui ab Apostolorum successoribus instituti alios iterum instituunt, vt semper Principatus Ecclesiæ maneat apud illa digniora Ecclesiæ membra, & non penes totam fidelium multitudinem; qui tamen, quòd vnum corpus efficiant cum Pastoribus: & in eodem corpore omnia sint communia, rectè id totum facere dicuntur omnes, quod præstantiora Ecclesiæ membra simul collecta faciunt. Quare cùm totius Ecclesiæ tota, & perfecta authoritas in Patribus Concilij quiescat, vt exortos tumultus sedare, & excitatas de Religione contentiones diuino lumine illustrati, & cælesti afflatu corroborati dirimere possint, iure optimo ab vniuersali Concilio Ecclesiam vniuersam repræsentari dicimus.

Liceat autem nobis ad superiora adnectere, quæ Illustrissimus Stanislaus Osius de Sancta Romana Ecclesia Cardinalis optimè meritus Catholici cuiusdam Imperatoris verba in medium profert. Sic enim peracta Synodo, quæ Constantinopoli habita est, eleganti quadam oratione ad omnes, qui tunc aderant, vsus, his tandem verbis laicos alloquitur: *De vobis autem laicis, tàm qui in dignitatibus, quàm qui absolutè conuersamini, quid amplius dicam, non habeo; quàm quòd nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & vniuersali Synodo aduersari. Hoc enim inuestigare, & quærere Patriarcharum, Pontificum, Sacerdotum est: qui regiminis officium sortiti sunt: qui sacrificandi, qui soluendi, & ligandi potestatem habent: qui Ecclesiasticas, ac cælestes adepti sunt claues: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel ligamento solui egemus. Quantæcumque enim Religionis, & Sapientiæ laicus existat, vel etiam si vniuersa virtute interius polleat, donec laicus est, ouis vocari non desinet. Rursusque quantumcumque Episcopus sit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec Antistes est, & veritatis verbum rectè prædicauerit, Pastoris nominis, & dignitatis damna non patietur.* Quæ igitur ratio est in ouium ordine constitutis discutiendi

Stanisl. Osius de œcumenico Cōcil. c. 24.

Pasto-

pastores inani verborum subtilitate, & ea, quæ supra nos sunt, superuacanea curiositate quærendi, & de rebus, in quibus forsan nullum dubium est, tenaciter ambigendi? Oportet ergò nos cum timore, & fide syncera hos audire, horum faciem vereri, cùm sint ministri Domini omnipotentis, & huius formam possideant, & nihil amplius, quàm ea, quæ nostri ordinis sunt, exquirere. Nunc autem, vt videmus, adeò multos affectata malitia in insaniam accendit, vt immemores proprij status, & se pedes esse minimè cogitantes legem oculis velint imponere. In rebus dubiis præter scriptæ legis canonem Sacerdotis iudicium pro altero canone sequi, & obseruare populo suo præcepit quondam Deus: non quòd legi diuinæ aduersaretur, sed quòd secundùm legis mentem prolatum esset.

Deut. c. 17. *Si difficile,* inquit, *& ambiguum apud te iudicium esse prospexeris: venies ad Sacerdotes Leuitici generis: sequerisque sententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neq. ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo: ex decreto Iudicis morietur homo ille.* Superuacaneum autẽ fuisset in re ambigua, & difficili Sacerdotes consulere, si de eorum sententia iterum disputandum, vel ad legem denuò recurrendum foret. Nam propter difficulates, quas lex ipsa non soluit, ad Sacerdotum iudicium, idque postremum missi sunt. Ideò Aggeus Propheta ait: *Interroga Sacerdotem legem.* Et Malachias: *Labia Sacerdotis custodiẽt scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.* Quemadmodum enim Sol prius montes illustrat, à quibus suscepti luminis splendor posteà resilit in valles; sic Deus Ecclesiarum Præfectos, vt ipsi sapientiæ lumen in alios diffundant, perfectius Spiritus Sancti nitore irradiat, & sapientia instruit. Hoc Regius Vates significauisse mihi videtur: *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.* Sunt enim Sacerdotes, tanquam montes, & prominentes colles: nam vt ij primi orbium cælestium influentiam, & cæli rorem percipiunt, cuius vim, & virtutem

Aggeus. c. 2.
Malach. c. 2.
Psal. 80.

tutem in imas posteà valles diffundant: Sic Ecclesiarum Pastores, in Christiana Rep. Dei consilio, & prouidentia sunt instituti: qui vt populis sunt eminentiores, influxum prius suscipiant sapientiæ diuinæ, quam deinde verbo, & scripto cæteris omnibus explicatam tradant: eiusque arcana mysteria commissis sibi populis distinctè exponant. Quemadmodum enim caloris, qui ab igne proficiscitur, eo magis aliquid fit particeps, quò propinquius ad ignẽ accedit: Sic certè fit in mystico Ecclesiæ corpore, vt illud membrum gratia capitis copiosius perfundatur, quod capiti vicinius, & propinquius existit. Cùm ergo vnum membrum Ecclesiæ vicinius Christo, quàm alterum sit, & membrum minus dignum per aliud mẽbrum dignius, & præclarius cum capite connectatur: sequitur profectò per Summum Pastorem caput Ecclesiæ, inde per collum, aut pectus, idest, per Pastores illi viciniores, & per illos, quorum curæ salus reliquæ multitudinis tradita est, Christum dona gratiæ, qua Ecclesiam regit, & munera sapientiæ suæ in totum corpus abundanter spargere. Quare & Basilius Antistites oculos nuncupauit: & Ambrosius illos oculorum in Ecclesia fungi officio eleganter scribit. Insanit igitur, insanit, qui pedes oculis, & ventrem capiti legem præscribere debere contendit.

Basil. epist. 30.
Ambros. de dign. Sacer. cap. 6.

Per Hieremiam Prophetam, inquit Dominus: *Dabo vobis Pastores, qui pascant vos scientia, & doctrina.* Pascere autem idem est, quod docere: docere, inquam, ita vt cæteri de doctrinæ veritate certi Doctori credere teneantur. Quemadmodum ergo potissimum Pastoris munus est salutaria pabula, ad quæ statutis temporibus gregem ducat, diligenter indagare, atque etiam æstuante Sole ad aquarum riuos lauandas oues, & reficiendas agere: quæ quidem ad Pastoris sui vocem vel remorari, vel interiecta quiete, vlterius progredi, ad Pascua pergere, vel inde ad ouile gressus suos dirigere tenentur: ita sanè ad Ecclesiarum Præfectos sublimium mysteriorum doctrinam populis tradere,

Hier. c. 3.

obuoluta

obuoluta Religionis dogmata explicare, atque lites omnes ſepelire,& exortas dubitationes tollere, maximè ſpectat. Chriſtus enim, qui Petro, vt agnos, & oues ſuas paſceret,præcepit,ouium eſſe dixit,vocem Paſtoris ſui audire,atque ipſum ſequi: qui verò aliquem ſequitur,cuius docentis vocem audiat, is profectò tantum abeſt, vt præſit, vt ei potius parendum ſit.

Ioan. 10.

Ioan. 21.

Vnde Apoſtolus Paulus gratias Deo agit, quòd Romani ſequerētur ex animo eam formam doctrinæ, in qua fuerant educati. Eleganter quidem Gregorius Nazianzenus populum affatur,dum inquit: *Oues Paſtores ne paſcite,nec ſupra fines veſtros aſſurgite. Satis enim vobis eſt, ſi rectè paſcamini. Iudices ne iudicate: nec legislatoribus leges præſcribite. Non eſt enim diſſentionis, & confuſionis Deus, ſed pacis & ordinis. Ne quis igitur caput ſit, qui vix, aut manus, aut pes, aut vilius quoddam aliud corporis membrum eſt: verùm quo vocatus eſt, in eo gradu quiſque maneat, etiam ſi alioqui præſtantiori dignus ſit,plus vtique laudis habiturus ex eo, quòd præſenti gradu acquieſcit, quàm ſi eum quærat, quem non accepit. Ne quis, cùm ſine periculo alium ſequi liceat, præire cum periculo expetat: nec obedientiæ lex, quæ tam terrena, quàm cæleſtia tuetur, atque conſeruat, infringatur: neque committamus, ut Præfectorum multitudo in diſſolutam ſine vllis Præfectis viuendi licentiam recidat.*

Nazianz. orat. 9.

Populorum ergo turbam, aut eorum, qui Chriſto ſeſe tradiderunt quempiam Sacerdotibus,quæ ad ſalutē æternam conducunt decernētibus obſiſtere impium ac ſacrilegum eſt; idq. meritò quidē;atque manifeſtè per Oſeam Dominus oſtendit: cùm enim de Iſraelitarum flagitijs cōquereretur, vt deploratæ iam ſalutis eos demonſtraret, ipſos ſimiles illis eſſe dicit, qui Sacerdotibus repugnant, & aduerſantur. Nam cum ijs contendere,quibus parere Religioſè debes, hominis ſanè eſt, qui pudorem vnà cum pietate abiecit. Quare ingentes, Iſraeliticæ genti calamitates,funeſtas clades,extremas denique miſerias minatur: cùm ad cæteras illius ærumnas, illud, veluti cumulum, acceſſurum dicit,ipſam, dum à Prophetis oraculum quæreret,

Oſeas c. 4.

Ezech. 6. 7.

feret, non esse reperturam, & Sacerdotem legis mentem non percepturum, & in Senioribus consilium defecturũ. Nil enim aut Reipub. magis calamitosum, aut mortalium saluti perniciosius fingi vnquam potuit, quã eorum opera, & officio destitui, qui Diuinæ sunt interpretes voluntatis. Quocirca cum timore, honore, atque charitate erga Deum, reuerentiam quoque erga ipsius Sacerdotes Iesus filius Sirach Salomonis sectator ita coniunxit, vt secerni inuicem, ac separari non posse ostenderit. *In tota*, inquit, *anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius sanctifica: in omni virtute dilige eum, qui te fecit, & ministros eius non derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes illius.* Hæc certè si priscis illis, & sanguinolentis Sacerdotibus (qui pecudes sacrificabant, & legem populo tradebant, quæ pædagogus erat in Christo Iesu) honoris, & pietatis officia debebantur: qui Christum Iesum Dei filium immolant: qui Euangelium, quod Dei virtutem continet, in salutem omni credenti sanctissimè explicant, nouæ legis Sacerdotes in maiori pretio habendos esse quis non videt? Dominus certè omnibus obseruantiæ, & pietatis officijs illos prosequendos docuit: quoties illos sanctos, hoc est, à vulgi consortio, & communione seiunctos, sibique admirabili ministerij genere deuinctos appellauit. Quos enim ille maximarum virtutum splendore, vt etiam dignitate cæteris præstare voluit; hos profectò vt populi Præfectos agnoscant, honore maximo, & obseruantia prosequantur, & certissimos Duces à tergo sequantur, & legis Doctores venerentur, sæpissimè monuit, & præcepit. *Eccles. c. 7.*

Iure igitur optimo Apostoli, cæterique sanctissimi Heroes cùm spiritum scientię & intellectus œcumenicis Cõcilijs interesse, & abditam veritatem in illis patefieri Diuini Spiritus afflatu optimè cognouissent; fidei quasi præsidia in cœtu Episcoporum capitis authoritate congregatorum prudenter collocarunt: quorum placita in deploratis Ecclesiæ rebus, tanquam cælestia quædam subsidia

diligenter implorarent.

Non enim Apostolis solùm, qui tunc aderant; sed vniuersæ Ecclesiæ per huius vniuersitatis limites dispersæ (quam illa discipulorum collectio referebat) Spiritus Sancti protectionem à Christo Iesu promissam rectissimè cognorant. Ea namque est fidei Catholicæ, quam animis nostris inserere instituit, & Christianæ Religionis, qua nos imbuere maximè studuit, vis, atque natura, vt sine præsenti Spiritus Sancti afflatu consistere non possit. Illum verò veritatis spiritum idcircò appellauit, vt omnem prorsus ab Ecclesia, cui præest, erroris suspicionem amoueret: neque falli eos posse, qui Ecclesiæ ductum sequerētur, apud omnes testatum relinqueret. Hunc autem peculiari quadam, & admirabili ratione singulari Dei beneficio illi concessum fuisse Hieremias Propheta apertè monstrauit: cùm in præcipuis beneficijs, quæ Christus secum nobis attulit, enumerat, illum Sacerdotum animas pinguedine esse inebriaturum. Hoc est, ipsum singulari quadam diuinarum rerum cognitione mentes illorum illustraturum, qua omnes errorum tenebras à suorum animis fugarent.

Hier. c. 3.

Hinc præstantes illi viri (quorum virtutes, & præclara gesta vnà cum doctrina, & Sapientia qua summè pollebant, literis prodita sunt) quoties dubio aliquo, vel pertinaci contradictione exorta, vel hæretica factione aliqui ab vnitate Ecclesiæ separati sunt, quos intra proprios limites Episcopus cum Sacerdotibus suæ diœcesis tenere non posset, absentes Episcopos suæ, vel alterius Prouinciæ de nata rebellione per literas certiores facere consueuerunt; vt communi plurimorum Patrum consilio, & iudicio dubium omne solueretur: controuersia dirimeretur: nouo denique dogmate, & prauæ doctrinæ authore condemnato, tota contradictio & factiosa rebellio sopiretur. Quod si pestis illa amplius grassaretur, illud vnicum, & præsentaneum malorum omnium remedium periclitanti

ti Reipub. adhibendum esse existimarunt, quo aduersus omnes hæreticos semper præualuit Catholica Ecclesia, vniuersos totius Orbis Pastores monere, & in vnum conuocare, vt communi omnium consensu, Christianæ Religionis, atque Catholicæ fidei veritas eliceretur; illiusque dogmata, si quæ inuoluta, aut nimis obstructa videbãtur, explicarentur, manifestaque fierent. Ita ab Alexandro Vrbis Alexandriæ Episcopo (vt cæteros prætercam) contra Arium, Achillam, & eorum asseclas factum fuisse legimus. Cùm enim Arius hæresi (quæ posteà Ariana à nomine authoris dicta est) Alexandrinam Ecclesiam perturbaret, adeò, vt pestifera, & exitiosa illa labes inde per vniuersam Aegyptum, Lybiam, & superiorem Thebaidem, multas denique alias Prouincias laberetur, Alexander quos diligenti admonitione, & disputatione frænare non potuit, multorum Antistitum conuocato Concilio, Arium, & eius opinionis sectatores omnes Presbyterij gradu amouit. Qua de re ad Episcopos cuiusque ciuitatis literas dedit, quibus se Ario, & eius fautoribus, quiq. vnà cum illis tam fœdæ opinioni assentiebantur, cum alijs ferè centum Aegypti, & Lybiæ Episcopis in vnum congregatis anathema pronunciauisse testatur. Cæterùm quanquàm Sacras, & Diuinas Scripturas explorando, sæpissimè illos Alexander conuicerat, & centum ferè Episcoporum integerrimo, & incorruptissimo iudicio condemnarat; latius tamen serpebat in dies hoc malum. Nam sub aliquorum Præsulum tutela, & patrocinio, ad quos confugerant, quosque patronos implorarant, pestiferis linguis lethale venenum spargebant, & populum ore serpentino fallebant. Qui enim de illis literis certiores facti fuerant contentionis, & discordiæ incendijs flagrare cœperunt: & cùm alij literis, & Synodi decretis, suffragari, iisdemq. subscribere voluissent, alij illis penitus aduersari maluerunt. Vnde ingens tumultus nusquam non concitatus est. Nam videre erat non modò Ecclesiarum Præsides male-

Socrat. li. 1. cap. 3.

dicis, & contumelioſis verbis alios ab alijs impetitos: verùm etiam multitudinem in duas partes diuiſam: quarum altera in horum, altera in illorum ſententiam inclinauit. Itaque eò flagitij, & turpitudinis res prolapſa eſt, vt tumultus placari, pernicioſaque contentio in Ecclesia Dei exorta ſopiri nullo modo potuerit, antequam vniuerſale, ſiuè generale cogeretur Concilium. Accerſitis igitur,
Euſeb. lib. 3. de vita Cōſtan. vndique Epiſcopis, qui Nicæam Bithyniæ vrbem ſe ſe conferrent, ex multis ciuitatibus, & Prouincijs eò aduentantibus: ex omnibus, inquam, vt ait Euſebius, Eccleſiis, quæ vniuerſam Europam, Lybiam, & Aſiam occupabant, Dei Miniſtris, qui facilè primas ferre credebantur, in vnum collectis trecentis decem & octo, Ario, & eius, opinionis ſectatoribus & fautoribus Catholica & Apoſtolica Dei Eccleſia anathema indixit, ſiluitque vniuerſus Orbis.

Ecce quos intra proprios limites Epiſcopus Alexandriæ continere non potuit, Prouinciali Synodo condemnauit, & quos tumultus, & exitioſas contentiones centum fermè Epiſcoporum cœtus ſedare non valuit, vniuerſale Cōcilium ſopiuit. Hinc etiam cùm Pelagij, & Cæleſti prauam doctrinam in Palæſtina, Carthaginenſi, & Milleuitana Synodis Patres ſimul collecti damnauiſſent, non ta-
Aug. ep. 47 & lib. 2. de pec. orig. c. 21. men graſſantem peſtem prorſus extinxiſſent, Zozimus Chriſti Summus Vicarius, vt meminit Diuus P. Auguſtinus, ad omnes totius Orbis Epiſcopos literas miſit: ijs verò ſumma conſenſione ſubſcribentibus, euidentius illorū doctrina damnata eſt. Pelagio autem, & Cæleſto, rurſus anathema indictum fuit. Vnde diſertè Baſilius Magnus Eccleſiæ Neocæſarianæ prudentioribus, & doctioribus ſcribens de Amonæo, & Sabellio, quòd Eccleſiam falſis, & impijs opinionibus perturbarant, grauiter hoc modo
Epiſt. 64. conqueritur. *In quibus ſi perſeuerauerint, cogemur ad alias Eccleſias ſuſceptum damnum proclamare, efficereque vt à pluribus ad vos*
Epiſt. 74. *Epiſcopis mittantur literæ, quibus impij huius figmenti magnitudo deſtruatur.*

ſtruatur. Quæ nos enim loquimur(ait idem Occidentalibus Epiſcopis, de Apollinarij & Paulini hæreſi diſputans) *multis ſuſpecta ſunt: quaſi propter priuatas quaſdam contentiones, metum, ac puſillanimitatem illis incutere velimus. Vos verò quantò ab illis habitatione remotiores eſtis, tantò plus apud plebem habetis fidei; ad quod, & hoc accidit, quòd ad curandos oppreſſos adiumento eſt vobis gratia Dei. Quòd ſi plures quoque vnanimes eadem decreueritis, manifeſtum eſt, quòd multitudo eadem decernentium indubitatam omnibus efficiet dogmatis ſuſceptionem.* Si autem voti adhuc compotes non erant Eccleſiæ Præſules: ad Concilia Prouincialia, inde verò ad generalia ex toto terrarum Orbe congregata ibatur. Nunquam autem plebis, nunquam ciuilis Magiſtratus, niſi, vt audaces, & temerarij pœnis coercerentur, auxilium imploratum fuit. *Epiſt. 74.*

Veruntamen non paſſim, & frequenter, vel ob quamlibet hæreſim, vel excitatam rebellionem, vel ſeditionem exortam, & quamcunque de Fide, & Religione controuerſiam pullulantem, ſed maxima vrgente neceſſitate, & cùm nulla alia iam extinguendæ funeſtæ flammæ ſpes relicta videbatur, vniuerſale Concilium congregari in more poſitum fuit. Rariores etiam hæreſes illæ fuerunt, quæ ad hanc neceſſitatem Eccleſiam compulerint. Quare cùm Pelagiani conquererentur, quòd ab Epiſcopis ſine congregatione Synodi in locis ſuis ſedentibus ſubſcriptiones aduerſus eam, quæ Pelagiana hæreſis dicebatur, peterentur: diſertè diuus P. Auguſtinus illis reſponſum dedit. *An verò congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur? Quaſi verò nulla hæreſis aliquando, niſi Synodi congregatione damnata ſit, quin potius rariſſimæ inueniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit; multoque ſint, atque incomparabiliter plures, quæ vbi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras deuitandæ innoteſcere potuerunt.* Quandò ergo per literas ad reliquos Chriſtiani Orbis Epiſcopos datas ſatis innotuerant nouorum dogmatum ſeminatores, ita, vt ab eis frænarentur, Synodali congre- *Lib. 4. c. 12. cōt. duas ep. Pelag.*

gatione

gatione certè opus non fuit: Graue enim admodum foret, si propter duos in fide cariosos, toto in Orbe, essent Ecclesiæ Sacerdotibus destitutæ. Idcircò cùm Pelagiani crebrò se victores iactarent, quòd sibi datum non esset, quod desiderauerant, & postulauerant, examen (hanc enim profani homines gloriam captabant, vt propter se ex Orientis, Occidentisque Ecclesiis omnibus Pastores, & Antistites congregarentur, vniuersaleque celebraretur Conciliũ) appositè Augustinus respõdit satis æquum, & efficax iudicium illis factum fuisse per Concilia, nimirum, prouincialia, in Palæstina, Carthagine, Mileti, atque etiam Constantinopoli celebrata. Quocirca summa Pastorum Prouidentia, & studio lupos arcendos esse, & vbicunque extarent, conterendos dicebat. *Dedit vobis*, ait rursus, *Ecclesia Catholica iudicium, quale debuit, vbi causa vestra finita est.*

De vtil. cre. ca. 14. cont. Iul. libr. 3. c. 1. & lib. 4. c. 12.

Inficiari tamen non possumus vsque adeò in Christiana Repub. aliquandò hæreses creuisse: vt, nisi ad generalia Concilia, in quibus fidei præsidia Patres collocauerãt, itum fuisset, nulla restituendę pacis Ecclesiis spes reliqua fuisset. Vnde sanctissimi heroes ad extirpandas hæreses, sarcienda schismata, & instaurandum toto Orbe collapsum Ecclesiasticæ disciplinæ vigorem, vtile, & salutare, ac suo modo necessarium remedium in vniuersalibus cõciliis constitutum esse tradiderunt. Nam diuus P. Augustinus quæstionem illam, essentnè ab hæreticis baptizati & ad Ecclesiam conuersi rursus baptizandi (quamuis illa cùm in particularibus conciliis, tùm à sede Apostolica explicata, & definita esset) ante Concilij generalis sententiam finiri numquam potuisse manifestè affirmat: non quidem ob authoritatis defectum, quæ certè finiendi quæstionem illam Apostolicæ sedi, maximè cooperantibus Prouincialibus conciliis, deneganda non est: sed ob defectum opportuni temporis. Adeò enim magnos viros patronos habuit Cypriani opinio vt (quamuis, sicut

Augu-

Augustinus suspicatur, ille, & ex sectatoribus nonnulli, quod ex Hieronymo, & Eusebio deducitur, sententiam mutauerint) nisi summa totius Ecclesiæ authoritate obruti essent, facilè ab inceptis nunquam forsitan destitissent. Idcircò Augustinus, *Quæstionis*, inquit, *huius obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus ante schisma Donati magnos viros, & magna charitate præditos, Patres Episcopos ita inter se compulit, salua pace, disceptare, & fluctuare, vt diu Conciliorũ in suis quibusq. Regionibus diuersa statuta nutauerint: donec plenario totius Orbis Concilio, quod saluberrimè sentiebatur, etiã, remotis dubitationibus, firmaretur.* Et post aliquot capita ait: *Restat vt hoc de baptismo piè credamus, quod vniuersa Ecclesia à sacrilegio schismatis remota custodit. In qua tamẽ si aliud alij, & aliud alij adhuc de ista quæstione, salua pace, sentirent donec vniuersali Concilio vnum aliquid eliquatum, syncerumque placuisset, humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas vnitatis.* Tandem eandem sententiam sic disertè prosequitur. *Nec nos tale aliquid auderemus contra Cyprianum asserere: nisi vniuersæ Ecclesiæ concordissima authoritate firmati, cui & ipse sine dubio cederet, si iam illo tempore quæstionis huius veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium solidaretur.* Libertatem ergò iudicij Episcopalis agnoscit Augustinus in veritatibus nondum eliquatis: eliquatam autem veritatem ponit, non in quibusuis, sed in plenariis Cõciliis, siue generalibus. Nam in Regionali, vt ille loquitur, inchoari tantùm rerum eliquationem, terminari autem in plenario idem alibi in eodem opere docuit.

Aug. epist. 48. ad Vincentium.
Hierony. de scrip. Eccl. et Euseb. lib. 7. hist. c. 4. asserunt Dion. Alexand. in Cypria. sententiam descendiße, quem paulo post mutasse sententiam constat. vt refert Euse. lib. 7. c. 8.
Aug. lib. 1. de baptism. cont. Don. cap. 7.
Idem c. 18.
Lib. 2. c. 4.
Lib. 2. ca. 9. & li. 7. c. 53

Hinc non summam, & absolutam necessitatem (vt quidam minus sapienter existimarunt) verùm vtilitatem maximam, singulare præsidium, & salutare remedium in vniuersalibus Synodis Augustinum liquidò constat collocauisse vt, quamuis Apostolicæ sedi cooperantibus Prouincialibus Conciliis controuersiam illam finiendi authoritas non deesset, voluerint tamen summi illi heroes ex vniuerso orbe congregato Concilio quæstionem finiri; cùm vt melius, & commodius oblatrantes aduer-

sarios

ſarios compeſcerent, & exortam ſeditionem ſopirent: tùm, vt quæ eſſet Catholica fides communi Patrum conſenſu declarata per vniuerſum Orbem diſperſis Chriſtianis innoteſceret: neque amplius dubitandi vllus relinqueretur locus. Tantam enim Concilia generalia in veritate indaganda diligentiam, in conſultando ſolertiam, in definiendo moderationem adhibent; vt nemo ſanè, niſi extrema quadam fuerit perfidia inueteratus, ab illorum poſſit ſanctiſſimis præſcriptionibus diſcedere. Quamobrem noſtris etiam temporibns cùm noui hæreſiarchæ noua impietate, doctrina noua, nouis erroribus Eccleſiam vexarunt: quos Epiſcopi, proceres, ac maximè pij viri, Catholicæ Eccleſiæ cauſam agentes, verbo, & ſcripto intrepidè aggreſsi, & in publico congreſſu, diſputationibus priuatis, & publicis, Prouincialibus etiam Concilijs in tota ferè Europa collectis, Moguntino ſcilicet, Treuerenſi, & colonienſi, in Germania Superiori, Mechlinienſi quoque, & Canteracenſi in Germania Inferiori, proſtrarunt, & funditus euerterunt: vt tamen omnis ſcrupulus è fidelium cordibus tolleretur, & tam ignaræ multitudini labendi, quàm prudentioribus errandi occaſio auferretur, ad generale, & œcumenium Concilium, in quo impiorum cauſa prorſus finita eſt, diuino quodam conſilio, appellarunt: eiſque accedere nolentibus Patres in Spiritu Sancto in vnum congregati Eccleſiaſtico gladio vulnus lethale inflixere. Non quidem temerè, & inconſultò, nam id cogitare nefas quidem eſt, ſed cùm de Religione quæſtio eſſet, tam auidè Theologi primùm, deinde Patres oracula, atque veterum placita inueſtigarunt: tam accuratè, tam diligenter veritatem indagarunt: tam ſyncerè, & tam candidè aduerſariorum ſententias retulerunt: eorumque argumenta tanto, & tam exacto iudicio ponderarunt, vt neque tantam diligentiam quicquam ſubterfugere potuerit: neque aliquis amplius dicēdi locus aduerſarijs fuerit relictus. Adeò, inquam, vt quanuis nullis Chriſti promiſ-

missionibus Conciliorum authoritas firmata esset (quam multis certè corroboratam latius ostẽdemus) tamen tam accurata ratione indagandi veritatem coacti aduersarij illorum definitionibus assentiri deberent, nisi obfirmatis animis & inueteratis odijs in Sedem Apostolicam, atque illius dignitatem conspirauissent.

Conciliis igitur quid ex propria sua ratione in vniuersum conueniat, & quo iure sanctissimi Heroes fidei quasi præsidia in illorum authoritate collocarint, atque illorum placita, tanquam cælestia quædam, Diuinaque subsidia in deploratis Ecclesiæ rebus implorauerint, iam satis explicauimus. Vt tandem Ecclesiasticorum Conciliorum rationẽ omnem clarius tradere possimus, ea primum partiri in sua genera, deinde cuique generi quid propriè conueniat, quid quodque egerit, quam exercuerit authoritatẽ, quid in ipsis probauerit, & agnouerit vniuersa Ecclesia ex ipsa rei euidentia, & Ecclesiasticæ traditionis obseruatione demonstrare conabimur.

CAP. XI.

PErlustranti itaque mihi, quæ ab initio nascentis Ecclesiæ celebrata sunt, Concilia, quatuor sese obtulerunt eorum genera: Diœcesana, in quibus Presbyteri solummodò cuiusque diœcesis coeunt, Episcopo illius Ecclesiæ præside: Prouincialia, quæ vnius Prouinciæ Episcopis constant, sub vnoque Metropolitano conuenientes eiusdem Prouinciæ rebus prospiciunt: Nationalia, in quibus causa quidem, quæ tractatur, vniuersalis est, ad Religionem, & Ecclesiasticam obseruationem spectans: conuocatio verò, aut congregatio nequaquam: in his enim Episcopi, & Archiepiscopi Regni, vel nationis vnius authoritate Patriarchæ, vel Primatis accersiti coire consueuerunt: Vniuersalia itẽ, quæ qualia sint, ipsa nominis ratio apertè indicat; nempè in quibus totius Ecclesiæ tractatur negotium: quibus totius Orbis Episcopi conuocati interesse possunt: ac nisi legitimè impediantur, adesse debent: quibus denique Romanus Pontifex Christi Vicarius, vel qui

nio, Sacerdotalis Concilij institutionem à Deo factam, & authoritatem illius commendatam fuisse propriis oculis
Deut.c.17. intuebimur. *Si difficilè*, inquit Dominus, *& ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem; causam, & causam; lepram, & lepram: & iudicium inter portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus; veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem.* Ecce in veteri Synagoga Sacerdotes constituti sunt, qui non solùm scriptam legem populo legerent, atque exponerent: sed qui etiam, si quid difficilè & ambiguum ortum esset, in quo vel iudices ciuitatum cæcutire viderentur, vel quod ex lege scripta satis diiudicari non potuisset, indicium facerent, & sententiam pronunciarent; quā pro canone sacrosancto & regula certissima, non quidem legi aduersam, sed iuxta legem Domini prolatam omninò haberi lex ipsa statuit. Causam autem non ab illis, qui inter sese disceptassent, sed ab inferioribus iudicibus deferendam fuisse, veritas Hebraica satis apertè indicat, quæ sic habet: כִּי יִפָּלֵא מִמְּךָ דָבָר לַמִּשְׁפָּט בֵּין־דָּם לְדָם בֵּין־דִּין לְדִין וּבֵין נֶגַע לָנֶגַע דִּבְרֵי רִבֹת בִּשְׁעָרֶיךָ וְקַמְתָּ וְעָלִיתָ אֶל־הַמָּקוֹם אֲשֶׁר יִבְחַר יְהוָה אֱלֹהֶיךָ בּוֹ׃ וּבָאתָ אֶל־הַכֹּהֲנִים הַלְוִיִּם וְאֶל־הַשֹּׁפֵט אֲשֶׁר יִהְיֶה בַּיָּמִים הָהֵם וְדָרַשְׁתָּ וְהִגִּידוּ לְךָ אֵת דְּבַר הַמִּשְׁפָּט׃ chi ippale mimmecha dabhar lamiscpat bendā ledam ben din ledin ubhen neghangh laneghangh dibhre ribhoth biscngharecha vekamta vēghalitha el hāmakom ascer ibhchar Iehoua elohecha bo: Vbhatha el ha cohanim haleuijm veel hasciofet ascer Iheie baiamim ha hem vedharascta vehighidu lecha eth de bhar hamiscpat. Hęc nāq. septuaginta viri sic interpretati sūt, ἐὰν δὲ ἀδυνατήσῃ ῥῆμα ἀπὸ σοῦ ἐν κρίσει ἀνὰ μέσον αἷμα αἵματος, καὶ ἀνὰ μέσον κρίσις κρίσεως, καὶ ἀνὰ μέσον ἁφὴ ἁφῆς, καὶ ἀνὰ μέσον ἀντιλογία ἀντιλογίας ῥήματα κρίσεως, ἐν ταῖς πόλεσί σου, καὶ ἀναστὰς ἀναβήσῃ εἰς τὸν τόπον,

οὗ ἂν ἐκλέξηται κύριος ὁ θεός σου ἐπικληθῆναι τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκεῖ. καὶ ἐλεύσῃ πρὸς τοὺς ἱερεῖς τοὺς λευίτας, καὶ πρὸς τὸν κριτὴν ὃς ἂν γένηται ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, καὶ ἐκζητήσαντες ἀναγγελοῦσί σοι τὴν κρίσιν. *Si autẽ impossibile sit verbum* (siue absconditũ & separatũ: verbum enim Hebraicum פָּלָא propriè significat, separare.) *à te in iudicio inter sanguinem & sanguinẽ, & inter iudiciũ, & iudiciũ, & inter lepram & lepram, & inter controuersiã & controuersiã, verba iudicij in vrbibus tuis, & surgens ascendes ad locũ, quẽ elegerit Dominus Deus tuus, vt inuocetur nomẽ illius illic: & venies ad Sacerdotes Leuitas, & ad Iudicem qui fuerit in diebus illis, & quærentes nunciabunt tibi iudicium.* Hoc est: post longam & maturã consultationem, quid tenendum vel faciendum sit statuent, & canonis præscripto pronunciabunt. Hoc verò eo apertius Ecclesiastici Concilij medium singulare, & rationem significari mihi videtur, quo illius singulare à Deo concessum priuilegium, & nunquam defecturam authoritatẽ, quæ sequuntur manifestius & constantius ostendunt. *Facies*, enim, inquit Dominus, *quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quum elegerit Dominus, & docuerint te. Iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorũ, non declinabis ad dexterã, neque ad sinistrã:* Quæ septuaginta viri præclarè exposuerũt: κατὰ τὸν νόμον καὶ κατὰ τὴν κρίσιν ἣν ἂν εἴπωσί σοι ποιήσεις· οὐκ ἐκκλινεῖς ἀπὸ τοῦ ῥήματος οὗ ἂν ἀναγγελῶσί σοι δεξιὰ οὐδὲ ἀριστερά: *Secundum legem, & iuxta iudicium quod dixerint tibi, facies. non declinabis à verbo, quod nunciauerint tibi, ad dexteram, neque ad sinistram.* Quod enim Hebraicè legimus, וְעָשִׂיתָ עַל־פִּי הַדָּבָר אֲשֶׁר יַגִּידוּ לְךָ מִן־הַמָּקוֹם הַהוּא אֲשֶׁר יִבְחַר יְהוָה וְשָׁמַרְתָּ לַעֲשׂוֹת כְּכֹל אֲשֶׁר יוֹרוּךָ׃ עַל פִּי הַתּוֹרָה אֲשֶׁר יוֹרוּךָ וְעַל הַמִּשְׁפָּט אֲשֶׁר יֹאמְרוּ לְךָ תַּעֲשֶׂה לֹא תָסוּר מִן הַדָּבָר אֲשֶׁר יַגִּידוּ לְךָ יָמִין וּשְׂמֹאל׃ vẽghasitha nghal-pi haddabhar ascer iaghidhu lecha min hamakom hahu ascer ibhchar Iehoua vesciamarta langhasoth chechol ascer iorucha: nghal pi hattora ascer iorucha venghal hamiscpat ascer iomeru lecha tanghase lo thasur min haddabhar ascer iaghidhu lecha iamin vsmol.

Ad verbum sic Latine transferre possumus. *Et facies secundùm verbum, quod annunciabunt tibi è loco illo quem eligerit Dominus: Et custodies, vt facias iuxta omne quod te docuerint, iuxta legem, quam docuerint te, & iuxta iudicium quod dicent tibi facies. Non discedes à verbo, quod annunciauerint tibi ad dexteram, aut ad sinistram. Et facies,* inquit Pagninus, *secundum Sermonē verbi, quod annunciabunt tibi è loco ipso, quem elegerit Dominus, & custodies faciendo iuxta omnia, quæ docebunt te. Et iuxta Sermonem legis, quem docebunt te, & secundùm iudicium quod dicent tibi facies. Non declinabis ad dexteram, & ad sinistram.* Singulare igitur profectò fauoris Diuini priuilegium Sacerdotali Concilio concessum in veteri illa Synagoga apertè Dominus indicauit: quippequi Sacerdotes Leuitas vnà cum Pontifice statuentes de ambigua, aut difficili quæstione in errorem aliquē labi se nunquam permissurum esse promittere videtur. Securos enim illos reddidit de veritate illorum, quæcumque ab ipsis definita, iudicata, decretauè forent. Quantam præthereà, quàm Sacrosanctā eiusmodi Concilij authoritatem haberi voluerit, manifestissimè ostendit: cui tam exactè, tam solicitè, tam districtè omnes penitus obtemperare iussit. *Qui autem superbierit,* inquit Dominus, *nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel: cunctusq. populus audiēs timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.* Καὶ ὁ ἄνθρωπος, vertūt septuaginta viri, ὃς ἂν ποιήσῃ ἐν ὑπερηφανίᾳ τοῦ μὴ ὑπακοῦσαι τοῦ ἱερέως τοῦ παρεστηκότος λειτουργεῖν ἐπὶ τῷ ὀνόματι κυρίου τοῦ θεοῦ σου, ἢ τοῦ κριτοῦ ὃς ἂν γένηται ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, καὶ ἀποθανεῖται ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος, καὶ ἐξαρεῖτε τὸ πονηρὸν ἐξ ἰσραήλ. καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἀκούσας φοβηθήσεται καὶ οὐκ ἀσεβήσει ἔτι. Hoc est. *Et homo qui fecerit in superbia, vt non audiat Sacerdotē præsidentem ad ministrādum in nomine Domini Dei tui, vel Iudicis qui fuerit in diebus illis, & morietur homo ille: & auferetis malum ex Israel. Et cunctus populus audiens timebit: & non erit impius vltra.* Si verò ab vmbra illa, & veteri figura ad veram Catholicæ Ecclesiæ veritatem argumentari fas est (vt sanè bonorum omniū

con-

consensu efficax inde argumentum deducitur) certè inficiandum non est Ecclesiasticorum Conciliorum originem non quidem humanam, vt ait Albertus Pighius, sed Diuinam fuisse quondam in veteri Synagoga adumbratam; illa verò amplissimis Christi beneficiis illustrata; quippè quibus Spiritus ille veritatis præsens adest, qui Patrum mentes cælesti virtute firmet, & splendore illustret. Nam cùm Christus Dominus ad hoc se mortalem naturam induisse dixerit, vt testimonium perhiberet veritati, cùm ab hac misera, & ærumnosa vita emigraturus esset, alios in docendi munere hominum saluti in primis necessarios, quod per se ipsum exequi mortali conditione exutus non poterat, substituere oportuit, qui lucem, quam ipse vniuerso Orbi attulerat, conseruarent, & tuerentur: ac posteritatem diuinas leges docerent: ad quos etiam Gentes, & populi vniuersi confluerent, vt verbum Domini ab illis acciperent. Huc enim spectare montem illum domus Domini excelsum, & sublimem in vertice montium constitutum, ad quem omnes populi, & Gentes concurrerent, dicentes: *Ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos via, suas: & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem*: copiose alibi ostendimus.

Ioan. c. 18.

Isai. c. 2.

CAP. XII.

Longiùs profectò sermonem nostrum protraximus, quam Pighij viri in cæteris eximij authoritas patiebatur. Cùm enim ille putauerit nihil aliud ex Domini præcepto elici posse, quàm Sacerdotalis Concilij authoritatē à Deo quidem commendatam, quemadmodum ciuilem etiam potestatem Regum, Ducum, Magistratuumq. profanorum commendatam reperimus: cui vt obediremus, nobis Christus, & Apostoli præceperunt, nō aliter quam omnes humanarum Societatum, & Magistratuum, quibus necessariò gubernamur, formas, diuersitates, & species humanæ rationis inuentum Ecclesiastica Concilia esse contendit. Iam verò quantum in hoc deceptus fuerit

vir

vir ille eximius, apertè cognoſcet, qui æquiore paulò lance ſuſpẽderit, quid inter vtriuſque Magiſtratus formam, & ſpeciem interſit: ita enim quomodò vterque à Deo cõmendatus fuerit, quæue vniuſcuiuſque ſit vera, & intrinſeca ratio manifeſtè apparebit. Cùm enim vterque à Deo ſit, non tamen ex æquo quicquid Eccleſiaſtico conuenit, ciuili etiam deferendum eſt. Vt igitur Eccleſiæ docentis, & concionantis vox, vel tradentis, vel aſſerentis teſtimonium, vel in dubiis ſoluendis iudicium, vel qualiſcunque tandem poteſtas, & authoritas in ijs, quæ ad fidem pertinent, humanum aliquid, vel diuinum cenſeatur, cautè certè obſeruare opus eſt, qua ratione, & quibus ex cauſis vox, teſtimonium, iudium, aut ſententia aliqua vel humana ſit, vel diuina dicatur. Nam iudicium, vel ſentẽtia, vel teſtimonium prolatum cùm ſit legis, aut luminis alicuius effectus, tanquam formatum à ſua regula, verbum, aut vox erit humana, vel diuina, quæ vel à lege, vel lumine humano, vel diuino proficiſcitur. Quod enim eſt in practicis lex, hoc eſt in ſpeculatiuis, ſeu ſcientiis lumen. Æquè igitur perpendendum eſt, quæ ſit vera, & intrinſeca ratio iudicij, poteſtatis, legis, ſiue ſcientiæ diuinæ, & humanæ.

Verum itaque diſcrimen vtriuſque poteſtatis, ciuilis nimirum, & Eccleſiaſticæ, legum, & ſcientiarum omniũ humanarum, & diuinarum non à principiis, neque ab vltimis ipſarum finibus ſumitur: ſed potius à modo, & conditione cuiuſque. Per alia enim, atque alia media ciuilis, & Eccleſiaſtica poteſtas ad nos eſt diriuata. Nam ciuilis per media Iuris Naturalis, Gentium, aut Ciuilis ad homines plerumque deducitur. Etenim vt pater in filium aliquid haberet poteſtatis, Deus ipſe per Ius Naturæ effecit: dum ex naſcendi modo & ordine declarauit illum filio ſuperiorem eſſe, quippequi ei naſcendi cauſam præbuit. Hanc naturalem poteſtatem in eo præcepto Dominus indicauit. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt* Exod. c. 20.

ſis

sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Quam verò & Domini in seruos, & Reges in subditos exercent, à Deo certè per Ius Gentium potestas videtur instituta. Ius enim integræ, & incorruptæ Naturæ, nullum aut mortali domino seruum, aut terreno Regi subditum tribuit. Vnde Nemrod vi potius rapuisse, quàm diuinitus Regnū sortitum esse apparet. Et Iudæi ita Regem sibi constituere voluerunt, vt aliarum Gentium similes, in eo constituendo, fierent. Regia igitur potestas à Deo quidem, non tamen immediatè, sed potius per interpositum Ius Gentium emanauit. Si qua verò iusta, & legitima potestas ita in aliqua ciuitate recepta erat, vt tamen apud plerasque Gentes in vsu non esset; potestas illa etiam profectò à Deo existebat, proprius tamen ad Ciuile Ius referretur: hoc est, ad consensum, & legem eius populi, aut societatis, in qua ius illud fuerat institutum: ita tamen, vt semper verum sit, quod ad Romanos Paulus scribit: *Non est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt*.

Gen. c. 10. *1. Reg. c. 8.* *Rom. c. 13.*

Quòd si quis contendat aliquid etiam à Deo ipso apertum fuisse è cælo, quod in huius sœculi regimine obseruari voluerit: & huic nos libenter assentimur. Si tamen illud ex eorum numero non esset, quæ ad æternam salutem maximè pertinerent, sed ad pacem terrenam conseruandam, id vtique non aliter putandum est manifestatum fuisse, quàm vt esset declaratio quædam illius Iuris, quod vel Natura nobis inseruerat, vel necessitas exprimere, vtilitasve, iuxta Naturæ semina in lucem producere debuerat. Regia ergò, & Imperatoria potestas, illa etiam quæ hodie in Christiana Repub. viget, in omni causa, de qua in nouo testamento aliter dispositum non sit, vel Iuris Gentiū, vel Ciuilis Iuris est habenda. Ecclesiastica verò potestas tota est è cælo, neque per interiectum Ius Naturæ, Gentium, aut Ciuile, sed tantum per vnum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, ad nos benignè effluxit: quemadmodum in vete-

1. ad Tim. 2

ri illa ſynagoga, à Deo ipſo annunciata ad Iſraelis populum emanauit.

Nunc ergo, ſi ad rem noſtram hæc adaptare volumus, vt Eccleſiaſticæ poteſtatis ſupernaturalem, ac diuinam inſtitutionem probamus, non ex eo ſolùm, quòd à Deo inſtituta, & commendata fuerit (hoc enim commune cum illa ciuiles Magiſtratus habent: quorum formæ, & diuerſitates, & ſpecies cùm ſint humanæ rationis inuentum, nullam in eis diuinam inſtitutionem agnoſcimus,) ſed quòd tota è cælo ſit, neque per interiectum Naturæ Ius, Gentium, aut Ciuile: ſed ab ipſomet Deo per Chriſtum Dominum, quoad originem eius, finem vltimum, & potiſſimum, ac media inſtituta fuerit: ita profectò Eccleſiaſticorum Conciliorum rationem, formam, originem, authoritatem, ſupernaturalem, & diuinitus traditam intelligimus; non ſolùm, quòd à Deo commendata fuerit (cùm ſimiliter ad diſpoſitionem, ornatum, & cultum ſacrarum etiam rerum, humanæ rationis inuentis, vti laudabile, ac nonnunquam à Deo comprobatum ſit, vt cæca illorum impietas confundatur, qui ſi aliquid non inueniant præſcriptum in ſacris literis, quantumuis antiquũ, quantumuis in omni ætate obſeruatum ab omnibus, vel vt humanum inuentum aboleri, atque obliterari volunt) ſed quòd quidquid authoritatis in illis reperiatur, id totum ſit diuinum: quipppe quorum origo, forma, & conditio, non vt humanarum ſocietatum, & ciuilium Magiſtratuum Concilia ad pacem ciuilem inter homines conſeruandam, ſed ad ſempiternam animarum ſalutem comparandam, ab ipſomet Deo manifeſtata, & inſtituta fuerit. Licet enim Deus, vel aliquid è cælo annunciarit ad ciuilem poteſtatem pertinens, vel humano ingenio adinuentum, & hominum induſtria, ſolertia, & diligentia excogitatum aliquandò comprobarit: ſi tamen illud ad æternam ſalutem, quæ in Chriſto abſcondita eſt, non ſpectat, ſed ad terrenam huius ſœculi pacem tuendam:

id iam non aliter manifestatum, aut comprobatum fuisse diximus: quàm vt declaratio quædam Iuris Naturæ foret. Cùm ergo sacrorum Conciliorum institutionem, ac rationem omnem ad æternam salutem maximè pertinere, ipsa, de qua potissimum in illis agitur, Christiana Religio, & veri Dei cultus apertè ostendat: & in veteri illa synagoga Sacerdotalis Concilij (quod certè sacrorum Conciliorum in Catholica Ecclesia typus, & quædam abumbratio fuit) institutio peculiari modo, peculiari sacramento, valida, & perpetua firmitate ex diuino fauore illi promisso munita, & corroborata fuerit: non profectò humana, sed diuina eius origo comprobatur, & ostenditur. Quis autem Oecumenica Concilia, quorum authoritas diuina quidem censetur, & in Fidei, & Religionis quæstionibus diluendis tanta est firmitudo, vt à vero nunquam, ne latum quidem vnguem, possint deflectere: quorum vltimus finis sempiterna est animorum salus: in quibus non laici, non quicunque Ecclesiastici, sed Episcopi, & Ecclesiarum Pastores nouo sacramento initiati, præcipua Ecclesiæ membra (quorum propria, ac peculiaris functio est ea definire, quæ in controuersiam vocata sunt) Iudices suo iure sedeant, naturæ potius viribus comparatæ rationi, & humano ingenio, quàm Dei prouidentiæ, & Iesu Christi filij eius peculiari beneficio referet accepta? Quis sacrosancta hæc Christianæ Ecclesiæ Concilia Constantini Imperatoris inuentum pronuntiabit? Quis nullam in his peculiarem, & supernaturalem à Deo institutionem esse affirmabit? Qui sanè contentionis potius stimulo, quàm indagandæ veritatis studio ad disputandum accedet.

Verùm ne in sola figura, & veritatis vmbra amplius immoremur, ex nouo testamento apertius rem ipsam demonstremus: sacra enim Concilia non tam ab Apostolis, quàm ab ipso Christo duxisse originem, & authoritatem sumpsisse, si eorum repetamus initium, inuentu nō

Ioseph. antiq. lib. 18. c. 2. de bello Iud. li. 2. c. 7. difficile erit. Nam cùm illud Pharisæorum dogma, à veritate longe deuium, antea propagatum in dies serperet post Christi in carne aduentum, malorum animas interminato supplicio, statim à corporibus separatas cruciandas damnari, bonorũ verò in alia migrare corpora, adeò vt in Christum quidam ipsorum arbitrati commigrasse animam Heliæ, alij Hieremiæ, alij Ioannis Baptistæ, illum dixerint Heliam esse, vel Hieremiam, vel Ioannem Baptistam: hunc errorẽ vt idem Redemptor noster Christus Iesus extirparet, discipulos suos segregauit, quibus cùm, de summa rerum acturus, grauissimam proposuisset quæstionem, falsa dogmatizantium opiniones audiuit: discipulorum etiam suorum, seu Petri totius sacri Collegij nomine sententiam postulauit: qua audita rem protinus definiuit. *Et factum est*, ait Lucas, *cùm solus esset orans, erant cum illo & discipuli, & interrogauit eos dicens;* (sequitur apud Matthæum) *Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij autem Heliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex Prophetis. Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, filius Dei viui. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.*

Matth. c. 16. Mar. c. 8. Luc. c. 9.

Ecce celebrandorum Conciliorum typum quendam, & imaginem expressit Saluator noster. Turbis enim dimissis solus cum discipulis in vnum collectis, cùm Deo Patri preces iam obtulisset, de summa rerum cœpit agere, & ordine quodam mirabili (quemadmodum in omnibus Ecclesiasticis Concilijs Patres obseruare consueuerunt, vt primum errores perpendant, dissipent, & exterminent: deinde solida firmitate veritas stabilita doceatur) in primis diligenter percuntatur, quæ illorum, qui extra numerum erant, de filio hominis esset opinio: deinde, quid ipsi sentirẽt, omnium sententias rogat. Petrus autem, qui cæteros dignitate anteibat, omnium primus eam senten-

tiam tulit, vt aliorum omnium, qui cum Pythagoræis, & Pharisæis conspirantes alicuius ex priscis Prophetis animam in Christi corpus transmigrasse opinabantur, deliramenta confutaret: Reliquis verò illius sententiæ annuentibus Christus Dominus, Concilij pręses causam penitus finiuit; Petri sententiam laudauit, eamque pro fidei canone constituit; quam non veluti communem, & vulgarem, vel ex humano iudicio deprompta m, sed diuina Patris Aeterni suggestione dictatam professus est. Cùmque præuidisset fore, vt in Ecclesia de Fide, & Religione sæpè orirentur controuersiæ, ne ex cuiusque animi sententia Christiana Religione in diuersa distracta, diuina sacramenta vilescerent, quæ ipse in Ecclesiam suam contulerat, Reipublicæ suæ sapientissimè consuluit. Vnũ enim, & id conspicuum caput omnibus statuit; Principem vnum, cui cæteri subessent, & parerent, constituit, qui tum per se ipsum diuina sibi authoritate præstita, tũ etiam cùm res ita postulasset, Ecclesiarum Pastoribus in vnum coactis, eiusdem Christi exemplo, singulorum sententias rogaret, &, quid in rebus dubijs tenendum foret, statueret, omniumque suffragijs firmaret.

Hinc Apostoli tanquam ab ore Domini sapientissimè edocti hos conuentus (quos vsitatiori vocabulo Ecclesia Concilia vocare consueuit) statim post Christi in cælos ascensum habere cœperunt. Nam reuersi à monte Olíueti Hierosolymam ascenderunt, inquit Lucas, in cœnaculum, vbi simul cum alijs ferè centum viginti, vnanimi perseueratione, diuinis precibus vacabant. Tunc Petrus Apostolorum Princeps, cuius curæ cæteri erant commissi, vt Ecclesiæ afflictatæ, & Iudæ proditoris ruina quassatæ consuleretur, de substituendo aliquo ex discipulis in locum illius tractare cœpit. Omnium verò suffragijs constituti sunt duo, Iosephus nimirùm, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est iustus, & Matthias: & cũ orassent, *dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam, & annume-* *Act. c. 1.*

ratus

De cælesti hier.c.5.p.3

ratus est cum vndecim Apostolis. Iam verò, inquit Dionysius Areopagita, *ipse discipulorum facilè Princeps cum decem condiscipulis paribus,& Pontificibus,cùm ad supplendum, perficiendumque condiscipulorum numerum in Pontificio honore venisset, Deo electionem Religioso quodam timore permisit:cùm dixit: Ostende nobis,quem elegeris. Atque eum, qui Diuina sorte diuinitus annumeratus est in duodecim numernm, qui Pontificum erat, admisit. De Diuina autem sorte,quæ cælitus Matthiæ obtigit,meam,* inquit ille. *sententiam exponam: videntur enim mihi Diuina scripta sortem appellare diuinum quoddam munus, quod illi Pontificum choro,eum, qui Diuino iudicio, delectuque esset denunciatus,indicaret.Diuinus enim Pont fex non suo impulsu consecrationes,quæ Pontificem attingunt, conficere debet, sed Deo permouente eas, vt Pontifice dignum est diuinitusque celebrare.* Hæc ille. Ecce, vt numerus duodecim Apostolorum perficeretur,& aliquis,qui Iudæ proditoris sedem obtineret, eligeretur;Petrus Apostolos omnes & Pontifices congregauit, cum quibus in cœnaculo collectis negotium pertractauit, & singulorum sententiis rogatis, atque diuinis oraculis rectè expensis decretum fuit, illud maximè necessarium esse ex ijs,qui aderant, Christi Discipulis vnum substituere testem ipsius Christi rediuiui; quique Episcopatum illius acciperet, qui præuaricator extiterat. Non tamen hominum ingenio,atque solertiæ, sed Dei Diuino afflatui diuini consilij manifestationem, post longam, & maturam causæ discussionem,committendam existimarunt: quippe qui paulò antè edocti fuerant à Christo Domino, & Magistro suo omnes, qui Diuina humani ingenij viribus metiri, & comprehendere nitãtur,cœcutire, & in maximos labi errores magnopere oportere:Petrum autem idcircò summam rerum attigisse, quòd non,quid caro,& sanguis, sed quid Pater cælestis animo suggesserat, pronunciauerit.

Rursus cùm Principes Sacerdotum summæ Christi gloriæ in Apostolis diuinitus emicanti vehementer inuidentes in illos manus iniecissent; ab ijs verò superati pro-

strati

ſtratiq. fuiſſent (nam quomodò quos ſua Deus virtute armarat,& munierat, ſuperare potuiſſent?) multò periculoſius, difficiliuſque bellum infeſtiſſimus humani generis hoſtis illis indixit, quos per illos, qui intus in Eccleſia erãt, aggreſſus, admirabilem illam vnitatem, & mutuam, nuſquam anteà viſam, animorum concordiam diſſenſione turbare, ac ſchiſmate diuidere moliebatur. Eò autem illius conatus progreſſus eſt, vt, creſcente numero diſcipulorum, excitatum ſit murmur à Græcis contra Hebræos, quòd deſpicerentur in Miniſterio quotidiano viduæ ſuæ; à Græcis, inquam, non Gentibus (quibus Chriſti Eccleſiæ oſtium, quod Petrus paulò poſt reſerauit, non dum patebat) ſed Hebræis, qui, quòd in Græcia ageret, Græci à Iudæis dicebantur, Palæſtinæ enim indigenas, proprio nomine, illi Hebræos nũcupabant. Quo pacto igitur illud Græcorũ murmur Apoſtoli ſedandũ curauerunt? Quod tanto malorũ incendio, ne vlterius fideliũ corda ſchiſmate turbata in diſſidiũ properarẽt, remedium adhibendũ iudicarunt? Sanè vt omnes in vnum congregati incendiũ extinguerẽt, conſultò ſtatuerunt: & ne amplius malum ſerperet, ſed illa ſcintilla omninò perimeretur, Diaconos ſeptem totius ſacri Collegij conſenſione vnanimi cooptarunt: qui tali præficerentur miniſterio: & ita factum eſt. *Conuocantes enim duodecim multitudinem diſcipulorum dixerunt. Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo, fratres, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu Sancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus.*

Act. c. 6.

Phil. Iudæ. contr. Flaccum. & lib. de legat. ad Caium.

Act. c. 6.

Iam verò huius rei magnitudinem, quæ Apoſtolos Concilium impulit celebrare, facilè perſpiciet, qui naſcentis Eccleſiæ primordia memoria repetet: & conſuetudinem, ac morem Eccleſiaſticum illius ætatis diligenter obſeruabit. Reperiet enim, non communibus tantùm, ſed etiam ſacris menſis, Diaconos præfectos fuiſſe, quæ in primitiua illa Eccleſia ſimul coniunctæ fuerunt. Nam, quemadmodum Dominus, ac Redemptor noſter in vltima

tima

tima cœna typicam, & communem, ac sacram mensam vnà coniunxit (triplicem enim cœnam Christus ordine peregit: typicam nempè, seu figuratiuã ex agno Paschali, quem stando, & calceis non detractis, iuxtà legis præscriptum festinanter comedit cum Apostolis suis: alteram communem, cùm mensæ accubuisset, quam longiùs, & ad multam noctem varijs sermonibus protraxit: & in qua poculum libatorium suis exhibuit; à qua tandem surrexit, & pedes discipulorum abluit: ad mensamque redijt, vt tertiam cœnam mysticam à duabus præcedentibus longè diuersam celebraret; in qua Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum institueret, & Sacratissimum suum corpus, & sanguinem discipulis suis comedendum, & bibendum exhiberet) quemadmodum, inquam, in nouissima illa cœna Christus Dominus communem, & sacratam mẽsam coniunxit: ita sanè Apostolorum temporibus eadem in Ecclesia obseruata noscitur cõsuetudo. Hoc verò doctissimis quibusuis Paulus ad Corinth. scribẽs, videtur expressisse: ait enim: *Vnusquisque cœnam suam præsumit ad manducandum; & alius quidem esurit: alius autem ebrius est*. En communis, idest, non sacra mensa. Rursus post cœnæ Dominicæ adductum exemplum subdit: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*. Ecce Sacra cum mensa illa communi coniuncta. His ergo inseruire, ac ministrare, quotidianũ ministeriũ, appellauit Lucas. *Erant*, inquit ille, *perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*. Et paulò post: *Quotidie quoque perdurãtes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panẽ, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis*. Nõ solùm autem communem, sed Dominicum etiam cibum per fractionem panis intelligendum esse, ne in recitandis priscorũ sententijs immoremur, textus Syriacus ita apertè demonstrat, vt nulla alia confirmatione opus esse mihi visum fuerit; sic enim in Codice Syriaco scriptũ legimus:

1. ad Cor. c. 11.

Act. c. 2.

ܘܐܘܟܠܐ

ܘܡܩܘܝܢ ܗܘܘ ܒܝܘܠܦܢܐ ܕܫܠܝܚܐ ܘܡܫܬܘܬܦܝܢ
ܗܘܘ ܒܨܠܘܬܐ ܘܒܩܨܝܐ ܕܐܘܟܪܝܣܛܝܐ ..

Vaminin vau biulfono dascilhhe vmescitautfin vau basslutho vbaksoio deuchariſtia. Id eſt. *Et perſeuerantes erant in doctrina Apoſtolorum, & participantes erant in oratione, & fractione Euchariſtiæ.* Et poſtea : ܘܟܠܝܘܡ ܡܩܘܝܢ ܗܘܘ

ܒܗܝܟܠܐ ܒܚܕܐ ܢܦܫ : ܘܒܒܝܬܐ ܩܨܝܢ ܗܘܘ
ܦܪܝܣܬܐ : ܘܡܩܒܠܝܢ ܗܘܘ ܣܝܒܪܬܐ ܟܕ ܪܘܝܢ :
ܘܒܦܪܝܫܘܬܐ ܕܠܒܗܘܢ ܡܫܒܚܝܢ ܗܘܘ ܠܐܠܗܐ ..

Vchulium aminin vau baielo bahhdo nfeſc vabbaito koſſen vau friſto vamkablim vau ſaiborto cad rouzin, vbabirutho dlebhun mſciabhhin vau la loho. Quę Latinè ſic vertimus: *Et quotidie perſeuerantes erant in templo in vna anima, & in domo frangebant panem benedictum, & accipiebant cibum gaudentes, & in puritate cordis ſui laudabant Deum.* Vnde Paulus in prima, quam ad Corinthios ſcripſit epiſtola conſtanter 1. Cor. c. 10.
inquit: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* Textus verò Syriacus ſic habet:

ܟܣܐ ܗܘ ܕܬܫܒܘܚܬܐ ܕܡܒܪܟܝܢܢ ܠܗܘ ܗܘ ܫܘܬܦܘܬܐ
ܐܝܬܘܗܝ ܕܕܡܗ ܕܡܫܝܚܐ : ܘܠܚܡܐ ܗܘ ܕܩܨܝܢܢ
ܠܐ ܗܘܐ ܫܘܬܦܘܬܐ ܐܝܬܘܗܝ ܕܦܓܪܗ ܕܡܫܝܚܐ ..

Coſo hau dtauditho dambarchinan lo vo ſciautoſutho ithau dadmeh damſcihho, vlahhmo hau d koſſenan lo
1. Cor. c. x. vo ſciautoſutho ithau dſagreh damſcihho: Id eſt: *Calix ille gratiarum actionis, cui benedicimus, nonne participatio eſt ſanguinis ipſius Chriſti? & panis ille, quem frangimus, nonne participatio eſt corporis ipſius Chriſti?* Huic ergò tanti momenti miniſterio, & excelſi muneris functioni, vt aliquos præficerent ex diſcipulorum numero, ſimul in vnum coierunt Apoſtoli, vt vnà cum Petro, qui omnium caput, & Princeps à Domino fuerat inſtitutus, eligerent viros fide dignos, & Spiritu Sancto, ſapientiaque plenos, qui eleemoſynas iuſtè in pauperes diſtribuerent, & purum, inculpatumque miniſterium Sacerdotibus præſtarent. Beatus enim Igna-
Epiſt. 5. tius, qui eadem vixit ætate, ad Trallianos ſcribens *Oportet*, inquit, *& Diaconos myſteriorum Chriſti Miniſtros per omnia placere: nec enim ciborum, & potuum Miniſtri ſunt, ſed Eccleſiæ Dei adminiſtratores*. Et paulò poſt: *Quid verò Diaconi quàm imitatores Angelicarum virtutum, qui purum, & inculpatum miniſterium illis exhibent? Sacerdotibus ſcilicet: vt Sanctus Stephanus Beato Iacobo, Timotheus & Linus Paulo, Anacletus & Clemens Petro. Qui igitur his non obedit, atheos prorſus, & impius eſt.* Et Neroni Diacono ait idem: *Nihil ſine Epiſcopis facito: tu verò illis miniſtras, vt Sanctus Stephanus Iacobo, & Presbyteris, qui erant Hieroſolymis.* Et Leo Papa de Sancto Laurentio inquit, illum non ſolùm miniſterio Sacramentorum, ſed etiam diſtributione Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ valdè excelluiſſe. Diuus Proſper etiam de Tito Diacono, qui Romæ pecunias pauperibus diſtribuens interfectus eſt, id ipſum tradidit. Sed iam, vnde digreſſi ſumus, tandem redeamus.

Leo ſerm. de S. Laurẽtio
S. Proſp. de Tit. Diac. in Chron. ann. Domini 429

Nonnè etiam, vt errorem illorum confutarent, qui ſimul cum Euangelio Gentes ad Circunciſionem compellebant, & omnem poſteà errandi occaſionem auferrent, Apoſtoli in vnum conuenerunt, qui poſt longam cauſæ diſceptationem, quid tenendum, quid faciendnm foret, in Spiritu Sancto congregati Synodica conſtitutione ſtatuerunt?

runt? Ita sanè. Nam *cùm venissent* Paulus, & Barnabas *Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, & Apostolis, & Senioribus, annunciantes quanta Deus fecisset cum illis. Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circuncidi eos, præcipere quoque seruare legem Moysi. Conueneruntq. Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc.* Nemini autem mirum videri debet, cùm Apostolos in omnes vniuersi Orbis Prouincias iam tunc temporis profectos fuisse constet, eosdem illo anno Hierosolymis Concilio statuto interfuisse. Nam Paulus ait diuinitus, se admonitum, vt Hierosolymã veniret. Quod autẽ Paulo accidit, idem quoq. cæteris putandum est euenisse: & Petrum, & Ioannem, & si qui alij longiùs aberant, monente eodem Diuino Spiritu Hierosolymam petiisse. Si enim filij Israelis nunquam, nisi ad imperium Domini proficiscebantur: ad imperium itidem Dei tentoria figebant: quomodò illos, quos Spiritus Sanctus impleuerat, eodem moderante, & regente Spiritu, iter agere, loco sistere, ire, ac redire magis solitos non dicemus? Cùm igitur magnis de rebus tractandum esset, an scilicet cum Euangelio simul lex foret obseruanda, vt qui ex Gẽtibus, idolorum cultu relicto, ad Ecclesiam transiuissent, Euangelij gratiam suscepturi, veteris legis præscripto ad Circuncisionis, & aliorum Legalium præceptorum obseruationem cogerentur: Cùm Pseudoapostoli pro Lege Mosis acerrimè dimicantes, & aduersam partem strenuè oppugnantes adessent, Apostolos certè, qui tumultus sedarent, & omnem extirparent errorem, interfuisse maximè opus fuit. Siue igitur omnes, siue qui numerati sunt, soli Concilio interfuerũt: quoniam multi Iudæorum, qui Christum profitebantur, paternæ Legis, & auitarum æmuli traditionum, ijs, qui Mosaicæ legi patrocinabantur, studuisse potiùs visi sunt, eodem Diuino spiritu suadente, ab illis seorsum ad euitandã contentionem, de his agere consultius fore Paulus existimauit. Et ne fortè (ait Hieronymus) fidelibus, qui ex

Act. c. 15. *Ad Gal. 2.* *Num. c. 9.* *Hier. in ep. ad Gal. c. 2.*

numero Iudæorum legem ſeruari oportere ſimul cum Euangelij obſeruatione credebant, aliqua oriretur offenſiuncula, Apoſtolico hæc tandem diſcuſsa ſunt conſeſsu, definita conſenſu; atque communi omnium authoritate confirmata. Quod verò Apoſtolorum Principis authoritate celebratum eſt Cõcilium, cui ipſe Summus omnium Pontifex præfuit: in quo etiam primus ſententiam dixit, Scripturas recenſuit, & Diuina conciliauit Oracula: cui Iacobus Hieroſolymorum Antiſtes, Ioannes Epheſiorum Præſul, Paulus Gentium Doctor, & Barnabas cum ſenioribus, qui in cauſæ diſcuſſione ſimul operam nauarent, interfuerunt, Oecumenicum, & generale inficiari, quòd aliqui ex Apoſtolis abfuiſſent, & Prouinciale, aut Nationale cum Pighio dicere non auderem. Vniuerſali enim Concilio (vt ſequenti libro latius demõſtrabimus) non neceſſariò ex omnibus Prouinciis Chriſtianis omnes Epiſcopi adeſſe debent: ſed ſi ex pleriſque Regionibus, & multò maiori, atque celebriori Chriſtiani Orbis parte plures Antiſtites interſint, coeãtque in vnum Summi Pontificis authoritate, generale Concilium rectè celebrari dicendum eſt. Maximè cùm in ſecunda Synodo Conſtantinopolitana aduerſus Macedonium congregata ex Occidentalibus Prouinciis nullus adfuerit Epiſcopus: quæ tamen, nemine contradicente, vna ex legitimis & Oecumenicis Synodis habita ſemper fuit; quòd illius definitionibus Damaſus Summus Chriſti Vicarius, & Occidentales Antiſtites annuerunt, & communi aſſenſione totum Concilium comprobarunt. Hoc autem & Hieroſolymitano illi Concilio accidiſſe, vt cæteri Apoſtoli, qui aberant, ea omnia, quæ decreta fuerant, eiuſdem diuini ſpiritus ſuaſione approbarint (cùm nequaquam Dei ſpiritus diſſidij, ſed pacis, & vnionis author ſit) nemo, qui ſanus eſt, vnquam, quod ſciam, dubitauit. Apoſtolorum igitur exemplo (quod anteà propter tyrannorum ſæuitiam, & perſequutionem fieri non potuit) non tanquam

Lib. 3. c. 3.

nouum

nouum inuentum, sed vt saluberrimum malorum omnium remedium à Christo Saluatore nostro sapientissimè prouisum, Apostolis autem sacrosanctum, Constantini Magni tempore, Nicænum Cõcilium, Syluestri Summi Pontificis authoritate celebratum fuit. præcipuè cùm multò ante Synodum Nicænam, Ecclesiastica lege cautũ fuisse, ne Concilia sine Pontificis Romani permissu inirentur, inficias ierit nullus. Nam qui Marcelli Pontificis epistolam primam leget, in qua de Synodis à Summis Pontificibus conuocandis legem ipsis Christi Apostolis acceptam refert, facile animaduertet, Iulium Primum, Fœlicem Secundum, Orientisque Episcopos literis ad eundem Fœlicem datis, cùm dixerunt à Nycænis Patribus id fuisse sancitum, voluisse potius cõmemorare maiorum consuetudinem in Nycæna Synodo approbatam; quam dicere, nouæ legis præscripto statutum fuisse ab illis, ne sine Pontificis Romani authoritate Concilia celebrarentur. Præcucurrit autem Marcellus Nycænum Concilium annos ferè decem. Hoc ipsum Iulius primus eidem Concilio Nycæno proximus apertè docuisse mihi videtur: quippe qui legem illam ita Nycænæ Synodo attribuit, vt ab Apostolis fuisse conditam, & stabilitam non rarò affirmet. Quibus etiam Papa, nomine, Damasus, planè assentitur. Denique cùm per omnes ferè ætates sanctissimi Heroes hanc legem literis prodidissent, nullus tamen fuit, qui illam tanquam à maioribus acceptam, & inueterata Ecclesiæ consuetudine firmatam non inculcarit. Illum verò de generalibus tantum Conciliis canonem esse intelligẽdum liquet ex eo, quòd Metropolitanorum semper munus fuerit, Prouincialia congregare, vt ex secunda Synodo Arelatensi satis, superque apparet. Quod ergò Apostoli in vsu habuerunt, id Constantino tribuendum esse iudicabimus? An quæ prisci Patres in Romani Pontificis potestate collocarunt, generalia Concilia ante Constantini tempora Ecclesiæ ignota fuisse, asserere au-

Marcel. ep. 1
Iul. epist. ad Episc. Oriẽt. cuius meminit Socra. li. 2. c. 13. meminit & Sozomen. li. 3. c. 9. Necnõ Niceph. li. 9 cap. 5.
Fœlix. epi. 1.
Damasus ep. ad Stephan. Triaq. Afri. Conc.
Syn. Arel. 2 c. 18. & 19.

debimus? Res est adeò manifesta, vt superuacaneum sæpe duxerim pluribus rationibus, ac fundamentis eandem confirmare: præsertim cùm Concilium Chalcedonense Epistola ad Leonem Ecclesiæ caput, & sexta Synodus & Cælestinus Romanus Pontifex ad Concilium Ephesinũ, & Concilium Toletanum Tertium, in illis verbis Christi Domini apud Matthæum, *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio illorum.* Concilia à Christo monstrata fuisse tradant. *Certum est*, inquit Cælestinus, *quod legimus: quia neque potest veritas nostra mentiri, cuius in Euangelio ista sententia scripta est: Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo: ibi ego sum in medio eorum. Quod cùm ita sit (nam neque huic tam breui numero eius spiritus deest) quanto magis eum nunc interesse credamus in vnum conuenientium turbæ sanctorum?* Cùm verò constet tam ex ipsa orationis Christi serie, quàm ex Sanctorum Patrum lucubrationibus prædictam Christi sententiam quorumuis fidelium collectioni, qui vera fide, & charitate copulati à Deo postulant, quæ sibi sunt vtilia, & salutaria, aptissimè conuenire; quis inficiabitur optimè inde colligi conuentum etiam omnium Præsulum Ecclesiæ hac Christi mirabili pręsentia vberrimè frui cùm ea ipsi tractare aggrediuntur, quæ ad Christianam Rempub. summoperè pertinenr. Nam si duorum, vel triũ pietatem tam auidè Christus protegit, & defendit: omnium ne Pontificum, qui, vt debitum Ecclesiæ officium præstare possint, & illius vulnera ligare valeant, & ægris mentibus mederi queant, vnum in locum conueniunt, studium aspernabitur, & deseret? An potius Præsulum omnium vniuersi Christiani Orbis collectionem amplissimis his subsidiis, atque Christi certissimis promissionibus fultam, humanum inuentum, mediumque vtcunque vulgare industria, & ingenio hominum excogitatum dicemus? Certè, vt Apostolos, quorum corda Spiritus Sanctus moderabatur, non nisi eiusdem spiritus impulsu Concilia habuisse verissimum est, qui in Con-

Conc. Chalc. ep. ad Leon.
Sexta Syno. act. 17.
Cælestin ep. ad Concil. Ephes. 1.
Matth. c. 18

cilio illo celeberrimo Hierosolymis inito exordiuntur: *Visum est Spiritui sancto & nobis*: ita etiam ex Apostolorum traditione sanctissimos heroes fidei nostræ, & Religionis quasi præsidia in Conciliorum authoritate collocasse, quorum placita, tanquam quædam diuina subsidia in afflictis Ecclesiæ rebus implorarent, verosimillimum est. Apostolicas autem traditiones humanum inuentum dicere, impium, & execrabile scelus reputamus. *Act. c. 15.*

Fateor equidem, vt iam, quid contra nos rationes Alberti Pighij valeant, quiuis possit iudicare, fateor inquam, vel Natura Duce, à Principibus, vel ciuilibus Magistratibus (si suos volebant rectè moderari, & veram recti regiminis rationem habere) homines peritos in rebus dubijs consuli semper solitos fuisse, & ex eorum consilio præscriptum, quid iubere, prohibereuè opus esset: verùm in Ecclesiasticis Concilijs ita multa supra humanam omnem rationem eueniunt, vt qui Oecumenica Concilia humanum dixerit commentum, humanitusue excogitatam inuentionem, audax, & temerarius iure optimo dicendus sit. Nam quis Episcopos solos ad Concilia vocari, vt non à consilijs solùm sint, sed de Religione, & fide Iudices sedeant, illis etiam legitimè congregatis, cum capite vnitis, ex Diuina promissione Spiritum Sanctum adesse, hominum solertiæ, & ingenio referet?

CAP. XIII.

IAm verò Episcopos de omni controuersia, & quæstione cùm ad mores Ecclesiæ, tùm ad Dei cultum, & Religionem spectante Iudices in Conciliis esse, eorumque decreta, & leges necessariò sequendas tam ex diuinis oraculis, quàm ex ijs, quæ ab exordio nascentis Ecclesiæ celebrata sunt, Concilijs facilè demonstrabimus. Huc enim in primis spectat verbum illud Deuteronomij, quo filij Israelis iubentur in cunctis dubiis Concilij Sacerdotalis expectare definitionem. *Sequerisque*, ait Dominus, *sententiam eorum; nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore mi-* *Cap. 17.*

nistrat Domino Deo tuo ex decreto Iudicis, morietur homo ille. Non tamen ſum neſcius ex hac etiam Deuteronomij ſentētia egregium virum Albertum pighium omnem Oecumenici Concilij authoritatem eneruare molitum fuiſſe: Epiſcopis verò muneris ſui iure nihil aliud conuenire poſſe, quam à conſiliis eſſe, & in cauſæ diſcuſſione operam nauare, audacter euincere tentauiſſe. Quamuis enim eiuſmodi quæſtiones ad Sacerdotes Leuitas referendas eſſe dixerit, qui in cathedra illa pro tempore Domino miniſtrarent: & illos exquirendo, & conſultando iudicaturos eſſe veritatem; & iudicium, eorundemque iudicio, definitioni, & ſententiæ ab omnibus obtemperandum: quoniam tamen verba illa: *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio*, addita fuerint; ita Summi Pontificis authoritatem amplificari exiſtimat, vt in Concilijs Eccleſiaſticis ſuper rationem liberi Concilij, hoc eſt, humana ratione excogitati nihil authoritatis reſidere ſibi perſuadeat. Fateor equidem ego & in veteri illa Synagoga, & in Chriſti Eccleſia ſummam authoritatē ſemper fuiſſe penes Præſidem vnum, Principem omnium maximum, & totius Eccleſiæ ſupremum caput, à quo quicquid in Concilijs definitum, præſcriptumque ſit, firmo, & certo iudicio definiri, præſcribique poterat: cuius authoritate Conciliorum acta firmanda, & cuius ſint iudicio damnandi, puniendique, qui ſuperbierint, & Epiſcoporum ſententiæ obtemperare noluerint. Nunquid igitur Epiſcopos in Concilijs Iudices ſedere de Religione, & de fide negabimus? Vel illorum imbecillam vim in definiendis ijs, quæ ad Religionem maximè ſpectant, dicemus? Hinc etiam grauiſſimos Epiſcoporum conuentus legitimè congregatorum, &, quod maximè opus eſt, ex Summorum Pontificum authoritate, & inſtitutione definientium iudicabimus errare potuiſſe? Vnde hoc colligitur? Ex eonè, quod dictum eſt; *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore miniſtrat*: nec vlla mentio facta fuerit Sacerdo-

tum

tum, qui Concilio interfuissent? Atqui prius eorum sententijs, & iudicio standum, nec declinandum ad dextram, neque ad sinistram præscriptum fuerat? Quod ergo postea additum est, vt luculentiùs ad fidem illustrandam cōstaret cum Concilijs Summum Pontificem cæterorum omnium Præsidem, Principem, & caput consensione Summa conspirare, sicque à toto Concilio leges conditas, & lata decreta esse vnanimi omnium Sacerdotum cum Præside consensu, quasi vnus, idemque omnium intellectus, idem iudicium cum Summo Præside fuisset (quippe qui vno, eodemque Diuino Spiritu informati definiuissent) additum fuisse opinor. Hinc apud Matthæum Christus Domi nus ait: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus, & Publicanus*. Quam sententiā Chrysostomus, Theophilactus, aliiq. Patres de Præpositis Ecclesiæ aptissimè exponunt: neque aliter intelligendam esse loci circunstantia demōstrat. Sequitur enim: *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis, erunt ligata in cælo*. Hoc autem ad solos Præpositos pertinere, audebit ne aliquis negare? *Matth. c. 18.*

At non fit hic doctrinæ mentio, dicet Caluinus, sed tan tum censurarum asseritur authoritas, vt corrigantur vitia? Quasi verò, qui corripientem Ecclesiæ Præpositum non audit, habendus sit, sicut Ethnicus, & Publicanus: & qui docentem contemnit, absque culpa sit futurus: vt quasi non eadem, imò maior sanæ doctrinæ, quàm vitæ, ac morum ratio habenda sit: quasi denique qui potestatem habent eijciendi ab Ecclesia per censuras, potestate colligendi in Ecclesiam per fidei doctrinam carerent. Maximè cùm potestas omnis Ecclesiæ data sit ad ædificationem, & manifestatio spiritus ad vtilitatem. *Eph. c. 4. 2. Cor. 10, & q. 13.*

Cæterùm in hoc etiā Albertus Pighius lōgè lapsus fuisse mihi videtur, qui nō vniuersalem Ecclesiā, cuius authoritas in Oecumenico Concilio sita est, vt latè superiùs ostendimus, sed particularem ita voluit intelligi: vt, quāuis de vniuersali quoque institutus sermo colligeretur, ex his

verbis haud maiorem Ecclesiæ vniuersalis authoritatem adstrui posse, quàm sit vniuscuiusque particularis, liberrimè dixerit. Iam verò eadem Christi verba vniuersali Ecclesiæ optimè conuenire idem Saluator noster ostendit: cùm rursus asserit inferorum portas aduersus Ecclesiam suam præualituras nunquam esse. Sed quam Ecclesiam ibi dicit, nisi Petri Principis Apostolorum, ad quem ille sermonem suum conuerterat, tam fidei illius firmitudinem, constantiam, & perpetuam durationem, quàm supremum super omnem Ecclesiam illius Principatum adstruens; in quo omnia Ecclesiæ capita, & Pastores stabilitate non defectura, & si non pari gradu, firmauit? Ideò enim rursus ait: *Alium Paracletum dabit vobis* Pater, *vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Sed quibus hoc dixit? Certè nō turbis credentiū, non omnibus discipulis, sed solis Apostolis in horto post cœnā: quibus post pauca inquit: *Posui vos, vt eatis, & fructum afferatis.* Et rursus: *Ego vobiscū sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*: quorum successoribus, vt eādem factā fuisse promissionē ostenderet, addidit, In æternum, vel vsque ad consummationē sæculi.

Matth. c. 6. *Ioan. c. 14.* *Ioan. c. 15.* *Matth. c. 28*

Ad dirimendas denique fidei quæstiones, & Religionis nostræ dogmata explicanda Episcopis simul collectis authoritatem à Domino factam fuisse, eorumque decreta firma, & leges Sacrosanctas (quippè qui à vero deficere in definiendo minimè possint) pro fidei canone semper esse habendas ex eadem Sacra Pagina manifestè ostenditur. Nam Iacobus Hierosolymorum Antistes, cum Petrus dixisset, sententiam suam protulit; qui de eadem re Iudex in Concilio sedebat. *Propter quod*, inquit, *ego iudico non inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum*, Et Paulus per ciuitates *tradebat eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & Senioribus, qui erant Hierosolymis.* Ecce Paulus, vt narrat Lucas, Apostolorum decreta iusserat obseruari, tanquam ab illis constituta, quorum esset ambigua explicare, quique in Concilio de fide

Act. 15. *Act. c. 16.*

fide, & Religione Iudices statuti fuissent. Vnde in omnibus Concilijs semper in more positum fuit Episcopos definientes subscribere. Quorsum enim soli Episcopi ad Cõcilia vocarentur: non autem eruditissimi vndique accersserentur viri, si à consilijs tantùm, non autem Iudices futuri essent? Cùm igitur hi solummodò ad Synodos vocentur, quorum est de fide sententiam proferre; & illorum cœtui Spiritum Sanctum adfuturum, ne à verò vnquam declinare possint, à Christo sit promissum. Concilia profectò Oecumenica, quorum hoc priuilegium maximum, & potissimum est, non humanum inuentum, sed à Christo demonstrata, ab Apostolis obseruata, & ex illorum traditione in Ecclesia semper fuisse in vsu optimè concludimus.

Nec obstat Diuum Gregorium Nazianzenum dixisse, ipsum se ab Episcoporum Conciliis abduxisse, & in sola precum securitate vitam ducere statuisse: quia nullius vnquam Synodi finem aliqua vtilitate præditum, & vnde res male habentes non magis exarcerbatæ, quàm curatæ sint, viderit. Ego, inquit, *Si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, vt omnia Episcoporum Concilia fugiam: quoniam nullius finem lætum, faustumque vidi: nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem, & incrementum habuerit*. Non, inquam, hæc Gregorij sententia contra nos vllas vires habet: quoniam ex hæreticorum id peruicacia magis, quàm ex Conciliorum infirmitate extitisse, qui Conciliorum grauitatem libidini suæ volebant inseruire, mox docuit. *Ea*, inquit, *illis est libido contendendi, & ambitio dominandi: sunt ita in disputando insuperabiles, vt si iudicio quisquam agere velit, citius alterius cuiusdam malitiæ reus agetur, quam quæ illorum est, euincat, ac diluat*. Ideò etiam Leo Pontifex maximus de secunda Synodo Ephesina ait: *Dum priuatæ causæ Religionis exercentur obtentu, commissum est impietate paucorum, quod vniuersam Ecclesiam vulneraret*. Verùm qui, non vt priuatis rationibus consulant, contentionibus seruiant, miserosque ho-

Greg. ep. 42 ad Procop.

Leo ep. 28.

Hom.61.in Matth.

mines Cōcilij nomine decipiant, coeunt: &, vt Chrysostomus author est, quos non priuata commoda inducunt, nō honoris aura inuitat, non odij, non liuoris aculei incitāt, non contentionis spiritus, sed pacis inflammatus ardor, Christianæq. charitatis faces impellunt, cū in Christi nomine congregātur, atq. adeò cōueniunt, vt Christi gratia cōmunibus votis, & studiis implorata, quid ipsi potissimū placeat, &, quid verum sit, perscrutentur, qui fieri potest, vt non summam Ecclesiæ Catholicæ vtilitatem afferant?

Poterant sanè olim Pontifices maximi ad se relatas quæstiones maturo definire iudicio, & adhibita pro rei necessitate exacta diligentia, & Sacerdotum consilio admisso vna secum in Apostolica sede ministrantium Domino, hoc est, senatus sacri Cardinalium, aut etiam vicinorum, distantium quoque Episcoporum (si quando hoc rei magnitudo exigere videretur) controuersias quascunque excitatas sedare, & hæreses condemnare: sicut & ab initio ad hanc vsque diem factum, perpetuòque obseruatum fuisse vniuersi testantur, & comprobant Ecclesiastici scriptores. Conuocandos nihilominus esse vniuersi Orbis Episcopos ipsi existimarunt, etiam post hæreseon condemnationem ab Apostolica sede factam: vt plenius, & manifestius, & ad populi Christiani, ipsorumque Principum maiorem, & euidentiorem instructionem hæretici damnarentur: atque vt extremus tandem finis controuersiis illis imponeretur, audita iam, & percepta manifestissimè in Concilij decreto vniuersæ Ecclesiæ voce: quā qui audire recusaret, non iam pro Christiano amplius, sed pro ethnico, & publicano, ex Domini præscripto, habendus esset. Hæc igitur cogendi Synodos, congregandique ex vniuerso terrarum orbe Episcopos in vnum inueterata consuetudo, tam Domini exemplo, quàm Apostolorum frequentiori vsu stabilita, atque firmata in Ecclesia permansit, semperque integrè conseruata est. Ipsa verò Catholica Christi Ecclesia sedula, & cauta dispo-

posi-

positorum dogmatum custos nihil in his vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit: non amputat necessaria, non apponit superflua, non omittit sua, non vsurpat aliena, sed omni industria hoc vnum studet, vt vetera fideliter sapienterque tractando, siquæ sunt illa antiquitus informata & inchoata, acuat, & poliat: si quæ iam expressa, & enucleata, consolidet, & firmet: siquæ iam confirmata, & definita, custodiat. Denique quid vnquā aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi, vt, quod anteà simpliciter credebatur, hoc idem posteà diligentius crederetur? Quod anteà lentius prædicabatur, hoc itidem posteà instantius prædicaretur? Quod anteà securius credebatur, hoc posteà solicitius extolleretur? Hoc, inquam, semper, neque quicquam prætereà hæreticorum nouitatibus excitata Conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia: nisi vt quod prius à maioribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scripturæ chirographum consignaret, magnam rerum summam paucis literis comprehendendo, & plerunque propter intelligentiæ lucem non nouum fidei sensum nouæ appellationis proprietate signando. Quare in præfatione Concilij Toletani Vndecimi ita Conciliorum authoritatem, & dignitatem, atque ad extirpandas hæreses eximiam vim Patres amplificauerunt, vt non vtilem solùm, sed etiam valdè necessariam Conciliorum sententiam in rebus dubiis & controuersis dixeris. *Eramus enim hucusque*, aiunt illi, *prolabentis sæculi colluuione instabiles, quia annosa series temporum, subtracta luce Conciliorum, non tam vitia auxerat, quam matrem omnium errorum ignorantiam otiosis mentibus ingerebat.* Nam interim, dum Conciliorum lux aberat, hæretici, quæ est eorum audacia, passim insultantes huc, atque illuc vagabantur, & veluti apri rabie insana commoti floridam Christi vineam vastabant: Ecclesiam eiusdem Christi charissimam sponsam: quam ille purpura suo intincta sanguine decorarat, spurcitijs suis fœdare conaban-

Vinc. Lerin. de hæres. nouit.

In Concil. Tolet. 11.

nabantur: tunicam Domini nullo consutam filo in varias partes scindere, vnitatem fidei Orthodoxæ disiungere, vberrimum charitatis fontem exciccare, germanum scripturarum Sacrarum sensum suis fœdis interpretamentis inuertere moliebantur. Nec solùm hæretici tantam cladem Ecclesiæ infligebant: verùm etiam (quod vix audeo dicere) quidam Sacerdotes, & Episcopi, qui vt dignitate cæteris, ita doctrina, & moribus antestare debebant, maximum nocumentum ob vitæ turpitudinem, & Sacrarum Literarum ignorantiam, afferebant. *Cernimus enim inquiunt* Patres illi, *quomodo Babylonicæ confusionis olla succensa nunc tempora auerteret Conciliorum, nunc Sacerdotes Domini de resolutis moribus irretiret: purpuratæ enim meretricis sequebantur incitamenta; quia Ecclesiastici conuentus non aderat disciplina; nec erat, qui errantium corrigeret partes, cum sermo Diuinus haberetur extorris. Et, quia non erat adunandorum Pontificum vlla præceptio, crescebat in maius vita deterior.* Deus tandem, qui neminem vnquã ope sua destitutum relinquit, & qui deploratis rebus clementer auxiliari solet, ruina, quam Ecclesia patiebatur, commotus omnia præterita mala resarsit: vniuersa in melius commutauit: praua longè procul exterminauit: directa subito induxit: negligentiæ diligẽtiam suffecit: ignorantiam errorum omnium matrem fugauit: doctrinam tanquam ab exilio reuocauit: pro secordia solertiam intulit: pro diuisione vnitatem induxit: pro lolio purum triticum seminauit: pro dissidio, & discordia pacem, & concordiam præstitit: vitiorum fœditatem, virtutum pulchritudinem oculis obiecit, vt illa ob deformitatem homines auerterent, hæ verò propter eximiam venustatem allicerent: animos infimis intentos ad sublimium contemplationem erexit: terrestrium contemptum, cælestium amorem inseuit: amplissimas lachrymarum vallis miserias patefecit: altissimum huius miserrimi sæculi pelagus ostendit: quantis humana vita fluctibus agitetur, retexit: quot periculis illa subdita sit, manifestauit: qui hostes illi

Hier. c. 1.
Apoc. c. 17.

ſtruant inſidias, aperuit: mentem quoque illis temporibus Religioſi Principis piam ſimul, & inſtructam præparauit. *Cuius*, inquiunt ſanctiſſimi Concilij Patres, *Prouidæ ſolicitudinis voto, & lux Conciliorum renouata reſplenduit, & alterna charitas ſe mutuò in corrigendis, vel inſtruendis moribus excitauit: dum & aggregandi nobis, hortatu Principis glorioſi, facultas data eſt, & opportuna corrigendis præparata eſt diſciplina, vt qui decurſis longè antè temporibus, poſt decem, & octo, ſcilicet, labentium annorum excurſum in vnum meruimus aggregari, mereri poſsimus ſpiritali gratia ſanitatem.*

At inquit Albertus Pighius, primis trecentis annis abſque Generalibus Concilijs incolumis conſeruata eſt Eccleſia: potuiſſet ergo etiam in poſterum ſimiliter capitis prouidentia protegi, & ſalua ſemper perſiſtere, impetita hæreticorum nequiſſimis telis defendi, omneſque eorum euertere machinas. Denique ſola ſedis Apoſtolicæ authoritate ſemper inuicta errores omnes extirpari, ac falſa dogmatizantes condemnari optimè potuiſſent.

Sanè ſi ex his Generalia Concilia ſolùm, & quoquo modo, non tamen ſimpliciter, neceſſaria eſſe collegiſſet, & ſapientiam, & diſſerendi peritiam laudarem, & tanti viri ſententiæ non inuitus aſsentirer. Verùm cùm Oecumenica Concilia, quorum nullum (vt ille ait) ante Nicænum aut vidit, aut cognouit primitiua illa, ac verè florens Chriſti Eccleſia, humanum inuentum eſſe, ideòque ex propria ſua ratione illis haud aliud conuenire, quàm conſultare, deliberare, & quid melius, aut vtilius ſit, inuenire, agendi verò, exequendique ea, quæ deliberando, & conſultando, à Concilij Patribus inuenta ſunt, poteſtatem, ad ſummam in Repub. authoritatem, hoc eſt, ad Apoſtolicam ſedem, in qua ſingulari Chriſti priuilegio fidei orthodoxæ ſynceritas, & vera illa, germanaque Apoſtolica traditio ſemper conſeruata eſt, inde elicere conatur, Conciliorum Eccleſiaſticorum authoritatem omnem eneruare, & humani ingenij terminis dignita-

tem, & amplitudinem illorum circumſcribere molitur: profectò naturam hominis, & ingenium non poſſum nō vehementer mirari. Quòd enim trecētis illis annis ſolo capitis influxu Eccleſiā ſuam Deus conſeruauerit, hæreſes extirpauerit, & Summi Pontifices, authoritate à Christo accepta, falſa dogmata inducentes condemnauerint, & tanquam putrida membra præſciderint, neque vnquam à vero aberrarint (vt de Fide, & Religione definiendo à vero recedere nullo modo poſſunt) id profectò amplitudini prouidentiæ Dei tribuendum, non autem ex Oecumenicorum Conciliorum imbecillitate profectum aſſerendum eſt. Nam ita Deus ſtudio, & fauore Eccleſiam filij ſui dilectiſſimam ſponſam protegit ac tuetur, vt tamen ordinaria media ad optimam eius gubernationem non modò non excluſerit, verùm etiam facto, & verbo commendauerit: quorum illud certè potiſſimū eſt Concilia, vel particularia, vel generalia, vt res poſtularit, congregare. Si enim *neceſſe eſt, vt veniant ſcandala, & oportet hæreſes eſſe*. certè opus fuit in Eccleſia certum aliquod iudicium conſtitui, quo & ſcandala auferri, & hæreſes damnari poſſint, ne in plures partes Eccleſia conſciſſa, & diuiſa breui periret. Quamuis ergo Summus Pontifex, Christi Vicarius, iudex omnium cōtrouerſiarum exiſtat, cui, vel Cypriano authore, obtemperare debent vniuerſi: in fidei tamen quæſtionibus diiudicandis, & dirimendis controuerſiis non ita ſibi debet confidere, vt nulla diligentia adhibita, ſed excluſis potius ordinariis mediis, aut diuinam ſuggeſtionem temerè expectet, aut proprio captu quicquid difficile, & arduum in dubium vertatur, illucidare, & definire audeat. Apoſtoli enim quamuis ſeorſum ſinguli, & potiſſimùm Petrus (cuius curæ omnium ſalus commiſſa fuerat) controuerſiam de legalium obſeruatione Antiochiæ exortam potuerint definire: vt tamen poſteritati exemplum relinquerent, & ad hæreſeon omnium extirpationem ſaluberrimum mediū

Matt.6.18.

Cypria.epiſ. 55.

indi-

indicarent, Hierosolymis Concilium collegerũt. Horum exemplo Romani Pontifices, Petri successores, nullam vnquam hæresim recenter exortam sine nouo Concilio damnarunt: idque Conciliorum libros lustranti liquidò apparebit. Illis tamẽ trecentis annis ante Nicænum Concilium, cùm propter sæuissimam à tyrannis persequutionem in Christianos exercitam, tùm quòd pullulantes hæreses interimi, schismata opprimi, vitia, & abusus, Prouincialium Synodorum decretis, quæ Sedis Apostolicæ authoritate congregatæ, & approbatæ fuerant, auerruncari facilè potuerunt, Ecclesia Generalium Consiliorum præsidio supersedit.

Quocirca cùm Oecumenicorum Conciliorum dignitas, ratio, & origo non tam ad humanam industriam, quàm ad Dei veritatem, & procurationem referenda sit, qui Ecclesiæ à se constitutæ Conciliorum voluit firmitate consulere: præposterè sentiunt de dignitate, amplitudine, & stabilitate Ecclesiæ, cuius complexu fouemur, cuius institutionibus Christiani sumus, qui illam, vniuersi Orbis Episcopis in vnum collectis, Spiritus Sancti instinctu, & moderatione ita gubernari, vt neque in Diuina vnquam veritate aperienda, & Sacris Religionis mysterijs enodandis hallucinari possit, temerè negant: quique ex conuenientium Patrum infirmitate potiùs, quàm ex Dei ipsam moderantis amplitudine, & veritate firmitudinem, & stabilitatem illius metiuntur. His ergò explosis, & confutatis, iam, ad quem potissimum spectet Oecumenicum Concilium cogere, atq. moderari, breui sermone aperiamus, quo optimus Reipub. nostræ Status magis, magisque emineat.

LIBRI QVARTI FINIS.

ARGVMENTVM LIBRI QVINTI.

OEcumenica Concilia conuocandi authoritatem, non penès Imperatores, sed penès Romanos Pontifices positam esse, quorum certè est per se, vel per Legatos suos, illis præesse, ostenditur. Sacra item Concilia in rebus Fidei, & Religionis, vel etiam in tradenda morum doctrina, quæ ad Ecclesiam vniuersalem spectet, à vero minimè aberrare posse, non obscurè declaratur. Tandem Oecumenica illa Concilia, quæ Romanos Pontifices præsentes habent, vel illorum sententia per Legatos exposita illustrantur, & eorum authoritate ritè gubernantur, præ alijs, quæ vel inconsultis Summis Pontificibus ad Fidei dogmata definienda accedant: vel ab illorũ sententia in definiendo, reluctantibus Legatis, discedere uideantur, vel denique, annuentibus quidem illis, contra instructionem tamen ab Apostolica Sede ipsis traditam agant, longè excellere demõstratur.

F. GREGORII NVNNII CORONEL ORDINIS EREMITARVM S. AVGVSTINI,

De optimo Reipublicæ ſtatu, LIBER QVINTVS.

ITA ſunt in Apoſtolicam Sedem inuidia, atque odio inflammati Lutheri, Caluini, Brentij, Hyperij cliẽtuli, & ita in Summorum Põtificum dignitatem debacchantur, vt nunquam linguis omni venenorum genere infectis parcant: atque eò furoris, vel potiùs rabiei, & dementiæ peruenerunt, vt nihil certum eſſe, atque firmum exiſtiment, niſi quod ad Pontificiam dignitatem euertendam, vel ſaltem minuendam valere videatur. Quare, Romanorum CAP. I.

Pontificum nomine, potestate, & eximij muneris dignitate spretis, & veluti pede calcatis, conuocandi Oecumenica Concilia authoritatem penes Imperatores esse, nonnullis rerum gestarum monumentis, &, nescio cuius vetustatis, exemplis decepti temerariè proclamant, atque subinde inculcant. Id verò quàm sit à veterum mente alienum, & nihil pijs, Religiosisque Imperatoribus aut antiquius, aut sacratius vnquam fuisse, quàm omnes potentiæ, & amplitudinis suæ vires ad tuendas Ecclesiastici muneris functiones, Antistitumque, præcipuè tamen Romanorum Pontificum authoritatem augendam comparare, & impendere, qui ad temporum historias, & Patrum volumina euoluenda animum nulla erroris caligine obscuratum aduerterit, nequaquam poterit ignorare.

In primis enim, vt à Constantino dicendi initium sumamus, nemo, qui vel Ecclesiasticam historiam legerit, vel Romani Iuris peritus fuerit, dubitare vllo modo potest, quin Constantinus fœlicis recordationis Imperator Nicænam Synodum cōuocauerit: quòd illa collegia, tanquam illicita, Imperialis legis præscripto improbata essent, quibus in vnum coeundi potestas facta non fuisset.

L. 1. ff. de colleg. illic. l. cōuenticula. c. de Episc. & Cler.

Quid, quòd cùm plerique ciuiles Magistratus, illo tempore, à Christi fide abhorrerent, nunquam Episcopis commeatum liberum præbuissent, absque Imperatoris publico mandato? Verùm non solus Imperator, aut is potissimùm Synodum indixit. Ab Imperatoribus enim, & Regibus, tanquam Ecclesiæ aduocatis, sed nec ab eis solis, vel ab eis præcipuè Synodos Episcoporum aut olim fuisse indictas, aut nunc esse conuocandas, sine controuersia tenendum est. Nisi enim in nomine Christi hi Conuentus sanctissimi ineantur, nunquam certè cognosci poterit illum in medio eorum esse. Congregari in Christi nomine, nihil aliud, vt mea fert sententia, est, quam Christi authoritate congregari, id est, ab illo cogi, qui à Christo authoritatem habeat congregandi. Cùm itaque apud Marcum Dominus

Matth. c. 18

nus dicit: *In nomine meo dæmonia eijcient*: Et apud Ioannem: *Mar. c. vlt.*
Ego veni in nomine Patris mei: quod item habetur apud Mat *Ioan. c. 5.*
thæum: *Nonne in nomine tuo prophetauimus?* & quod in actis *Matth. c. 3.*
Apostolorum legitur: *In qua virtute, aut in quo nomine hoc fecistis?* nomen pro authoritate, & potestate ponendum arbitror. At Christus huiusmodi potestatem Ecclesiasticam Imperatoribus nusquam dedisse legitur: illam enim ciuilem potestatem tantum eis reliquit, quam ipsi iure Gentium, vel ciuili sibi concessam prius acceperant. Petro autem agnos, & oues suas pascendi potestatem tribuit, atque ei, vt confirmaret fratres suos, imperauit, idest, cùm Christianos alios, tum Episcopos, & Ecclesiarum Præsules. Pastoris verò est oues suas nominatim vocare, & eas ad pascua ducere, & domum inde reducere. Prima igitur congregandi Synodos potestas est penes Petrum, & Petri successorem, cui rectè Imperatorum etiam, & Christianorum Regum ciuilis potestas suffragatur. Parum autem refert, quo tempore potestas Petri, & successoris eius accedat: vtrum mandatum illius præeat, an in re ipsa authoritas adsit, an ratihabitio subsequatur. Nam id tantū expetitur, vt in Christi nomine, hoc est, in potestate, quā Christus ad id instituit, Synodi coeant. Vtrum autem hoc fiat, necne ex Ecclesiarum Præpositorum, præsertim tamen ex Romanorum Pontificum consensu, aut contradictione statim est videre. Nicænum verò conuentum Episcoporum consensu indictum fuisse testatur Ruffinus: quos ille sub nomine Sacerdotum intelligit. Inter cæteros autem Sacerdotes Romanum Pontificem, vt omnium caput, Concilio eidem assensum præbuisse Theodoretus literis prodit. *Trecenti decem, & octo Episcopi*, inquit ille, *Nicææ in vnum conuenerunt: Episcopus autem Romanus propter ætatem admodum ingrauescentem abfuit: verùm duos illò misit Presbyteros potestate illis concessa actis illius Concilij assentiendi*. Qui sanè eidem Concilio, ante quoscunque etiam Apostolicarum Sedium Episcopos subscripserunt.

Act. c. 4. *Ioan. c. 10.* *Ruff. li. hist. c. 1.* *Theod. lib. 1. c. 7.*

Primas

Primas enim, vel extra ordinem quidem, omnium tamen permissione, in ipsis Episcoporum subscriptionibus, Osius Cordubensis Episcopus tulit: tum quòd in persequutione fidem gloriosè confessus sit, obidque Imperatori, ac toti Synodo percharus; tum quòd fidei normam, & Symbolum, quod Nycænum dicitur, composuerit: vel, quod certè arridet, aliisque, vt verosimilius, magis placet, quòd in Cōcilio Summi Pontificis legatione fuerit functus. Post Osium tamen Vitus, & Vincentius Presbyteri, qui Romani Pontificis vices subierūt, ante alios omnes subscripsere. Iam verò illud proprium est Romanæ Sedi, vt qui locum Summi Pontificis teneat, siue Episcopus, siue Presbyter, siue Diaconus ille sit, omnibus Patriarchis, & Episcopis præferatur in Concilio. Nycænum autem Concilium Syluestri Pontificis Romani consensu celebratum fuisse testatur Damasus. Et in Epilogo Romanæ Synodi sub Syluestro habitæ, trecenti decem & octo Episcopi eiusdem Pontificis iussu congregati dicuntur. Et in sexta Synodo scriptum est à Syluestro, & Constantino magnā Synodum Nicææ fuisse congregatam.

Damas. in Pontif. Act. 18.

Si prætereà Socrati, Sozomeno, & Nicephoro fides est adhibenda, multò antè, quam Nicææ congregatum esset Concilium, vetitum fuerat, ne sine Summi Pontificis permissione Concilia celebrarentur: vsque adeò, vt Beatus Marcellus Pontifex Maximus canonem illum Apostolicum fuisse testatus sit, ad Episcopos Antiochenæ Prouinciæ scribens. Et hæc quidem prohibitio, iure optimo facta est. Nam si subditis aut Regum, aut aliorum Principum, sine illorum consensu, habere comitia non licet, cur non idem in Conciliis obseruandum esset? Non me latet Caluinum, vt Romanus Pontifex, quòd vnus esset ex præcipuis Patriarchis, ad Concilium esset inuitandus. Quæ quàm sit vana, & futilis tergiuersatio, ipsum, si sanus est, lectorem testor. Cur enim ob eādem rationem, legis edicto non

Socrat. lib. 2. c. 13. Sozom. lib. 3. c. 9. Niceph. lib. 9. c. 5. Cassiod. hist. tripar. li. 4. c. 9. & 19. Marcel. epi. ad Epis. Antioch.

to non interdicitur, vt, nisi consentiente Alexandriæ, vel Antiochiæ Episcopo, qui etiam ex præcipuis erant Patriarchis, Concilia indicantur? Malè etiam Magdeburgenses verbi Græci vim apud Socratem perponderāt: qui nō Concilia cōuocari, sed Ecclesias dicari vi canonis illius prohiberi affirmant: in quo sic habetur; *μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας*: nullus enim est ita parū in literis Græcis versatus, qui ignoret idē esse apud Græcos *κανονίζειν ἐκκλησιας*, quod apud Latinos canonicum cętum conuocare, vel indicere Concilium, nunquā autem dicari templa, significari posse illis verbis, ex Epistola Marcelli, & Iulij Primi ad Episcopos Oriētales liquidò patet. Vnde Papa Iulius Episcopos, qui Antiochiæ cōuenerant, Iure optimo arguit, quasi Sacrorum Canonū violatores: quòd se ad Concilium minimè vocassent: cùm Ecclesiasticus Canon prohibeat, ne absque Romani Pontificis sententia Ecclesiis decreta sanciantur. Et Dioscoro Alexandrino in Concilio Chalcedonensi inter Episcopos Sedes denegata est, quòd sine Apostolicæ Sedis authoritate Concilium celebrare ausus fuisset. *Quod*, inquiunt Patres, *nunquam licuit, nunquam factum est.*

Socrat. li. 2. cap. 13.

In Cōc. Chalced. act. 1.

Catholici verò Principes, qui se Christo nomina dedisse non immemores erant, probè quidem norant non suæ, sed Pontificiæ potestatis esse Episcoporum cætum conuocare: adeò, vt, cùm Episcopi Hellesponti, & Bithyniæ, cæterique, qui Filium eiusdem substantiæ cum Patre asserendum dicebant, ad Valentinum Imperatorem Episcopum quendam misissent oratum, vt sibi de doctrina fidei rectè cōstituturis in vnum conueniendi potestas permitteretur, responderit Imperator sibi, qui vnus è laicorum numero esset, non licere se eiusmodi negotiis immiscere. *Et ideo*, inquit ille, *Sacerdotes, & Episcopi, quibus hæc curæ sunt, seorsum per se, vbicunque ipsis libitum fuerit, in vnum conueniant.* Et Diuus P. Augustinus in eo putat Constantini pietatem maximè eluxisse, quòd Ciciliani Episcopi

Sozom. lib. 6. c. 7.

cau-

causam ad se delatam, in quem nullum sibi à Deo ius concessum intelligebat, minimè iudicandam susceperit: sed ad Episcopos remiserit: à quibus tractata, & iudicata est Melchiade Summo Pontifice præsidente. Liberius Pontifex Romanus à Constantio muneribus, minisque solicitatus, vt Athanasij in exilium damnationi subscriberet, fiat, inquit, *Ecclesiastica Synodus longè à Palatio: vbi neque Imperator præsto est, nec comes se ingerit, nec iudex minatur: & vbi solius timor Dei ad omnia sufficit, & Apostolorum institutio.* Quamobrem cùm Marcellus, & Iulius Pontifices Romani legis præscripto prohibuissent sine Romani Pontificis authoritate Concilia Oecumenica conuocari (quod edictum quàm multi alij confirmarunt, atque, si id opus fuit, denuò pronuntiarunt) neque Pontificibus hæc decernentibus Imperatores contradixisse visi fuerint, satis ab illis declaratum fuisse puto, magis se in cogendis Concilijs Romanorum Pontificum studiis inseruisse, quàm sibi tantum illud ius arrogare voluisse. Cùm enim tunc Cæsares vniuerso penè Orbi imperarent, neq. Sedes Romana magnas eo tēpore vires comparasset, illorum opem implorandam, & ipsis morem gerendum esse Pontifices existimarunt: cùm vt liberè, & tutò Principū fauore, & auxilio Concilia cogi possent (qui ob seditionum timorem, & imminens periculū celebres hominū conuentus fieri prohibuerant) tū verò vt sanctissimæ definitiones, canones, & decreta in Concilijs cōstituta ab omnibus rata haberētur: & eos, qui Apostolicæ Sedis censuras minimè formidassent, Cæsaris authoritas in officio cōtineret.

Athan. epi. ad Liberiū cum Episcopis Alexandriæ cōgregat. habetur tom. 1. Concil.

Hoc adeò certum, & exploratum esse omnibus mihi videtur, vt nemini dubitandi locus fuerit relictus. Idque Valentiniani, & Martiani Augustissimorum Imperatorum, & Pulcheriæ Augustæ literæ ad Leonem Pontificē maximum apertè testantur. De Chalcedonensi enim Synodo acturi, ita Leonis precibus amplissimam Orientalium Episcoporum Synodum congregandam curarunt,

In præambulis ad Cōcil. Chalced.

vt

vt tamen cuncta in Romani Pōtificis potestate collocata manifestò significauerint. *Superest*, inquiunt illi, *vt si placuerit tuæ beatitudini in has partes aduenire, & Synodum celebrare hoc facere Religionis affectu dignetur; nostris vtique desiderijs vestra sanctitas satisfaciet, &, sacræ Religioni quæ vtilia sunt, decernet. Si verò hoc onerosum est, vt tu ad has partes aduenias, hoc ipsum nobis proprijs literis tua sanctitas manifestet: quatenus in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam, & Illyricum sacræ nostræ literæ dirigantur: vt ad quendam definitum locum, vbi nobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant conuenire, &, quæ Christianæ Religioni, atque Catholicæ fidei prosint, sicut sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas regulas definierit, sua dispositione declarent.* Et Pulcheria Augusta, quæ non aliam, quàm Catholicam fidem cum coniuge suo Imperatore profitebatur & amplexabatur, pari desiderio, pari voto, pari reuerentia, atque eisdem fermè verbis eundem Leonem alloquitur. *Pulch. Imp.* *Et propterea tua reuerentia quocunque modo prospexerit, significare dignetur, vt omnes etiam totius Orientis Episcopi, Thraciæ, atque Illyrici (sicut etiam nostro Domino pijssimo Imperatori meo coniugi placuit) in vnam ciuitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant conuenire; & illic facto Concilio, & de Catholica confessione, & de his Episcopis, qui ante hoc segregati sunt, sicut fides, & Christiana pietas exigit, te authore decernant.* Hanc verò, si nulla penes Romanum Pontificem congregandi Concilia foret, authoritatem vel Augustissimi Imperatores, vel integerrima Pulcheria Leoni Pontifici nunquam temerè tribuissent. Cur etiam Theodosius Imperator in secunda generali Synodo Constantinopoli celebrata, cui ipse adfuit, nihil aliud sibi licere testatus est, quàm se fidem à Damaso Pontifice traditam tum complecti Religione, tum omnes qui sub Romani Imperij ditione essent, ad eam colendam omni ratione inducere, si Imperatorum esset Concilia indicere, atque id sibi Romani Pontifices callidè vendicassent? Cur Theodosius Iunior, cùm illi, quod Ephesi primùm celebratum est, Concilio interesse nequiuisset, illis, quos sibi suffe-

cerat, nihil magis commendauit, aut ſacratius eſse voluit, quàm eos nemini permittere, qui ad Epiſcopalem dignitatem aſſumptus non eſſet, vt Eccleſiæ negotia pertractaret, ſi Imperatorum ius Pontifices inuaſerant? Piiſſimi ſanè Imperatores, ſi ſacras Epiſcoporum functiones ipſi arriperent, magis ſacrorum authoritatem minui, quā maieſtatem ſuam augeri optimè nouerant. Neque verò quòd muneris, dignitatiſque ſuę obliuiſcerentur, ſed quòd tantum Religione, quantum potentia excellerent, pia ipſi Romanorum Pontificum ſtudia pro viribus adiuuare nitebantur: ſacrum autem munus vſurpare nequaquā audebant. Vnde cùm Cæſares Conciliis ſæpè adfuiſſent, nihil prorſus conſtituere voluerunt, aut temerè tentarūt: ſed quæ in Synodis Patres conſtituerant, omnibus ſancta, augusta, & religioſa eſſe authoritate ſua quàm diligentiſſimè curarunt. *Christus enim* (vt ſapienter Gelaſius ait) *memor fragilitatis humanæ, quod ſuorum ſaluti congrueret, diſpenſatione magnifica temperauit: authoritatibus proprijs, dignitatibuſque diſtinctis, officia poteſtatis vtriuſque decreuit, ſuos volens medicinali humilitate ſaluari, non humana ſuperbia rurſus intercipi, vt & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporali curſu rerum Imperialibus diſpoſitionibus vterentur: quatenus ſpiritualis actio à carnalibus diſtaret incurſibus: & ideò militans Deo minimè ſe negotijs ſæcularibus implicaret: ac viciſſim non ille rebus diuinis præſidere videretur, qui eſſet negotijs ſæcularibus implicatus, vt & modeſtia vtriuſque ordinis curaretur, nec extolleretur vtroque ſuffultus, & compotens qualitatibus actionum profeſſio aptaretur.* Non igitur (vt temerè nobis hæreticorum turba improperat) Nicææ Concilium Imperator Conſtantinus ita coegit, vt id ſine Romani Pontificis authoritate fuerit aggreſſus. Nam Damaſus ſumma Syluestri Romani Pontificis conſenſione Nicææ habitum fuiſſe Concilium ſcribit: quod etiam in ſexta Synodo expreſſum reperitur. Et Ruffinus ex ſententia Sacerdotum ab Imperatore Concilium fuiſſe indictum tradit. Theodoretus

Gelaſ. de uinculo anath.

Damaſus in Pontif.

In ſexta Syno. act. 18.

Ruffin. libr. 10. c. 1.

doretus quoque à Theodoſio Imperatore non tam Conſtantinopolitanam Synodum primam indictam, quàm ab eo Damaſi literas, quibus vt Constantinopoli Epiſcopi coirent, præcipiebat, quàm diligentiſſimè per omnes Prouincias, & ciuitates miſſas eſse aſserit. *Mandato literarum* (inquiunt apud Theodoretum Epiſcopi) *ſuperiore anno à veſtra reuerentia ad ſanctiſſimum Imperatorem Theodoſium miſſarum, ad iter duntaxat Conſtantinopolim vſque faciendum, nos præparauimus.* Et Proſper apud Epheſum Concilium primum celebratum fuiſſe Cyrilli quidem induſtria, ſed Cæleſtini authoritate apertè indicat. Euagrius etiam inquit: *Vbi igitur quindecim dies vltra diem præfinitam præterierunt, Epiſcopi, qui Epheſi conuenerant, quaſi iam Epiſcopi verſus Orientem habitantes non eſſent venturi, aut ſi forte venirent, multum dilaberetur temporis, antequam in vnum cogerentur, Cyrillo locum Cæleſtini Epiſcopatum antiquæ Romæ gerentis obtinente accerſunt Neſtorium &c.* Ex quibus omnibus, ne plura cogar teſtimonia adducere, niſi mea me fallit opinio, manifeſtè educimus Concilia hæc ſine conſenſu, & authoritate Sedis Apoſtolicæ nequaquam indicta, ne dum fuiſſe celebrata. Quòd ſi aliqui nonnunquam Imperatores ſacrũ ius inuaſerunt, ſuæque, & Pontificiæ dignitatis penitus obliti in Pontificum munus, & ditionem ſe ſe ingeſſerunt (quos ſuſpicere, & obſeruare debuerant) id potius ambitioni, inſolentiæ, atque temeritati Cæſarum, quàm imbecillitati Pontificiæ authoritatis tribuendum eſſe nullus, qui Catholicus ſit, non agnoſcit.

Theod.lib.5 hiſt. c. 9.

Proſper. in Chro. Euag. lib. 1. c. 4.

CAP. II.

QVocirca, vt iam ad ſecundum deueniamus caput, quemadmodum nihil potuit excogitari fraudulentiùs, quàm cogendi Synodos ampliſſimum munus illis tribuere, quorum ditioni, & poteſtati Præſules Eccleſiarum minimè aſtringuntur, quique ſi vim Epiſcopis inferre tentarent, quibus parere potius tenentur, Diuina prorſus, & humana iura confunderent: ita nihil Chriſtianæ Reipub. funeſtius, aut pernicioſius, vel in Chriſti Eccleſiam con-

tumeliosius dici, aut excogitari potuit, quàm moderandi Concilia authoritatem Summis Pontificibus denegare, & eam Imperatoribus deferre; quos nullam omninò iudicandi de ijs rebus, quæ in Concilijs statuuntur, authoritatem habere veterum placita, & maiorũ res gestæ apertè testantur. Ego quidem ad hæc ipsosmet Principes, Imperatores ipsos testor, qui nunquam pietatis, & Religionis deseruerunt præsidia: ita enim, quotquot illi fuerunt, sese ad Ecclesiæ, Conciliorumque res gerendas accommodarunt, vt in mysterijs aperiendis, & de fide controuersiis dirimendis sanctissimorum Episcoporum summam authoritatem agnouerint: in Conciliis verò cogendis, & moderandis Romano Pontifici potissimum locum semper reliquerint. Nam cùm Summus Pontifex tam Principum, quàm Præsulum Pastor sit, & Pater (quippe cuius curæ vniuersæ Ecclesiæ salus à Christo cõmissa est) quid magis à ratione alienum dici potest, quàm filios Patribus, & oues Pastoribus præesse oportere?

Iam verò, qui antiquitatis studiosi inuestigatores fuerunt, primas octo Generales Synodos à Romani Pontificis Legatis fuisse gubernatas (neque enim de alijs posterioribus aduersarij nostri litem excitare, vel quæstionem texere moliti sunt) Imperatoribus nequaquam repugnãtibus, cautè, diligenterque adnotarunt. Eusebius enim Cęsariensis, & Theodoretus ita Constantinum Imperatorẽ Nicæno Concilio adfuisse dicunt, vt tamen illum vel conditionis suæ, vel Pontificiæ dignitatis, & amplitudinis nunquam immemorem fuisse significauerint. Nam cùm die præstituta Concilio, vt res in controuersiam vocatæ dirimerentur, in ipsa media Palatij aula singuli (quorum erat illud celebrare) parati adessent, atque vniuersus ministrorum Dei consessus decenti ordine collocatus esset: ecce, non armatis hominibus, qui ei adesse consueuissent, sed illis, qui Christi fidem amplexarentur, stipatus Imperator per medium consessum ingreditur; qui certè, demis-

Eusebius de vita Const. lib. 9. c. 10. Celebratur ab an. 327. vsq. ad an. 330. sub Syluestro Sum. Pont. & Cõstant. Imp.

ſis oculis, vultus pudore, atque inceſſus moderatione, Dei timorem, & veram pietatem ſibi præcipuæ curæ eſſe ſatis indicauit: ſingularemque mentis indolem, quæ nulla dicendi facultate explicari poſſet, optimè declarauit. Simul ac ergo ad ſummum locum peruenit, primum in medio Conuentu erectus conſtitit; ac, cum parua quædam ſella illi ad ſedendum eſſet poſita, non prius conſedit, quàm Epiſcopi ad id innuiſſent, *Et omnis Diuinus ille cætus* (ait Theodoretus) *ſe pariter in Sedibus collocaſſet*. Præfuere autem Summi Pontificis legati Oſius Epiſcopus, Vitus, & Vincentius Presbyteri, qui ante omnes Præſules ſubſcripſere. Tradunt etiam Cedrenus, & Photius Syluestrum Pontificem Romanum per Legatos ſuos Concilio Niceæ vim & authoritatem tribuiſse. Et Athanaſius ſcribens ad ſolitariam vitam agentes teſtatur in Concilio Nicææ coacto Principatum tenuiſse Oſium Epiſcopum, atque Symboli, quod Nicænum dicitur, authorem extitiſse. Hoc denique ex præfatione quadam Concilio Sardicenſi appoſita ita liquidò patet, vt nullus prorſus ambigendi locus reliquus videatur.

Thedoretus lib. 1. hiſtor. c. 7.
Cedren. in compendio hiſtor.
Photius in lib. de ſeptē Syn.
Athan. ad ſolit. vit. agent. habetur in ſecũdo to. Conc.
Theod. lib. 5 hiſt. c. 9. & 10.

Concilio Conſtantinopolitano primo nō Imperator, ſed Nectarius eiuſdem ciuitatis Epiſcopus Summi Pontificis authoritate præfuit: quem Epiſcopi coeuntes Conſtantinopoli epiſtolis ſalutarunt Patrē, Paſtorem, & omnium, qui Chriſtiani eſsent, Principem, quem etiā Chriſti vices, perſonamque in terris gerere ſponte ſua, animis, votiſque conſentientes agnouere. Theodoſius quoq. Iunior Imperator Candidianum Comitem (vt ex ipſius Imperatoris literis ad Concilij Patres manifeſtè conſtat) cùm primæ Epheſinæ Synodo adeſse non poſset, Epheſum miſit, vt vices ſuas obiret: cui præcepit, ne quenquā, qui Epiſcopi dignitate inſignitus non eſset, Eccleſiaſticis negotijs ſe ſe immiſcere pateretur. Præfuiſse autem Cæleſtini Papæ Legatum Sanctum Cyrillum ſedis Apoſtolicæ authoritate fultum manifeſtum eſt apud celebres hiſtoricos,

Celebratur an 383. vel 384. ut uult Socrat. ſub Dam. Sum. Pontif. & Theod. Senio. Imp.
Syn. Ephe. 1 quæ tertia eſt Generalis celebratur an. 434. Celeſtino I. Sum. Pont. & Theodo. Iunio. Imp.

ſtoricos, Euagrium, inquam, Photium, Proſperum, Nicephorum, & Libratum Abbatem: quod etiam Iuſtinianus, Nicolaus, atque idem Cæleſtinus apertè demonſtrant.

Euag. lib. 1. c. 14. Phot. lib. de ſept. Syn. Proſpe. in chron. Niceph. lib. 14. c. 34. Libratus in breuia. c. 15 Iuſti. in edicto Nicol. Epiſc. ad Michaelē. Cæleſt. epiſ. ad Cyril. quæ extat in hac Synodo tom. 1. ca. 16. & inter opera Cyrilli.

Iam Martianus Imperator, cùm Chalcedonenſi Concilio habito ſub Leone Pontifice huius nominis Primo præſens fuiſſet, ita modeſtè primo in loco ſedit, vt tamen oratione, quam ad Patres Concilij habuit, teſtatus fuerit ſe non ad explicandam Fidem, & controuerſias de Religione dirimendas acceſſiſſe, ſed vt Conſtantini Magni veſtigijs inſiſtendo, quæ Synodi Patres conſtituiſſent, ab omnibus authoritate ſua amplectenda procuraret. Cùm verò poſt ſe Iudices aliquos ſæculares cõſtituere ſibi opus eſſet, nihil aliud illis demandauit, quàm vt ſeuerè in illos animaduerterent, qui diſſidijs ſacratiſſimum Epiſcoporum conuentum perturbare molirentur. Præfuerunt autem, & de fide Iudices ſederunt in Concilio Leonis Pontificis Romani Legati, vt ex ſententia lata in Dioſcorum videre licet: ſic enim in ea habetur. *Sanctiſſimus ac beatiſſimus Papa caput vniuerſalis Eccleſiæ Leo per nos Legatos ſuos, Sãcta Synodo conſentiente, Petri Apoſtoli præditus dignitate, qui Eccleſiæ fundamentum, & petra fidei, & cæleſtis Regni ianitor nuncupatur, Epiſcopali dignitate Dioſcorum nudauit, & ab omni Sacerdotali opere fecit extorrem.* Idem etiam Leo Chalcedonenſis Synodi Patribus ait: *In his fratribus Paſchaſino, & Lucentio Epiſcopis, Bonifacio, & Baſilio Presbyteris, qui ab Apoſtolica Sede directi ſunt, me Synodo veſtra fraternitas exiſtimet præſidere.* Ipſa quoque Chalcedonenſis Synodus Leonem de omnibus, quæ geſta fuerunt, cupiens certiorem facere, *Si enim,* inquit, *vbi ſunt duo, aut tres congregati in nomine eius, ibi ſe in medio eorum fore perhibuit Chriſtus, quantam circa Sacerdotes peculiaritatem potuit demonſtrare, qui & patriæ, & liberis ſuæ profeſſionis notitiam prætulerunt? Quibus tu quidem, ſicut membris caput, præeras, in ijs, qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam præferens.* Imperatores ergò ad ornatum Conciliis decentiſſimè aderant, ſicut Zorobabel, & Ieſus

Chalc. Conc. act. 3.

Leo epiſ. ad Chalc. Conc.

Conc. Chalc. ad Leon.

Eccle-

Ecclesiæ Hierosolymitanæ ædificationem renouare circa dogmata molientes.

Concilio autem Constantinopolitano secundo cùm Vigilius Pontifex Romanus neque interesse, neque Legatos ad Episcoporum cœtum mittere voluisset, ita Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus illi præfuit, vt tamen Principem, & caput omnium Romanum Pontificem agnouerit. Vnde Zonaras de Iustiniano Seniore Imperatore acturus ita scribit. *Sub hoc quintum Concilium est coactum centum sexaginta quinque Episcoporum, quorum Princeps fuit Vigilius Papa Romanus.* Et Eutychius ad Vigilium Papam, *scientes*, ait, *quantorum bonorum est pax Dei, ideò festinantes vnitatem conseruare, ad Apostolicam Sedem vestræ beatitudinis manifestum facimus, quòd seruamus fidem à Christo Apostolis traditam, & à Sanctis Patribus, maximè in Sanctis quatuor Synodis, explanatam suscipimus, & Epistolas Præsulum Romanæ Sedis Apostolicæ; & ideò petimus, præsidente nobis vestra beatitudine, de tribus capitulis quæri, & conferri.* Cui Vigilius Papa ita respondit. *Annuimus, vt de tribus capitulis, facto regulari conuentu, medijs Sacrosanctis Euangelijs, collatio habeatur, & finis placitus Deo.*

Coacta est hæc Synod. an. Domini 553. (quod Psello magis placet) Vigilio Summo Pont. & Iustiniano seniore Imper.

Zonaras annal. to. 3. de vit. Iustini. habetur in fine 1. collat. Synodi quintæ 2. tomo Conc.

Quàm igitur temerè impius Illyricus dixerit Vigilium Pontificem Romanum Synodo noluisse interesse, ne secundus Eutychio assidere cogeretur, ex ipsiusmet Eutychij epistola, & erga Summum Pontificem obsequio, ac in Sedem Apostolicam Patrum omnium pietate, & Religione (quorum communem fidem proprio libello Vigilius Ecclesiæ caput confirmauit) satis apertè liquet. Qui sanè, quoniam pauci occidentis Episcopi adessent, interesse noluit collationi: per literas tamen Concilij decretis consensit, & damnauit Theodorū Mopsuistiæ Episcopū, librosque eius, Theodoriti scripta contra Cyrillum, & epistolam Ibæ ad Marinum Persam scriptam: imò Rusticum, & Sebastianum ob easdem hæreses Diaconorum honore alienos decreuit: vt in septima Synodi quintæ collatione videre facilè est. Et Cassiodorus, *Origenem*, inquit, *licet*

Euag. lib. 4. c. 37.

Cassiod. c. 1. de diuin.

licet tot Patrum oppugnet authoritas, præsenti tamen tempore, & à Vigilio viro beatissimo Papa denuò constat esse damnatum. Denique si qua Synodus vnquam extitit, quæ Romanorum Pontificum dignitatem suspexerit, & potestatem mirum in modum amplificauerit, hæc certè fuit. Ita namque illorum vestigijs adhærere studuit, ita illorum iudicio sese adiunxit, vt in amplectendis eorum de fide sententijs, & ablegandis ab Ecclesiæ communione illis, quos ipsa damnauerat, tota versetur: vsque adeò vt ad Romani Pontificis mandata exequenda comparata fuisse videatur.

Celebratur ann. Domini 681. iuxta Psellum. Agathone Summo P. & Const. 4. Imper.

Zonaras in vit. Const. 4

Act. 18.

Constantinopolitano tertio, quod sextum inter Oecumenica Concilia connumeratur, proculdubiò præfuerunt Agathonis Romani Pontificis Legati Petrus, & Georgius Presbyteri, atque Ioannes Diaconus, vt ex actionibus Cōcilij, quibus ij primi semper subscripsere (quod potissimū Legatorum Sedis Apostolicæ priuilegium est) non obscurè liquet. Hoc ipsum Zonaras testatur dicens: *Constantinus Concilium Constantinopoli indicit, cuius fuere Principes Agathonis Papæ Romani legati*. In ipsa etiam Synodo sic scriptum legitur. *Antiquæ Romæ, & Apostolicæ Summitatis Pontificalis Antistes pro se literarum paginam, eosque, qui eius personā describerent, Sacerdotes constituit.* Et iterum: *Summus nobiscum concertabat Apostolorum Princeps: illius enim imitatorem, & Sedis successorem habuimus fautorem, & Diuini Sacramenti mysterium illustrantem per literas. Confessionem tibi à Deo inscriptam illa Romana antiquitas obtulit, & dogmatum diem à vespertinis partibus extulit. Charta, & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur*. Paulò autem post, Constantini literis ad Synodum Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ datis, ita Romani Præsulis amplificatur authoritas, vt illius sententiam tanquam à Diuo Petro prolatam ab omnibus summa cum reuerentia, & admiratione acceptam fuisse dicat. *Tanquam enim ipsius diuini Petri vocem* (inquit ille) *Agathonis relationem supermirati sumus*. Cùm verò Agatho, priusquàm à Synodo eius legati

gati

gati reuerterentur, diem suum obijsset: Leo Secundus Agathonis, & Petri successor Imperatoris literas, & Synodi gesta accepit, eaque his verbis confirmauit: *Quia sancta, & vniuersalis, & magna sexta Synodus definitionem rectæ fidei plenissimè prædicauit, quam & Apostolica sedes beati Petri Apostoli (cuius, licet impares, ministerio fungimur) veneranter suscipit: idcircò & nos, & per nostrum officium hæc ueneranda Sedès Apostolica concorditer, & vnanimiter his, quæ definita ab ea sunt, consentit, & beati Petri authoritate confirmat, sicut supra solidatam petram, qui Christus est, ab ipso Domino adeptus firmitatem.*

Actio 18. Sextæ Synod.

Concilio tandem Nicæno secundo Adriani Pontificis Romani Legatos Petrum Archipresbyterum, & Petrum Abbatem S. Sabbæ præfuisse ita omnibus notum est, vel etiam illis, qui in Ecclesiæ annalibus parum sunt versati, vt longiori oratione id demonstrare superuacaneum prorsus fore existimauerim. Illic enim nihil omninò Imperatorem egisse, neque nisi Summi Pontificis authoritate per eius legatos aliquid actū fuisse illius Concilij acta manifestè testantur. Nam cùm ante hanc Synodum, (quæ à Constantino, & Irene Augustis sub Adriano Pontifice pro sacrarum imaginum veneratione indicta verè septima est) Constantinus Copronymus falsam Synodū Constantinopoli contra sacras imagines congregasset, quam hæretici volebant septimam haberi: necessarium fuit, vt, cùm vtrobique & Imperator conuocasset Synodum, & permulti Episcopi adfuissent, ratio aliqua redderetur, ob quam hæc Synodus illi esset præferenda. Plures igitur huius rei rationes actione sexta proferuntur, ob quas Synodus septima secunda priorem superarit. Prima ex rebus ipsis, quoniam prior, quam Copronymus conuocauit, Idolum Iouis, & imaginem Iesu Christi eodem loco habuit: Secunda, quia illi Romani Pontificis authoritas non aderat: tertia, quòd neque aliorum Patriarcharum, & Sacerdotum vnanimis accesserat consensus: denique, quod illa in vniuersa Ecclesia recepta non sit,

Celebratur hæc Synod. Adria. Pon. & Imperiū moderante Constant. 6. cum matre Irene anno Domi. 781. vt placet Paulo Diac. vel 786. vt Cedrenus asserit, vel iuxta. Onuphriū 789.

Celebratur hæc anno Domin. 755 Imp. Const. Coprony. Et Steph. 2. Ro. Pont.

vt ſex primæ Oecumenicæ Synodi. Tota enim Occidentalis Eccleſia nunquam deturbauit, ſed moderatè ſemper venerata eſt ſacras imagines. Iam ipſius Synodi verba audiamus. *Qui*, inquit, *in Synodo* priore ſub Copronymo *congregati fuere, vt cum Propheta loquar, inter ſanctum, & profanum non diſtinxerunt: inter purum, & impurum diſcrimen non ſtatuerunt: imaginem enim Domini Dei noſtri cum imagine ſimul Satanæ idolum appellarunt. Quomodò autem magna, & vniuerſalis, in quã neque omnes conſenſerunt, & reliquarum Eccleſiarum Præfecti non admiſerunt, ſed anathemate eam deuouerunt, non habuit cooperarium, vt hæc, quæ nunc celebratur, Romanum Papam, neque illius Sacerdotes, neque per Vicarios, neque per Prouinciales literas, quemadmodum fieri in Synodis debet. Quin etiam neque concordantes ſibi habuit Orientis Patriarchas, Alexandrinum, inquam, Antiochenum, & vrbis ſanctæ Summos Pontifices, neque cum illis etiam myſtas, & Sacerdotes.* Et poſt. *Neque in omnem terram Apoſtolicè egreſſus eſt ſonus eorum, aut in fines Orbis terræ verba eorum: quemadmodum ſex priores ſanctæ vniuerſales Synodi. Septima autem quomodò erit, vtpotè qua non concordet cum ſex prioribus ſanctis, & vniuerſalibus Synodis? Omne enim ſeptimum ordinatum in eadem numeratione, qua res, quæ præceſſerunt, rebus præcedentibus conſentaneum eſſe debet: quandoquidem id, quod nihil cum ante exactis participat, ſimul connumerari nequit.* Vis rationum earum, quæ à ſacro Concilio Nicæno ſecundo profluxerũt, longius, quam cogitaui, me quadam captum dulcedine protraxit. Neque verò facti me vnquã pœnitebit, ſi voti compos efficiar: ſi in Concilio, inquã, Nicæno ſecundo non Imperatoris, ſed Romani Pontificis authoritate omnia fuiſſe moderata ſatis oſtendiſse videar: nec non appareat, quid veriſimilitudinis habeat illorum ſententia, qui volunt ſeptimam Synodum, quæ ſub Conſtantino, & Irene congregata eſt Francoforti ab Epiſcopis Occidentalibus, cùm etiam Romanæ Eccleſiæ legati Theophilactus, & Stephanus Epiſcopi non modò interfuiſsent, verùmetiam præfuiſsent, è numero Synodorum eiectam. Neque enim ſacras imagines in

Conc. Nicæ. ſecund. actio 6. in de locũ.

Pſal. 18.

Germa-

Germania, Gallia, & Italia eo tempore deiectas vidimus, quarum venerationem propugnandam Concilium Nicænum secundum strenuè susceperat. Quarè quod de reiecta septima Synodo in Platina, in chronicis Adonis, & similibus dicitur, de illa Synodo, quæ sub Copronymo congregata est, & falsò septima dicebatur, absque dubio intelligendum reor. Idque non solùm literarum monumenta, sed etiam, si consulantur, res ipsæ conclamant. In tota enim Occidentali Ecclesia sacras imagines defensas fuisse, minimè verò deiectas res ipsa docet. Quis autem Episcopis omnibus definientibus imagines sacras deturbandas, idque Rege imperante, contra potentissimum Regem, contra Episcoporum omnium celeberrimum, & amplissimum conuentum se se aduersarium opponeret? Refert Ionas Aurelianensis, quasi rem nouam, inauditam, & execrabilem, Claudium Taurinensem in sua dioecesi imagines delere tentasse. Quod certè mihi est argumento tunc temporis in Occidentali Ecclesia sacras imagines reiectas non fuisse. Non ergo Synodum Nicænam, quæ sacrarum imaginum tutata est vsum, & venerationem, sed Constantinopolitanam hæreticam sub Copronymo aduersus illas congregatam in Concilio Francofordiensi damnatam, & reiectam fuisse Alanus Copus manifestè aperuit. Iam eò, vnde digressa est oratio nostra, reuertamur. *Alan. Cop. dial. 4. & 5.*

Denique Concilio Constantinopolitano quarto Romani Pontificis Adriani secundi legatos præfuisse nemo est, qui ignoret. Donatus enim, qui cum Stephano Episcopo, & Marino Diacono legatione functus est, primus omnium ita subscripsit: *Ego Donatus, Dei gratia, Episcopus Ostiensis locum obtinens Domini mei Adriani vniuersalis Papæ huic sanctæ, & vniuersali Synodo præsidens omnia, quæ superius leguntur, promulgaui, & manu propria subscripsi.* Præterea Basilius Imperator, cùm etiam Concilio adesset, longiori, quàm imprçsentiarum scripto prosequi fas sit, oratione ad Con- *Celebratur hæc Synod. Adrian. 2. Sũmo Pont. & Basilio Impe. anno Domi. 870. Ad finem Concil. Constanti. 4.*

cilij Patres habita testabatur Imperatoris quidem, aut alicuius è laicorum numero munus non esse Ecclesiasticis iudicijs sese ingerere. Cùmque mox post Patriarchas subscriberet, haud certè definiens, sed Concilij sacros canones, quæquè à Patribus constituta fuerant decreta, suscipiens, non aliter sibi, quàm Constantino, Theodosio, & Martiano posteriori loco post Episcopos subscribere licere respondit: ab illis tamen post Patriarchas subscribendi facultatem sibi factam fuisse. Iam igitur tam ex his, de quibus hactenus sermonem habuimus, quàm ex alijs, quibus Romanus Pontifex, vel ipse, vel per Legatos, præfuit, Concilijs, apertè colligimus non Imperatorum, sed Romanorum Pontificum esse & Concilia Oecumenica conuocare, & illa rectè gubernare. Est enim, quod ex antiqua Ecclesiæ consuetudine depromitur, ad omnia Caluini, & Brentij, omnium denique hostium nostrorum figmenta, atque diliria diluenda, & machinas omnes euertendas efficax argumentum.

Nec verò prudens antiquitatis inuestigator in admirationem ducatur, si Romanos Pontifices Synodis apud Occidentis ciuitates collectis, interfuisse, Orientalibus tamen (quanuis nonnunquam illic fuerint) non nisi per Legatos suos præesse voluisse, sæpiùs scriptis proditum legat. Illud namque vel ipsa iuris, & æquitatis ratio postulare maximè videbatur, vt caput membra sequerentur: ne, si membra caput moderarentur, vel in obsequium illorum, quò ipsa vellent, descenderet, Naturæ iura violarentur. Hinc ergò consultò factum est, vt, cum vel Romæ, vel vbi Pontifices Romani essent, Concilium congregaretur, ipsimet Pontifices præessent. Aequum enim, & rationi maximè consonum semper visum est capitis præsentia, nutu, consilij, regiminisque præsidijs singularibus corporis membra foueri, institui, & circunscribi: Secus verò, si Episcoporum cœtus, etiam Romani Pontificis authoritate, alibi cogerentur, ne cõtra ordinem Naturæ caput membra sequi

qui videretur. Illud tunc maximè Summi Pontifices obſeruandum ſibi duxerunt, cùm Imperatores Orientalium Epiſcoporum Synodos congregandas curarunt: quibus ipſi cùm intereſſe decreuiſſent, ne tamen vel nonnullorum ambitioni, & arrogantiæ minus cautè fauerent, vel excitandi tumultus occaſionem præbere viderentur, Eccleſiæ paci prouidè conſulentes, legatos, qui Cõcilijs præeſſent, quibuſcum res omnes agerentur, mittere maluerunt: quia omnis contentionis tempeſtas proſperis, & ſecundis rebus Eccleſiæ inimica commune illius bonum labefactat; &, cùm aduerſariorum dimicatio contra Deum, & ſponſam illius Catholicam Eccleſiam ſuſcepta iam iam Spiritus Sancti virtute profliganda ſit, denuò perditus cacodæmon Sacroſanctam Chriſti diſciplinam, & Religionem nouis tumultibus, & maleuolorum obtrectationibus lacerandam objicit. Inteſtina enim ſeditio in Eccleſia multò plus moleſtiæ, & acerbitatis, quàm quoduis bellum, in ſe complecti viris Religioſis, & pijs ſemper viſa eſt. Tanta verò Cæſarum ambitio, & inſolentia nõnunquam fuiſſe legitur, vt potentia ſua immoderatè abuſi, & Pontificiæ dignitatis penitus immemores in Pontificum munus ſeſe audacter intruſerint. De Conſtãtio queritur Athanaſius, quòd, cùm obtendiſſet in ſpecie Epiſcoporum iudicium, non, niſi quod ſibi placeret, quodque in votis maximè haberet, fieri pateretur. *Nam ſi iſtud*, inquit ille, *eſt iudicium Epiſcoporum, quid commune cum eo hàbet Imperator?* Quocircà vt Summorum Pontificum modeſtiam, & prudens conſilium admirari licet: ita profectò qui ex rebus geſtis aliquorum Imperatorum in Eccleſia Dei, potiuſquàm ex maiorum placitis, ipſiuſque Pontificiæ dignitatis vi, & ratione, Pontificum authoritatem æſtimandam putant, effrænatam certè ſuperbiam, & præcipitem furorem pro norma Eccleſiaſticæ Hierarchiæ conſtituere videntur. Vnde ſi quis Iuſtiniani Imperatoris arrogantiam cum ardenti auaritia coniunctam, vt Summorum Pontificum

Athan. epiſ. ad ſolit. uit. agen.

autho-

authoritatem euertere nitatur, captiosè nobis obijciat: temeritatem illius à Gregorio Magno adeò damnatam illi ostendemus, vt Imperatoris potius audaciam, & impietatem improbandi, quàm de Pontificiæ dignitatis, & authoritatis amplitudine dubitandi materiam suppeditasse videatur. Nam sub temporibus Agappiti, Siluerij, ac Vigilij Romani Pontificis Iustinianus Imperator, & eius in Imperio successores, quòd ille vrbem à Gothorum tyrannide vendicasset, illud Romanis Pontificibus iugum imposuerunt, vt eorum creatio nequaquam firma, & stabilis censenda esset, donec Imperatorum accessisset consensus, & certam ipsis pecuniæ summam nouus Pontifex exoluisset. Quam sanctionem aliquandiu obseruatam cũ Simonis illius Magi scelere, & impietate Diuus Gregorius ita confert, vt Simoniacã prauitatem siue in Imperatore Mauritio, siue in quouis alio Rege acriter accuset, & tyrannidem illius grauissima oratione reprehendat. *Huius*, inquit, *erroris vesania concitauit aduersus Ecclesiam Dei Regiam, si fas est dicere, potestatem: qui turpissimi lucri cupiditate illectus Ecclesiam Christi, quàm Saluator noster voluit esse liberã, potestatis Regiæ iura transcendẽs facere conatur ancillã. Quanto melius foret sibi dominam suã cognoscere.* Et post pauca. *In tantum autem suæ temeritatẽ extendit vesaniæ, vt caput omniũ Ecclesiarũ Romanam Ecclesiam sibi vẽdicet, & in Domina Gentiũ terrenæ vis potestatis vsurpet?* Quam igitur futilem, atq. vanam ex quorundam Imperatorum audacia, & temeritate argumenti rationem aduersarij nostri depromant, quis iam vel propriis non intuebitur oculis? Quis, licet parum sit in Ecclesiæ Annalibus tritus, si illa argumenta, quibus tanquam firmissimis Caluinus, & illius asseclæ, & alumni moderandi Concilia authoritatẽ Imperatoribus deferendam suadere moliuntur, æquè perpendat, non statim agnoscat manifestè non tam ab illis Pontificiam dignitatem euersam, vel minutam, quàm eorũ valdè amplificatam imperitiam? An etiam est, qui nesciat Athanasium (quamuis Concilij Nicæni statum

Greg. in ps. 4. pœnit.

doctri-

doctrina, & studio mirum in modum ille illustrauerit) cū nondum ad Episcopatus dignitatem assumptus, sed Diaconus adhuc esset, & Episcopo Alexandriæ ad Conciliū proficiscenti comitatum præbuisset, neque Concilij actis subscripsisse, neque cum Patribus Concilij connumeratum fuisse? Audacter tamen, & temerè aduersarij nobis obiiciunt ipsum quidem in Concilio præsedisse, & Romani Pōtificis legatos in quartum locum reiectos fuisse. Quid rursus ipsi aduersus Orthodoxam sententiam ex Ephesina Synodo euincere queant, in qua nihil non scelaratè atque sacrilegè à Dioscoro actum est, lector candidus videat. Denique cùm Prouincialibus Synodis præesse Metropolitanorum proprium sit, quid est, quòd Carthaginensem, & Aquiliensem Synodos, ad quas Romani Pontifices ob id solùm, quòd Prouinciales essent, legatos suos nequaquam mittendos existimauerunt, tanta audacia, & insolentia illis, quos pellicere moliuntur, inculcāt, &, quasi iam causam vicerint, toties nobis obiiciūt? Quid, quòd Summam Pontificiæ dignitatis amplitudinem, sublime munus, & eximiam Apostolicæ Sedis potestatē, quam nullis fraudibus, cauillationibus nullis, nullisq. incursibus potuisse labefactari cōspiciunt, etiā ab ipsius Ecclesiæ primordiis, ab antiquis hæreticis petitam, oppugnare denuò adoriuntur; neque agnoscunt eò magis illā amplificari, quò crebrius quatitur, grauiusque premitur? Certè si ad eam, quam toties Apostolica Sedes de hostibus victoriam reportauit, nostri temporis hæretici, vel paulisper, animum à rerum abiectarum curis liberum aduertissent: quàm illius dignitas, & authoritas firmo nitatur fundamento, quàm etiam ridicula, & futilia sint omnia, quæ ad illam prosternendam, vel saltem minuendam excogitantur argumenta, vel ab impiis hominibus finguntur mendacia, manifestè intellexissent. Interim ad sacrorum Conciliorum authoritatem, & in ijs definiendis, quæ ad Fidem, & Religionem spectant, inconcussam

certi-

certitudinem demonſtrandam accedamus.

CAP. III. SI nobis firmam, & ab omni errore immunem Oecumenici Concilij authoritatem demõſtraturis lis cum Catholicis habenda eſſet, vt cum hæreticis certare compellimur, multis profectò ex Diuinis oraculis, atque etiam ex Sanctorum Patrum doctrina depromptis rationibus ſuperſedendum foret. Sacrorum enim Conciliorum dignitas, amplitudo, & authoritas ita firmiter ex ijs, quæ à nobis dicta ſunt, colligi poteſt, vt illam inficiari peruicacis potius animi, quàm docilis ingenij eſſe videatur. Sed, cùm ſit nobis prælium cum illis ineundum, qui ab initio naſcentis Eccleſiæ, in Sacra Oecumenica Concilia inflammato odio, authoritatem illorum oppugnare, & funditus euertere moliuntur, longiori certè oratione, quàm res; vt certiſſima, ita & manifeſtiſſima poſtulare mihi videbatur, vti maximè opus erit. Nam aduerſarij in exponendis Diuinis oraculis, & in omnium dogmatum ad Chriſtianam Religionem ſpectãtium aperienda veritate adeò ſui priuati Spiritus poteſtatem amplificant, & tuentur, vt pro illius defenſione, tanquam pro aris, & focis, arma ſuſcipiant: & ad hoc probandum Lutherus longam præfationem aſſertionibus contra Leonem Decimum pręmiſit. Illum Brentius ſequutus ſua quoque prolegomena contra Petrum à Soto, virum doctiſſimum, & maximè pium de hoc vno ferè argumento conſtituit. Melanchthon, & Muſculus in ſuis locis communibus, Magdeburgenſes etiã paſſim centuria prima, & ſecunda hoc argumentum diligenter pertractant, tanquam totius ſuæ diſciplinæ fundamentum præcipuum.

Lutherus, ne totum pectoris ſui venenum in primo cõgreſſu effunderet, primùm Scholaſticos Doctores, & Scriptores reiecit, atque vnicum Concilium Conſtãtienſe improbauit. Non ſemel enim ab Scholaſticis Doctoribus ad Eccleſiaſticos Patres, & ad Summorum Pontificum decreta, & ſanctiones prouocauit. Cùm tamen paulòpoſt

doctri-

doctrinæ suæ fucos, & fallacias omnes à sanctissimis viris Summorum Pontificum decretis, & sententiis aperiri, & confutari manifestè conspexisset, illos etiam explosit: seque nullius Sancti Patris authoritate cogi velle, nisi quatenus Diuinæ Scripturæ iudicio esset approbatus, scelestus, & nefarius homo testatus est. Posteà tandem Patres omnes repulit, dicens eos vel ex infirmitate carnis lapsos fuisse, & alieno animo scripsisse, & aliter sensisse, quàm scripserunt: vel ad finem vitæ resipuisse, vel denique sub illis seruasse sibi Deum Ecclesiam; licèt illi vera Ecclesia non essent, sed alij essent, qui non dicerentur Ecclesia Dei. Decretales quoque sanctiones, & vniuersos Sacros Canones publico etiam incendio de medio sustulit, & eos sacrilega quadam temeritate impios, & Christi aduersarios vocauit. Cuius vestigia alij quoque sequuti non solùm Constantiense, sed etiam alia omnia Concilia, tantum primis quatuor, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi exceptis, in dogmatum iudicio audacter repudiarunt. Neque verò in hac sententia diu perstiterũt: sed paulò post illa quoque cum aliis miserè, fœdeq. proculcarunt: Ariumque, qui quondam Nicæni Concilij authoritatem negauit, & Dioscorũ qui Chalcedonense turpiter errasse asseruit, imitati, errores aliquos inesse in Concilio Nicæno primo, & Chalcedonensi temerè affirmarunt, & conuitiis persequuti sunt. Vnde nullam fidem Sacris Ecclesiasticis Concilijs adhibendam esse posteris persuadere tentarunt. Eò denique furoris, & audaciæ Lutherus euasit, vt ab initio surgentis Ecclesiæ Concilia omnia quàm multis erroribus respersa esse dixerit: Sacrosanctum etiam Hierosolymitanum Concilium sub Beato Petro Apostolorum facilè Principe collectum (ex quo celebrandorum Conciliorum norma educta est) quòd opera ad salutem prorsus necessaria definierit, & legem de abstinentia à sanguine, & suffocato sanxerit, ab Euangelica veritate recessisse insanus homo proclamarit.

Vt igitur omnium illorum impietatem, qui Ecclesiasticorum Conciliorum authoritatem aut proculcarunt, aut dignitatem, & firmitudinem negare ausi sunt, execrabilem esse ostendamus, totam Sacram Paginam, atque Sanctorum Patrum volumina diligenti animaduersione recolere, & summo studio consulere maximè opus esse duxi. Vndique verò communita, & suffulta Catholica veritate, subdolas aduersariorum omnium, qui iam, quasi facto agmine, in nos irruerunt, fraudes detegere, calumnias euertere, & machinas labefactare, & vires deprimere Cōciliorum Sacrorum dignitas, & amplitudo, atque semper inuicta authoritas per se ipsa facilè valebit.

Iam vt rectè rem omnem definire aggrediamur, vniuersalia, vel, vt Diuus Pater Augustinus ait, plenaria Concilia, quæ ex Orbe vniuerso Christiano fiunt, in definiendis ijs, quæ ad fidem, & Religionem nostram maximè pertinent, in tradenda etiam vniuersali Ecclesiæ morum doctrina, si illis capitis, hoc est, Romani Pontificis accedat authoritas, nequaquam à veritate declinare possunt; idq. Catholica fide tenendum, & asserendum est. Plenaria verò, siue Generalia Cōcilia dicimus, non quòd ex vniuersis Prouinciis Christianis omnes Episcopi necessariò sint colligendi, & nisi in vnum coeant, Generale Concilium dici non possit: sed quia ex vniuersis Regionibus interesse possunt, & debent, nisi legitimè impediantur, quotquot in vniuerso Orbe Episcopi sint: vel quia ex plerisque Prouinciis, & multò maiori, atque celebriori parte Orbis Christiani plures Antistites ad huiusmodi Concilia, quibus nemo, nisi Summus Pontifex, vel ipse, vel per Legatos suos rectè præsidet, conuenire soleant. Idque vel ex eo maximè constare poterit, quòd etiam in primo illo Nicææ habito Concilio paucissimi ex Occidentalibus Episcopi adfueruut. Ex Italia enim Presbyteros duos, ex Gallia Antistitem vnum, alterum etiam ex Hispania, neq. ex Africa plures, quàm vnum celeberrimum illud Concilium vidit.

Con-

Constantinopolitanum etiam Concilium primū, quod aduersus Macedonium, qui Spiritus Sancti diuinitatem aspernabatur, & obfirmato animo negabat, Theodosio Seniore Imperium gerente, & Damaso Pontifice Maximo, collectum est, nullus ex Occidentis Prouinciis præsentibus Episcopis celebratum fuit. Nam cùm Damasus Pontifex Romanus ex vniuerso terrarum Orbe plenissimum Concilium habere constituisset, & Occidentales Episcopos collegisset, Orientales etiam inuitasset, qui interesse nequiuerunt, quod hi Constantinopoli celebrarunt Concilium (quoniam ab ea, quæ in Nicæno canonis præscripto definita, & tradita fuerat, fidei nostræ norma minimè dissentire videretur) non solùm approbauit: verumetiam voluit, vt inter Oecumenica annumeraretur, & quasi ex duobus Romæ, & Constantinopoli celebratis Conciliis vnum coalesceret. Adeò vna eademq. fidei norma vtriusque Concilij Patribus placuit. Atque hoc Concilium inter Oecumenica secundam sedem semper obtinuit. Accersiuit ergo Summus Pōtifex, tanquàm propria Ecclesiæ membra Orientales Episcopos, vt omnes simul in plenario Concilio fidei dogmata definirent, & statum rerum Ecclesiasticarum ritè ordinarent: Verùm adeò tempestatibus vndique fuerant iactati, & ita variis afflictationum generibus torti, (alij enim exilium, alij vincula, & omnium bonorum suorum direptionem, de gradu, & dignitate sua deturbati, alij verò acerbissimam mortem perpessi fuerant) vt sibi longo tempore, & multo labore ad Ecclesiarum emendationem opus esse visum fuerit: vt earum corpus, tanquam diuturno morbo vexatum, recreantes, adhibitis curationibus, ad pristinam pietatis sanitatē reuocarent. Nam etsi videbantur persequutionis acerbitete penitus liberati, & Ecclesias diu ab hæreticis occupatas recuperasse: lupi tamen permultum illis negotij facessebant: & tanquam ab ouilibus expulsi seditiones populi concitare non cessabant. Nihil denique prætermittebant,

Theodoretus lib. 5. histor. ca. 9. & 10.

bant, quod Ecclesiis quicquam afferre posset incommodi. Quarè cum pernecessarium fuisset, vt in rebus suis constituendis multum temporis Patres collocarent, & iam Cōstantinopolim versus viam ingressuri neque longiore itinere opus esse existimassent, neque de vllo alio certiores essent facti ante quàm Constantinopoli in vnum conuentum foret, & temporis præstituti angustiæ ad lōgiùs iter parandum, vel ad Episcopos, qui eiusdem cum ipsis erant cōmunionis, in singulis Prouincijs commonefaciendos de hac re satis spatij minimè concessissent, cōsultò miserunt Romam Ciriacum, Eusebium, & Priscianum Episcopos, qui apud Romanam Synodum Constantinopolitani Cōcilij legatione fungerentur; sibique fidei normam à Sanctissimo Oecumenico Concilio Nicææ celebrato Sacrosanctam semper futuram esse testarentur. Eorum excusationem & Damasus Pontifex Romanus, & omnes, qui Romæ collecti fuerant, Episcopi ex Occidente Iure optimo iustam adeò iudicarunt, vt verè Oecumenicum, quod Constantinopoli illi celebrauerant, Concilium dixerint; duasque Synodos illas Romanam, & Constantinopolitanam ita coniunxerint, animis, ac sententiis idem prorsus statuentes, vt vna ex duabus conflata esse visa sit.

Socr. li. 7. c. 33. Euag. li. 1. c. 4. & ipsa Synodus nuper ex Græco in Latinum versa.

Primum etiam, quod Ephesi habitum est, Concilium, quodq. inter Oecumenica tertiū est, in quo Nestorius atq. eius nefariū dogma damnatum fuit, ex Occidente nullos habuit Episcopos. Par tamen cum Orientaliū & Occidentaliū fuerit sentētia, nemo vnquā Oecumenicū illud fuisse inficiari ausus est: Damasus Summus Pontifex Episcoporum, qui tunc temporis Romæ coierant, vnanimi assensione, & propria muneris sui authoritate illud approbauit, & cum Oecumenicis annumerari voluit. Præterea Chalcedonensi Synodo, quæ vt Eutychetis Archimandritæ, qui vnam in Christo tantùm naturam asseruit post incarnationem fuisse, temeritatem frænaret, & insani hominis insolentiam, atque inauditam insaniam coerceret,

illiusque

illiusque denique execrabilem hæresim extirparet, collecta est, ex Occidente solùm Leonis Romani Pontificis, huius nominis primi, legati leguntur interfuisse. Quia tamen Hispaniæ, Galliæ, & Italiæ Antistites, qui Prouincialia Concilia celebrauerant, Leonis sentētiæ subscripserūt, quasi ex Orbe vniuerso conflata cõmuni omniū assensione quartum locum obtinuit; & à prædicto Leone Oecumenica est appellata: quòd animis, atq. sententiis omniū Episcoporū totius Orbis Christiani fulta videbatur.

Simili etiam modo Synodis Occidentalibus ex Oriente pauci admodum subscripserunt Episcopi: nam & paucissimos illis interfuisse legimus. Eiusmodi extiterunt Lateranensis quarta, quæ Generalium decima est, Innocentio Tertio Christi Vicario, & Federico Secundo Imperatore, ad extirpationem plurimarum hæreseon, & ad Principum Christianorum vnionem pro recuperanda terra sancta congregata, & celebrata: & Lugduni contra errorem Græcorum, Gregorio Decimo, qui Christi vices in terris gerebat, Pontifice maximo, & Rodulpho Imperium moderante collecta Synodus, inter Generales decima quarta: & Viennensis contra maximam hęreseon colluuionem, Clemente Quinto, & Henrico Septimo, inita inter Oecumenicas decimū quintum locum tenet: quibus sanè, quemadmodum celeberrimo etiam, ac sanctissimo Concilio Tridentino nostris temporibus absoluto, paucissimi Orientales Episcopi interfuerunt. Liquet ergò non omnium Episcoporum totius Orbis Christiani accessum, & præsentiam ad Generale Concilium necessariò requiri: sed vt vniuersi Orbis Antistites interesse possint, atque, nisi iusta absentiæ causa subsit, adesse teneantur: vt deniq. solus Romanus Pontifex Christi Vicarius, vel qui personam illius gerat, Concilio præsit.

Iam igitur, vt (quod initio demonstrandum proposuimus) quàm perperam, & nullo quidem iure, summo tamē, & inueterato in Catholicam Ecclesiam odio Conciliorum

ciliorum etiam Generalium, & antiquissimorum perspicuam, & perillustrem authoritatem nō extenuare solùm, sed etiam omnibus modis eneruare, atque è medio tollere moliantur ij, qui Christi faciem maculare, authoritatem conuellere, & splendorem obscurare totis contendũt viribus, (nullibi enim illa magis, quàm in Generalibus Concilijs elucet, & viget) ita dilucidè ostendamus, & aduersarijs intuendum obijciamus, vt, velint, nolint, thesis nostræ veritatem agnoscant, ad illius probationem, & cõfirmationem fœliciter accingamur.

CAP. IV. SAnè, vt hinc dicendi exordium capiamus, Christus Dominus ad Patrem profecturus discipulis suis præcepit, vt in vniuersum Orbẽ pergerent: & Gentibus Euangelium annunciarent; atque homines Sacro Fonte abluerent, &, quæ ad salutem maximè necessaria acceperant, illis fideliter traderent. *Et ecce ego*, inquit ille, *vobiscum sum vsque ad consumationem sæculi.* Ex his sic rectè colligere mihi videor. Vniuersam docendi rationem, & quicquid in ea est amplissimum si exactè consideremus, certè in Doctoris munere nihil vel maius, vel difficilius, vel augustius esse reperiemus, quàm quæ obscura sunt, aperire, quæ inuoluta, explicare, dubia illustrare, controuersas quæstiones dirimere, & quid posteritati amplectendum, Sacrosanctumque sit futurum, liquidò demonstrare. In his ergò cùm Oecumenica Concilia potissimum versentur, & Præsulum (qui docendi munus cum dono Charismatis acceperunt, & nobis in Christi locum dati sunt) suffragiis omnia illa definiri, & concludi debeant, inficiandum profectò non est ipsa eiusdem Christi præsentia, fauore, numine, & institutione fulta esse, cùm de abolendis erroribus, & de vera, atque integra fidei Religionis Christianæ instituenda norma tractatur. Nam licet quiuis Episcoporum, & Ecclesiarum Pręsulum (vnum tamẽ Romanũ Pontificem, omnium caput, & Principem Summum excipimus, qui quò perfectius Christi personam gerit, eò abundantius

Ioan. c. 28.

cæle-

cæleſtium donorum particeps efficitur: quippè cuius fide noſtra contineatur, & ex cuius authoritate omnium noſtrum ſalus pendeat) dum Diuina interpretatur oracula, & de ſupernis rebus diſſerit, & magna Religionis noſtræ myſteria aperire, quæque humanum captum excedunt, explicare, & explicata tradere conatur, falli plerunque poſſit: cùm tamen ritè, & legitimè omnes in vnum coeunt, vt Religionis noſtræ negotia expediant, maximè opus eſt eos ampliſſimis illis beneficiis perfrui, quæ Eccleſiæ promiſſa eſſe textus Euangelicus demonſtrat: quibus ipſorum mentes ab omni errorum labe, & contagione liberæ conſeruentur: ne Chriſtum aut promiſſis ſuis minimè ſtetiſſe, aut ſuis non rectè conſuluiſſe fœdè, & turpiter cogamur fateri. Quare propter fidei in deficientem veritatem, quæ in ſola Eccleſia reperitur, Diuus Ioannes in Apocalypſi eam à ſe viſam teſtatur Sole amictam, & Lunam eius pedibus ſuppoſitam. Vnde eleganter Gregorius Magnus, *Sancta*, inquit, *Eccleſia, quia ſempiterno lumine ſemper protegitur, quaſi Sole veſtitur. Quia verò cuncta temporalia deſpicit, Lunam ſub pedibus premit.* Quòd ſi in Conciliis Patres nihil ex ſe, ſed totum ex Deo, & ex ſpritu veritatis loquuntur, neceſſariò eorum doctrinam certam, & ſolidæ veritati innixam conuincimus: quippe qui ipſo Deo, ſeu illius verbo, ac diuino admonitu pro magiſtro vtuntur. A principio enim mouente efficaciter actio, non niſi efficax, producitur: & à principio certo, & indubitabili non niſi doctrina certa, & indubitabilis naſcitur. Aſumpſit autem Deus Magiſtros, & Principes Eccleſiæ non ſolùm in veridicos teſtes, ſed etiam in veritatis præcones: qui Spiritus Sancti afflatu corroborati à vero in dicẽdo nunquam poſſint aberrare. Ex eo enim, quòd Chriſtus ſpiritum veritatis, & perpetuam illius præſentiam diſcipulis ſuis promiſit, dicens, *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis: quem mundus non poteſt accipere: quia non videt eum, nec ſcit*

Lib. 4. mor. cap. 7.

Ioan. c. 14.

eum

eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit, manifestissimè ostendit apud Ecclesiæ Magistros spiritum veritatis mansurum, non in mundo, hoc est, non in illis, qui humano captu diuina, & abscondita mysteria explorare nituntur. Quod proculdubiò philosophis, & hæreticis, qui, vt inquit Prosper, semetipsis ducibus vtuntur, familiare vitium est. Quid verò spiritus ille veritatis præstiturus sit, mox idem Christus declarauit. *Ioan. c. 14.* *Ille vos*, inquit, *docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis*. Si ergo Spiritus Sanctus omnia docet, & suggerit, ac obliuioni tradita in memoriam reuocat, dubitandum profectò non erit Ecclesiasticorum Conciliorum, quæ dicuntur Oecumenica decreta ab Spiritu Sancto instituta & profecta esse: quippe qui illorum mentes instruit, à quibus illa condita & statuta sunt.

Quamobrem licet Conciliorum Patres homines esse meminerim, humanum autem nihil ab illis alienum putent, & eos varijs cupiditatibus, & animi perturbationibus posse distineri, atque sanctissimi muneris nonnunquam oblitos prauis affectionibus inseruire: tamen cùm non ex deprauatis illis animorum motibus, sed ex officij ratione res omnes concludant, & ad veritatem inueniendam sic animum appellant, vt secundùm pristinum Ecclesiæ morem, & statuta, atque veterem Synodorum consuetudinem eam inquirant, non possunt profectò in caussæ totius Christianæ Reipub. discussione diuinis illis præsidijs carere, quæ Ecclesiæ suæ ad communem vtilitatem Christus Redemptor noster concessit. Quemadmodum enim admirandus ille spiritus veritatis ita Mosem instituit, vt, cùm prius ipse Moses de Dei bonitate abiectius quàm par erat, sentire, & de illius promissionibus subdubitare visus fuerit, diuinorum tamen Conciliorum eum præstantissimum interpretem reddiderit: & vt Ionas à Deo profugus, cuius imperio parere recusauerat, eodem diuino spiritu impulsus Niniuitarum Propheta constitu-

tus

tus est; & vt Rex Dauid, qui libidini potiùs, quàm Dei spiritui voluit aliquandò obedire, atque humanum, diuinũq. ius violare ausus est, paulòpost amplissima de Christo mysteria diuino numine afflatus aperuit nobis: ita certè mirum nõ est eos, qui, dum rationibus priuatis consulunt, & prauis impelluntur affectibus, à diuino spiritu meritò deserti à veritate aberrant, & præcipites in grauissimos labuntur errores, posteà cùm non priuatam, sed Ecclesiæ personam induunt, & non, vt propriis prouideant negotijs, prauis impulsi affectionibus, sed vt totius Orbis causæ incumbant, in vnum conueniunt, cælestis numinis rore, & Spiritus Sancti afflatu perfundi: quo instaurati latentem veritatem indagent, & inuentam alijs ostendant: &, quid sequendum sit, certissimo iudicio decernant. Hoc enim Salomonis illa sententia elegantissimè sonare mihi videtur, *Sicut diuisiones aquarum*, inquit ille, *ita cor Regis in manu Dei*. Hoc est, sicut vim aquarum industria *Pro. c. 25.* olitoris ita comprimit, vt non qua earum fert impetus, sed qua olerum necessitas, & hortorum situs, dispositioque arborum postulat, suaui, lenique modo deducat: ita profectò Principum corda omnipotens, & maximè pius Deus vel efferata, indomitaq. flectit, & salutaribus consilijs informat, vel ea ignorantiæ nebula obuoluta singulari instruit sapientia: vt non rapido quodam vortice, qua immoderatarum cupiditatum, & terrenarum affectionum conditio, naturaque impellit, sed, qua Reipub. Christianæ status, & necessitas postulat, & communi vtilitati expedit, suaui quadam aura, & diuino quodam afflatu agat. Vnde in primo, atque omnium celeberrimo Hierosolymis habito Concilio vnà cum Petro (cuius curæ omnium, salus credita fuerat) dum canonis præscripto Apostoli statuissent Gentes ad Legalium obseruationem cogendas non esse, confidenter sic ipsi exorsi fuerunt: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*. Ex quo loco non *Act. c. 15.* immeritò certè omnes antiqui Patres Generalium Con-

ciliorum authoritatem, & omninò stabilem veritatem demonstrare conati sunt. Nam si eximius ille veritatis spiritus primo Concilio affuit: Apostolos, & Presbyteros, quòd ita Ecclesiæ expediret, instruxit: & in veritate confirmauit, ne à vero deflecterent: cùm inde omnis celebrandorum Conciliorum norma educta sit, & in Concilijs Patres vniuerso fidelium cætui credendi, & operandi regulam præscribant, atque vniuersali Ecclesiæ causæ sedulam nauent operam (cuius saluti authoritate muneris sui prouidere maximè tenentur) dubitãdum non est, quin eodem spiritu moderatore corda eorum gubernentur. Atque ob id profectò Conciliorum canones, quos ille diuinitus dictat, ipsi tribui oportet.

Hoc etiam singulare illud, quo aduersus Ecclesiam suá inferorum portas non præualituras, hoc est, vniuersum Satanæ robur, bellicosque apparatus omnes Christus Iesus promisit, priuilegium probat, & confirmat. *Super hanc petram*, inquit Dominus, *ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* (*Matth. c. 16.*) Quasi diceret, illam ego mihi Ecclesiam struam, illudque fundamentum iaciam, ita firmum, & immobile, quod nulla vel tempestate, vel impetu, vel casu aliquo è loco vnquam dimoueri, aut euerti possit. Illius quoque structuræ angulos omnes ita muniam, vt maxima illa cacodæmonum vis, quæ singulorum mortalium fidem, & pietatem quatere potest, totius Ecclesiæ firmitudinem, & stabilitatem nequeat minuere, ne dum funditus euertere. Cùm ergo à Generalibus Concilijs ritè, legitimeque congregatis vniuersalem Ecclesiam repræsentari demonstrauerimus, eundem profectò cælestem spiritum, diuinumque afflatum illis præsentem esse, qui ea moderetur, dirigat, & instruat, atque Catholica veritate confirmet, fideique explanationes ab ipsis productas esse, veluti cælestia oracula, quippe quæ in aperiendis mysterijs falli minimè possint, necessariò concludimus. (*1. ad Tim. c. 3.*) Vnde cùm à Paulo Ecclesia Dei viui co-

lumna

lumna nuncupatur, & firmamentum veritatis dicitur, & fideles omnes Ecclesiæ magisterio, tanquam immobili, & firmæ columnæ, securè inniti, candidè obedire, & acquiescere debeant, Conciliorum authoritatem, & certam omninò veritatem ita diludicè ostendimus, vt à nullo, si verum amplectatur, possit vnquam negari. Ipsa namque Ecclesia in Magistris, & Pastoribus suis firmamentum appellatur, & quidem, vt suo loco latius disseruimus, firmissimum.

NEque verò morum doctrinam à Patribus in Oecumenicis Concilijs traditam minus certam, & firmã, quàm fidei regulam ab ipsis præscriptam nostra sacrosancta Religio fideliter & rectè docet. Illam autem moralem doctrinam intelligimus in Concilijs, Spiritu Sancto dictante, tradi: quæ circa vniuersalis Ecclesiæ mores ad animorum salutem, & cælestis, beatæque vitæ consequutionem maximè spectantes versari videbitur. Nam Christus Iesus Petro dixit: *Pasce oues meas*. Et Paulus datos quidem à Deo *quosdam Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, & ædificationis corporis Christi* prudenter obseruauit, & sapienter tradidit. Quod ita intelligendum est, vt, his Doctoribus, & Pastoribus ministerio suo rectè, & pro dignitate perfunctis, omnes, qui ad sanctitatem colendam vocati sunt, perfecti & omni ex parte absoluti reddantur, nihilque illis ad Iustitiæ, & sanctitatis officia præstanda deesse vnquam posse videatur. Erit autem duratura admirabilis hæc munerum functio, *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*. Moralis igitur doctrina cùm ad Christi ouium salutare pabulum non minus, quàm fidei disciplina, exigatur: profectò eodem diuino spiritu quo Oecumenica Concilia arcana explanant mysteria, & fidei nostræ obscura dogmata explicant, ab illis mo-

CAP. V.

Ioan. c. vlt.

Ephes. c. 4.

Ephe. c. 4.

ærum efformationem legis sanctione vniuersæ Ecclesiæ præscribi, atque vera firmitate, & firma veritate vtriusque generis decreta constitui strenuè asserendum est. Quomodò enim Pauli sententiam veram esse cognoscere poterimus, si Pastorum, & Doctorum cætus amplissimus in rebus ad fœlicissimam illam cum Christo coniunctionem assequendam necessarijs tantoperè cæcutiat, vt, quæ necessaria sint, non videat, & mortifera pro salutaribus tradat? Quomodò felicitatis æternæ illi nobis aditum aperient? Quomodò ad Euangelicam perfectionem nobis duces erunt, & salutis viam præmonstrabunt, qui iter non teneant? Quomodò animorum morbis medebuntur, qui à salutaribus obnoxia secernere nesciant, & inutilia pro vtilibus admoueant, & porrigant? Si præterea Pastores, & Doctores Ecclesiæ in vnum coacti, cùm Ecclesiæ nomen, & personam sustinent, legis præscripto aliquid tradere fidelium cętui possent, quod Euangelicæ doctrinæ, & rectæ rationi contrarium esset, profectò defectus iste Christo imputaretur: quasi minus cautè Ecclesiæ suæ commodo, & saluti prouiderit, dum illorum nos mandatis obstrictos teneret, quos vnà nobiscum in errores præcipites labi sineret. Itaque, cùm Ecclesia erroris, & lapsus tam in fidei, quàm morum doctrina immunis sit, atque expers semper permaneat, Concilia Oecumenica, quæ in vniuersalis Ecclesiæ authoritate resident, veritatis vinculo nullo modò dissolui poterunt. Tanta est autem Ecclesiæ firmitudo, ita in omni veritate, quæ ad Deum cognoscendum, & amandum pertinet, fundata, & stabilita est, vt ipsa fidei, atque veritatis fundamentum meritò, atque optimo iure dicatur: cùm Spiritus Sanctus in ea habitet in æternum, cuius numine illa affatim plena sine erroris formidine loquitur, &, ipso suggerente, quæ vera sunt, docet: & ipso denique moderante, & impellente, quicquid præcipit, & præscribit, in eo neque labi, neque suos præcipites dare potest. Atque hoc ita

verum

verum est, vt non magis Ecclesiæ Dei in docenda veritate certissima claritas deesse posit, quàm à Sole lumen, vel ab aqua humor insitus abesse queat.

Iam si ad illud, quod ex aduersariorum sententia sequeretur, mentem adiungamus, nihil illo vel absurdius, vel Christianæ Reipub. perniciosius fingi, excogitariuè posse rectè pronunciabimus. Nam si legitima Episcoporum, & Præpositorum Ecclesiarum collectio, quorum profectò est Religionis nostræ ambigua dogmata explicare, & fidei normam constituere, labi potest, & in tradendis fidei decretis, & difficillimis Religionis Christianæ quæstionibus dirimendis, à veritate valet aberrare, quæ, precor, est Ecclesiæ firmitudo? Quæ doctrinæ illius certitudo? Deus bone, quàm confusa omnia, quàm turbata, quanta caligine obuoluta redderentur? Ab Ecclesia in legitimo Pastorum cõuentu, qui sint Canonici libri, qui etiam apocryphi habendi, definitum est. Totam Sacram Paginam amplectendam, & summa obseruantia colendam, à qua vel latum vnguem deflectere impium est, Sancta proposuit Ecclesia, & primores, in quibus Ecclesiæ authoritas collocata est, legis præscripto, & sanctione nobis tradiderunt. At verò quæcunque, siue explicatè, siue implicitè, vt scholæ dicunt, in ea continentur, ad salutem, & Christianam Religionem potissimum spectant. Quòd si Ecclesia, cuius summa authoritas, in legitimo Episcoporum conuentu maximè recumbit, per Pastores, & Præfectos suos legitimè congregatos in rebus fidei definiendis, & in præscribenda doctrina morum à verò potest discedere potuit certè, dum statuit, & pronunciauit hanc, quam veneramur, Sacram Scripturam Diuinam esse, hallucinari, & à recta via longè declinare. Iam si hoc in dubium vertatur, qua firmitudine credere, profiterique poterimus omnia, quæ ad Catholicam, & Orthodoxam fidem, & Christianam Religionem attinent? Dubia certè omnia, incertaque manerent. Verùm cùm hac illatione nihil absurdius,

dius, nihil iniquius, nihil denique homine ſano indignius euinci poſſit, illa, vt execrabilis, & Catholicæ veritati prorſus aduerſaria, vndique repulſa, ac, tanquam nulla probatione, nulla Sacræ Paginæ authoritate, nulliſque Sanctorum Patrum ſententijs fulta, ſed omni auxiliari ope deſtituta è medio ſublata, quippè quæ ex propria imbecillitate viribus deficiat, Catholicorum ſententiam amplius corroboremus, & Conciliorum Generalium firmiſſimam certitudinem ex ijs, quibus illa nituntur, medijs demonſtremus.

Cùm iam ſatis conſtet, in quibus Eccleſiaſtica de fide iudicandi poteſtas ſita ſit, non abs re eſſe ducimus media illa oſtendere, quæ in cauſa Religionis noſtræ expendenda Epiſcopi in Concilijs potiſſimùm adhibere ſolent: & quibus (ſi muneris ſui poteſtate rectè vti, non autem incautè abuti velint) maximè inniti tenentur: cùm validiſſima, & certiſſima, & aduerſus omnes hæreticorum impetus fortiſſima ſint propugnacula. Neque enim ita in Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopis, & Paſtoribus, aut in ipſo Summo omnium Præſule, qui in terris Chriſti vices gerit, hæc de fide iudicandi poteſtas collocata eſt, vt in illius iudicio, & examine immediatè inſtruantur de omnibus, ſemperque edoceantur à Deo, quin vllam indagandæ veritati diligentiam adhibeant. Sed Spiritus Sancti afflatum temerè expectent, vel (quod deterius foret) priuatis animorũ iudicijs & ſententiis ea in re verſentur. Nam media illa, quibus hac in re Eccleſiæ Paſtores legitimè congregati vti deberent, illuſtria admodum, variaque ab eo, cuius erat rebus noſtris prouidè conſulere, cœlitus acceperunt. Quemadmodũ ergo Eccleſiæ Chriſti pulcherrimæ ſtructuræ, ſempiternæque durationi nihil vnquam aut aptius, aut vtilius excogitari potuit, quàm vnitatis fidei ſarta, & tecta conſeruatio, & ob id hæreticorum nomen execrabile ſemper odio habuit; ita profectò vt hæc vnitas ſalua ſemper conſiſteret per vniuerſum mundum validiſſimis

propu-

propugnaculis contra aduersariorum tormenta diuinitus omnipotens Dominus Ecclesiam suam communiuit, & prouidit, vt quoties in illius vnionem perfidi, & impij hæretici, & factiosi homines insurgerent, à veteranis, strenuisque militibus, hoc est, ab Ecclesiæ Principibus in vnũ collectis sub Romani Præsulis Petri successoris, & Christi Vicarij vexillo è finibus nostris propellerentur. Quorum cœtum, non immeritò aduersarij perhorrescunt, &, vel solo Oecumenici Concilij audito nomine, toti contremiscunt: quia illorum vires sæpissimè experti inuictissimos illos ab initio nascẽtis Ecclesiæ agnoscunt. Si enim Oecumenici Concilij certæ, & inconcussæ veritatis internam causam effectricem, illiusque rationem propriam inquiras, Spiritus Dei præsentiam esse inuenies: quod multis etiam rationibus nos comprobauimus. Quis ergò adeò insanus est, vel tanta elatus superbia, vt humani ingenij viribus Christi nauiculam, quanuis fluctibus vndiq. spumantis maris percussam, & inferorum procellis, & hæreticorum turbine iactatam submergendam vnquam credat, cùm Spiritus Sanctus illius clauum teneat, & à naufragio eam prorsus liberet? Promissum autem Ecclesiæ Pastoribus sub vno capite Christi Vicario collectis Spiritum Sanctum, qui illorum mentes illustret, & corda informet, atque omnem doceat veritatem, ex ipsius Christi sermone apertissimè ostendimus. Si verò externam, effectricem tamen, causam eiusdem à vero nunquam recedentis doctrinæ, & insuperabilis authoritatis ad quæstiones de fide dirimendas Episcopis à Christo, nõ singulis seorsum, sed omnibus simul collectis indultæ perconteris; vnum Summum Pontificem, qui Christi personam sustinet, proponimus. Singulis enim per Orbem Ecclesijs constituti sunt in ciuitatibus Presbyteri, & Episcopi, vt vni alicui, qui Christi vices gerat, vniuersi obediant. *Neque enim aliunde nata sunt schismata, & ortæ hæreses, quàm quod vni Sacerdoti Dei non obtemperatur*. Hæc Cyprianus. Et Christus Cyp. ep. 55. & 69.

Redem-

Redemptor noster, vt origo vnitatis ostenderetur, & vna Ecclesia, cui ille studiosè prouidet, monstraretur, vniuersis Apostolis, & toti Ecclesiæ vnum Petrum præfecit: vt schismatis tolleretur occasio, vt ait Hieronymus, atque ille tandem conuersus confirmaret fratres suos. Quæ verba idcircò à Christo dicta, vt in tota Ecclesia fides vna futura ostenderetur, prudenter obseruauit Diuus Thomas. Itaque cùm alibi, & etiam in principio, & progressu huius, cui operam nauamus, vtilissimæ disputationis actum sit de Spiritus Sancti præsentia Pastoribus Ecclesiarum promissa, neque vnquam legitimè coactis, &, vt muneris sui ratio postulabat, statuentibus denegata, deque eorundem Pastorum authoritate, fusius de Summo Pontifice, & de eius, quam in Concilia, & conuentus Episcoporum diffundit, authoritate tractaturi, nunc externa tantùm media, quibus in Concilijs Episcopi, & Ecclesiæ proceres vtuntur, breuiter expendamus.

Lib. contr. Iouin.

2.2.q.1.art. 10.

Et quidem vnum illud, quod nobiscū aduersarij agnoscunt in Sacrarum Scripturarum inexpugnabilibus testimonijs positum est. Agnoscunt, inquam, illi nobiscum Sacræ Paginæ authoritatem, à nobis tamen dissentientes, quomodò illa in medium probationis afferri debeat. Hoc est, quatenus verus, & genuinus Sacrosanctæ Scripturæ sensus v sui accommodari possit, longissimè à nobis discrepant. Nam præterquam quòd hæ noua dogmatizantes turbæ Sacrum ipsum Scripturarum Canonem temerè violarunt, veteres hæreticos sequutæ, qui rationibus humano ingenio comparatis, sicut cætera fidei, & Religionis dogmata, ita, & Scripturarum Canonem inquirere, & priuatis iudiciis oracula Diuina interpretari ausi sunt, Scripturas Sacras crudeliter dilacerarunt, & fœdè, atque turpiter polluerunt: eò etiam audaciæ, & insaniæ deuenerunt, vt Sacras Scripturas, vel admiserint, vel reiecerint, prout suis dogmatibus vel suffragari, vel repugnare visæ fuerint. Hinc alij ex veteris testamenti Canone libros,

bros, aliquos, alij verò alios reiiciũt, & inter apocryphos recensent. In reliquis autem multa cùm à Iudæis, tùm à Christianis corrupta, & falsò apposita fuisse inaudita quadam temeritate asserunt, & stolidè clamant. Noui etiam testamenti paginam non inquinarunt modò, sed etiam fœde inuerterunt. Hac tamen illi barbara, & inhumana audacia Sacrarum Scripturarum censores se se constituerunt: atque soli verbi Dei synceri professores, cultores, & vindices haberi pro viribus laborarunt: seque vniuersum Sacræ Paginæ volumen, & integrum corpus retinere, atque sacrosanctum habere ignaræ plebeculæ persuadere moliti sunt, & in dies etiam moliuntur. Nobis igitur, cùm Scripturæ Sacræ authoritatem tam prisci illi, quàm nostri temporis hæretici agnoscunt, assentiri primo intuitu videntur: verùm cùm priuata quadam luce, & vana persuasione, qua sibi quisque spiritum Dei vendicat, tum de Scriptura ipsa, tum de vero Scripturæ sensu, & genuina interpretatione quemlibet iudicare posse contendunt, à nostra profectò sententia, & à veritatis tramite longè aberrant. Ecclesiam enim, & quæ nunc est, & quæ ab initio fuit, Scripturæ Sacræ canonem cõsignare, & fidelibus posse tradere, cui & fidelium cœtus obtemperare oportet, Catholici omnes ex ipsa Catholicæ Ecclesiæ potestate, & authoritate in Diuinis Scripturis expressa manifestè euincunt. Ne quis tamen temerè, vel incautè aduersariorum argumentis deceptus Scripturæ Sacræ maiestate indignum prorsus esse existimet Ecclesiæ iudicio illius paginam summittere, diligenter animaduertatur, nõ de Diuina Scriptura quoad se ipsam, sed quo ad receptionem nostram, Catholicam assertionem intelligendam. Nam quòd ad ipsam Diuinã Scripturam attinet, cùm illa Deum habeat authorem, ab ipso etiam illud habeat, vt sacra, & diuina sit, maximè opus est. Et siue ab Ecclesia admittatur, siue non, semper tamen Sacra, semper Diuina, & ab ipso Deo profecta est. Non tamen

aliquis hinc audeat colligere Ecclesiam Catholicam posse vnquam scripturam illam, quæ verbum Dei sit, repudiare. Sed quemadmodum posterorum Ecclesia pleraque Religionis dogmata admisit, & in articulos fidei retulit: quæ à maioribus publicè, & explicatè non fuerant accepta; quæ nihilominus in se certissima semper, & verissima extiterunt: ita sanè potuit Ecclesia librum aliquem sacro codici non adiungere, quem posteà, Spiritu Sancto docente, admiserit: qui, vt Dei sapientiæ conuenire, & hominum saluti conducere videbat, paulatim, & veluti per gradus tam fidei dogmata, quàm Diuinæ Scripturæ canonem Ecclesiæ detexit: quæ diuersis etiam temporibus ab Ecclesia tradita & commendata sunt. Quamuis ergo scientiarum principia apud Philosophos, & communes animi conceptiones, siue axiomata probari non possint, & Diuinæ Scripturæ in doctrina Religionis principij locum teneant: illa tamen in eo, quod quid est, indemostrabilia cùm sint, propter nostram tarditatem à doctis interdum explicantur, & esse demonstrantur. Simili etiam modo Scripturæ Sacræ demonstrantur, non quid sunt, sed quia sunt, vt à nobis suscipiantut, non autem quòd in se ipsis sacræ, & diuinæ non subsistant. At ita scriptura in doctrina Religionis principium est, vt prius eo sit vox Ecclesiæ. Est enim scriptura vnum ex ijs, quæ fidei assensu cognoscuntur: Ecclesiam autem eorum, quæ creduntur, certissimam regulam esse diximus.

August. lib. de ver. relig. c. 31.

Quemadmodum ergo, vt inquit Diuus Augustinus, in humanis legibus vsu solet euenire, vt, quamuis de illis homines iudicent, cùm eas instituunt, tamen cùm fuerint institutæ, atque firmatæ, non liceat Iudici de ipsis, sed secundùm ipsas iudicare: ita certè antequam scripturæ reciperentur, de ipsis suscipiendis iudicabat Ecclesia, nō tanquam superior de inferiori: nam hoc longè absit: cùm & Deus per Ecclesiam iudicaret, non autem Ecclesia sine Deo, & iudicium illud propriè, &, vt ita loquar, formaliter

liter non Diuinam Scripturam, ſed nos ipſos reſpiceret. Poſtquam autem admiſſa eſt Sacra, & Diuina Scriptura, ſecundùm eam Eccleſia iudicat omnia illa, quæ per eam poſſunt iudicari. Cæterùm cùm diuina ſcriptura, niſi per verbum Dei non ſcriptum, certò cognoſci nequeat: profectò Catholica Eccleſia, hoc eſt, Epiſcopi, & Paſtores Eccleſiarum eo, quo diximus, modo in vnum collecti, à Spiritu Sancto ad docendum inſtructi, tum vt diuinam nobis proponeret ſcripturam, non quidem, vt illi authoritatem tribueret, (hanc enim ab ipſo Deo acceperat) ſed vt nos doceret illi authoritatem quàm maximam deferendam eſſe, tum vt ex Diuinis oraculis veram erueret Euangelicæ doctrinæ normam, & ad repellendas hæreſes arma ſubminiſtraret, & orthodoxam fidē ſtabiliret, cœlitus edocta in primis ad ipſius fidei certiſſimam, atque notiſſimam regulam, quæ ſtatim ab initio ab Apoſtolis promulgata, & diligentiſſimè commendata eſt, ad Apoſtolorum, & Patrum, atque ſanctiſsimorum virorum traditiones reſpicere conſueuit. Quod quidem illi ſacroſanctum ſemper futurum eſt.

CAP. VI.

AD hanc fidei regulam ſymbolum fidei potiſsimū ſpectare arbitror, ab ipſis Apoſtolis in vnum collectis effectum, non in charta, vt inquit Ambroſius, & atramento ſcriptum, ſed in cordibus fidelium (vt author eſt Hieronymus) inſcriptum: adeò vt Dominus noſter à nemine vtriuſque ſexus in Eccleſia illud ignorari voluerit: quod eleganter Leo Pontifex Romanus literis mandauit; Catholica verò Eccleſia adeò ſemper illud eſt venerata, vt in ſacroſanctis Conciliis Oecumenicis, quaſi baſis quædam & fundamentum totius ſtructuræ Eccleſiaſticæ, Symbolum Apoſtolorum conſueuerit primitus recitari: quod quàm ſyncerè & illibatè abſque aliqua alia additione Romana Eccleſia ſeruauerit, extat apùd Ruffinum locupletiſſimum teſtimonium. Quare Diuus Pater Auguſtinus, & ante eum Tertullianus Symbolum illud

Ambro. ſer. 38. Hierony. ad Pama. adu. errores Ioā. Hieroſoly. Leo ep. 13. ad Auguſt. Ruff. de expoſit. Sym. in præfat. Auguſt. in Enche. c. 56 & in lib. de velan. uirg.

non immeritò regulam fidei appellarunt. Quamuis si rem diligenter consideremus, regulam fidei latius patere, atque esse vltra Apostolorum Symbolum omnem eam doctrinam, quam illi Ecclesiæ tradiderunt, & quæ publicè in Ecclesia ab omnibus suscipitur, & pueris cum natu grandioribus communis perseueranter in Ecclesia tenenda est, si ab vnitate Ecclesiæ, & corporis Christi (vt rectè monet Augustinus) recedere nolumus, cuncti prorsus fatebimur. Hanc Paulus Romanis inculcasse, atque eius amplitudinem, & dignitatem maximè commendasse mihi videtur: cùm, ne quis plus sapiat, quàm oportet, sed ad sobrietatem, & sicut vnicuique Deus mensuram fidei diuisit, sapienter tradidit: ne, quod in humano corpore Natura valdè abhorret, in Ecclesiæ corpore membrorũ functiones commisceantur, & omnia simul in eandem operationem incumbant. Sumus autem multi vnum corpus in Christo, singuli verò, alter alterius membra, habentes donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis, differentes, siue prophetiam, idest, difficultatum interpretationem secundùm rationem fidei, hoc est, proportionem, siue regulam fidei. Idem Paulus ad Corinthios scribens, *Spem*, ait, *habentes crescentis fidei vestræ in vobis magnificari secundum regulam nostram in abundantia*. Hanc regulam Irenæus ordinem traditionis appellauit. *Si Apostoli*, ait ille, *non reliquissent nobis scripturas, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt his, quibus committebãt Ecclesias?* Hanc etiam Origenes Ecclesiasticam traditionem vocauit. *Cum multi sint*, inquit, *qui se putent sentire, quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant, seruetur verò Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in Ecclesia permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione*. Hanc Apostoli quantopere commendauerint, ex eo cognosci potest, quòd ipsemet Apostolus Paulus, etsi Euangelium suum neque ab homine acceperat, neque didicerat, sed per afflatum

August. ep. 57.
Rom. c. 12.
2. Cor. c. 10.
Iren. lib. 3. c. 4.
Orig. in proœm. libr. de principijs.
Ad Galat. c. 1.

flatum Ieſu Chriſti ſuſceperat, quo accepto, ſtatim in Arabiam profectus eſt, neque ad anteceſſores ſuos Apoſtolos perrexit, cùm tamen concionatoris munere iam functus eſſet, poſt quatuordecim annos Hieroſolymam venit ad eos, qui in Apoſtolatu ſeſe præceſſerant, Venit autem Spiritus ſancti admonitu, & contulit cum Apoſtolis Euangelium, quod Ethnicis annunciarat: ſeorſum tamen cum ijs, qui aliquid in ſe ſapientiæ habere videbantur: ne fortè concionandi laborem fruſtra ſuſcepiſſet. Nam, niſi iuxta communem, & acceptam fidei regulam docuiſſet Paulus, operam certè, & oleum perdidiſſet. Neque tamen illi, cum quibus Paulus de doctrina Euangelica communicauerat, aliquid eum, quod anteà ignorauiſſet, de nouo docuerunt: neque, ad docendum Euangelium, authoritatem, qua prius caruiſſet, ab illis accepit. In annũciatione enim Euangelij omnium extitit facilè Princeps: quoniam non, ſicut aliis, ſorte ei Prouincia obuenerat, vbi potiſſimùm munere ſuo fungeretur: ſed ab ipſo Deo Gentium Doctor, & Apoſtolus conſtitutus eſt, vt quocunq. ire poſſet doctrinam Chriſti annunciaturus, per Arabiam, Syriam, Macedoniam, Græciam, Italiam, Hiſpaniam, Illyricum: quò denique eum Spiritus Sancti afflatus duceret. Sicque cum maximo animarum lucro de Chriſto nõ minùs vtiles, quam elegantes habuit conciones: vbi nemo ante illum fidei fundamenta iecerat. *Prædicaui*, inquit ille, *Euangelium hoc: non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne fortè ſuper alienum fundamentum ædificarem: ſed ſicut ſcriptum eſt: Quibus non eſt annunciatum, de eo videbunt: &, qui non audierunt, de eo intelligent.* Quã ſortem præter poteſtatem Iuris Apoſtolici tunc ille nominatim ab ipſo Chriſto accepiſſe mihi videtur, quandò Spiritus Sanctus Doctoribus, & Prophetis Antiochenæ Eccleſiæ dixit: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam ad opus, ad quod aſſumpſi eos. Tunc enim, ieiunantes, & orantes, imponenteſque eis manus dimiſerunt illos. Et ipſi quidem miſſi ab Spiritu Sancto abierunt Seleuciam; & inde nauigauerunt Cyprum.* A qua die Paulus

Ad Gal. c. 2.

Rom. c. 15.

Act. c. 13.

Ethni-

Rom. c. 15. Ethnicis ad Christianam Religionem adducendis totum ita se dedit, vt ab Hierusalem per circuitum, sicut inquit ille, vsque ad Illyricum repleuerit Euangelium Christi. Non solùm enim eas, quæ in recta via sitæ erant, Gentes coluit: sed etiam in orbem circumiens Orientales, & Ponticas Regiones, atque Thraciam, eas doctrina repleuit. Quod tamen Pauli documentum non prius comprobassent Apostoli, quàm certiores facti essent illum secundùm Ad Gal. c. 2 communem fidei normam edoctum fuisse, &, quæ vera erant, Ethnicis tradidisse. *Cùm cognouissent,* inquit, *gratiam, quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes qui videbantur columnæ esse dexteras mihi et Barnabæ dederũt societatis.* Vnde rectè Tertul. li. 4. cont. Marci. Tertullianus, *Hierosolymam*, inquit, *ascendit ad cognoscendos Apostolos, & consultandos, ne fortè non secundùm illos credidisset: & non secundùm illos Euangelizaret. Denique vt cum authoribus contulit, & conuenit de regula fidei, dexteras miscuere.* Ex eo, vt author Aug. li. 28. cont. Faust. cap. 4. est Augustinus, meruit Paulus authoritatem publicam, & in acceptione omnium fidelium, quòd cognouerũt Apostoli eum annunciare, quod ipsi annunciabant, & in sua vnitate, & communione vitam agere. Quòd si ille non inuenisset in carne Apostolos, cum quibus communicando, Euangelium eiusdem societatis esse appareret, Ecclesia ei Hieron. epi. xi. inter ep. Augustini. omninò non crederet. Hinc Diuus Hieronymus, *Exposuit,* inquit, *Paulus Apostolus Euangelium, quod prædicabat inter Gentes, ostendens se non habuisse securitatem Euangelij prædicandi: nisi Petri, & qui cum eo erant, fuisset sententia corroboratum.* Inde à fidelibus ei sine scrupulo aliquo, vel labendi timore confidenter credebatur.

Hac igitur fidei, & Religionis Christianæ certissima ragula, atque vnica totius Ecclesiasticæ doctrinæ forma, à qua nec Diuo Paulo licuit vnquam recedere, Ecclesiarum Pastores, Episcopi, & Proceres in Oecumenicis Conciliis congregati firmissimè nituntur: & inde validissimũ ad quæuis dubia tollenda argumentum petunt. Quodque ab illa fidei regula aberrare comperiunt, illud certissimo

iudicio falsum pronunciant (deuiis enim gressibus à via sapientiæ, & recta Iustitiæ lege declinasse iudicatur, quicquid antiquæ Apostolorum traditioni dissentit) quod verò rectè conuenit, certum illud fidei dogma cunctis Religiosè amplectendum definiunt. Quare cùm ad dubium omne auferendum, ad fidei decreta sancienda, ad lites, & quæstiones de Religione exortas reprimendas Ecclesiarum Magistri ab Spiritu Sancto fideliter edocti illustrissimo hoc, & validissimo medio vtantur, qui fieri poterit, vt in fidei iudicio à vero aberrare possint? Paulus certè, postquam multis, atque diuersis rationibus à Natura, à Lege, & à Doctrina Euangelica petitis velandas esse mulieres manifestè ostendit, ad hanc tandem, quasi anchoram, & omnis tollendæ contentionis perfugium, recurrit. *Si quis autem*, inquit, *vult contentiosus esse, nos talem consuetudinẽ non habemus, neque Ecclesia Dei*. 1.Corin.c.2. Quo vtique Pauli exemplo, & singulari, præclaroque documento Sanctissimi viri optimè instructi, Augustinus Pelagianos, Cresconium, Donatistas; Hieronymus Luciferianos; Gregorius Naziãzenus, Athanasius, Irenæus, Origenes, omnes denique Prisci Patres hæreticos debellandos, & reprimendos, coercẽdosque sola Ecclesiasticæ traditionis authoritate rectissimè scribunt. Nam Diuus Pater Augustinus, hæresibus omnibus enumeratis, non aliter, quàm Ecclesiæ consuetudine in illas agendum docet. *Lib. ad quod vult Deum.* *Quid*, inquit, *contra ista sentiat Catholica Ecclesia, superfluò quæritur: cùm propter hoc scire sufficiat eam contra ista sentire, nec aliquid horum in fide quenquam recipere debere*. Quare Epiphanius speciem, seu formam Ecclesiæ dicit vim habere bituminis, fugantem horrenda, & perniciosa dogmata serpentinam formam præ se ferentia. *Epiph. hær. 75.* In huius rei figuram arcam olim extrinsecus, & intrinsecus oblitam fuisse commemorat. *Idem hær. 51.* Idem disputans contra Melchisedichianos traditiones Apostolorum, & successiones doctrinæ vocat terminos nobis positos. *Idem hær. 55.* Et contra Millenarios, *Qui volunt*, inquit, *transgredi terminos Sanctæ Dei Ecclesiæ*, *Idem hær. 77.*

&

& spem traditionis Propheticæ, & Apostolicæ, tum fidei, tum doctrinæ ab vno argumento exigui, ac breuis sermonis ad multa vaniloquia, & periculosas opiniones, & interminatas genealogias breui momento conuertuntur. Hinc Theodoretus de Nicæno Concilio dissetens, *Multis*, inquit, *ibi benè, & rectè, nonnullis perperam sentientibus, obtinuit illa, quæ tunc per vniuersum Orbem vicerat, ac diuulgata fuerat, fidei confessio*. Et Diuus Hieronymus disputans contra Luciferianos, *Poteram*, ait, *vniuersos propositionum tuarum riuulos vno Ecclesiæ Sole siccare*. Diuus Gregorius Nazianzenus etiã in eandem sententiã descendẽs, *Vt alia*, inquit, *præsidia omittamus, nobis sufficere debet, quòd abhorret hinc nostræ Ecclesiæ doctrina. Si enim*, ait Tertullianus, *constat id verius, quod prius, id prius, quod & ab initio, ab initio, quod ab Apostolis, pariter vtique constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus, quod lac à Paulo Corinthij hauserint: ad quam regulam Galatæ sint recorrecti; quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesij: quid etiam Romani de proximo sonent: quibus Euangelium, & Petrus, & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt:* Si cum his nostri temporis hæretici dogmata sua contulissent, profectò, nisi malitia sua eos excæcasset, ipsa meridiana luce clarius fuissent intuiti, quàm longè à vera Euangelij doctrina, cuius illi tamen se solos veros cultores vocant, aberrent. Non enim Apostolorum traditionibus, non Ecclesiæ inueterata consuetudine, non Patrum authoritate confirmatam doctrinam, sed nouam à se ipsis inuentam, ab humani ingenij imbecillitate rationibus petitis, multoque verborum fuco, & lenocinijs adumbratam, vt plebem illudant, vnquam tradere curarunt. Nam, si ad nouatores illos ex hæresi Pharisæorum oculos conuertamus, qui Gentes ad Christianam Religionem, nisi simul cum Euangelica Mosaicam legem obseruarent, admittendas negabãt, non aliã eorum lapsus causam reperiemus, quàm quòd absq. mandato Apostolico, absque authoritate maiorum, absque traditione, & doctrina Præpositorum Ecclesiæ ausi sint capitum suorũ

Theodor. in Phil. suo in vita B. Iacobi Nisibẽsis Episc.
Hieron. contra Lucif.
Greg. Naz. libr. 2. de theologia.
Tertul. cont. Marcio. li. 4

com-

commēta fidelibus obtrudere. *Quoniam audiuimus*, inquiunt Apostoli, *quòd quidam ex nobis exeuntes turbauerunt uos verbis, euertentes animas vestras, iubentes vos circuncidi, & seruare legem, quibus non mandauimus*. Cùm ergò Apostoli, quasi in ærarium amplum, in Ecclesiam contulerint omnia, quæ tam vera sunt, vt veriora esse non possint, cumquè tanta traditionum authoritate in Concilijs Præsules, & proceres Ecclesiarum, tanquam Diuino quodam subsidio fulti, ad definienda fidei dogmata accedant, de illorum certè iudicio in causa Religionis subdubitare nemini vnquàm impunè licuit. *Act.c. 15.*

CAP VII.

IAm verò Patrum, & Sanctissimorum virorum, qui ab Ecclesia recepti sunt, authoritatē in veritatis indagatione, & in fidei, atque Religionis nostræ dogmatibus cōstituendis, & comprobandis quis non extollet? Quis singulare quoddam, & veluti tutissimum præsidium esse inficiabitur? Quis eorum doctrinæ, & sapientiæ grauitatē, maiestatemque contemplabitur, qui eorundem authoritatem non suspiciat, non colat, non maximè veneretur? Ita certè Ecclesiastica Concilia in id semper diligentissimè incubuerunt, vt exortam controuersiam, & de fide excitatam quæstionem, qui in Ecclesia Episcopi, & Præfecti erant, prudenter ex Patrum sententijs diremerint: adeò, vt eorum doctrinam, & sententias Spiritus Sancti præsidijs cælitus munitas esse non, nisi execrabili quadā temeritate, negari possit. Nam cùm in Concilio Ephesino contra Nestorium coacto ad definitionem dogmatis ventum esset, hæc verba Episcopi pronunciarunt. *Sequentes itaque omnium Sanctorum Patrum confessiones, quas loquente in eis Spiritu Sancto, protulerunt, & intentioni eorum æquis vestigijs inhærentes profitemur. &c.* Idcircò & Augustinus contra Iulianum, & Theodoretus contra Apollinaristas (vt cæteros prætercam) præcedentium Patrum sententias, & doctrinam quam sæpissimè citant, & eorum authoritate valdè hæreticos vrgent: quòd magna Orbis terrarum lumina

In epi. Syn. Ephes.
Aug li. 1. et 2. cont. Iul.
Theo. dial. 1. & 2. & 3.
Basil. lib. de Spiritu Sancto c. 24. cōt. Eunom.

 fidei

fidei Principes,& Ecclesiarum Doctores extiterint. Quare non quorumlibet disputatorum sententiis, tãquam Canonica authoritate, niti volumus: neque eorum authoritatem cum Canonicis libris comparandam esse dicimus. Antiquorum tamen Patrum sententiam non in omnibus Diuinæ legis quæstiunculis, sed solùm, aut certè præcipuè in fidei regula inuestigandam esse tradimus, & eorum dictis ea in re authoritatem maximam deferendam: quatenus, vel Ecclesiæ publicam fidem referunt, vel ab Ecclesia Dei approbata, & recepta sunt. Quandò enim de ijs quæstio est, quæ ad communem fidem spectant, vel ad salutem maximè sunt necessaria, si Sancti Patres, vel omnes, vnanimi consensione idem asserunt, vel certè eorum maxima pars, cæteris vel non reclamantibus, vel de ea re, vt sæpè fit, nihil scribentibus, eorum authoritatem Ecclesiastici iudicij medium singulare & vnicè præstans profitemur. Nam cùm Ecclesiæ Episcopi, Magistri, & Doctores fuerint, vel illos de publica fide differendo, nequaquã errasse affirmandum est, vel tot Ecclesias, & greges Dominicos, quot illi rexerunt, ab ipsis in errorem præcipites datos palàm est fatendum. Hoc cùm Diuinæ prouidentiæ maximè deroget, adeò, vt vel inde Christum Ecclesiæ suæ defuisse, & curæ, ac protectioni promissæ non satisfecisse facilè euinci possit, lectoris ego æquitatem, & pietatem appello, testorque, an, tanquam impium & exitiosum dogma cunctis improbandum; illud verò summa obseruantia amplectendum, & ingenti veneratione colendum sit. Nam doctissimus Irenæus, dum diligenti animaduersione perponderaret Sanctissimos Heroes, & Patres ad Episcopatus, vel saltem Sacerdotalis dignitatis apicem assumptos fuisse, illis authoritatem maximam deferendam esse existimauit: quasi ex Episcopali charismate, & Sacerdotali dignitate, atq. authoritate Ecclesiæ Magistri, & Doctores scribere instituerint. *His in Ecclesia Presbyteris*, ait ille, *obaudire oportet, qui cum Episcopatus successione ec-*

Hier. in apolog. cõt. Iou. Cyril. Alex. in apol. cõt. Orient. post anathematismum 8. Leo Magn. contr. Nest. & Eutych. hær.

Iren. lib. 4. c. 43.

ne acceperunt charisma veritatis certum. Hinc ille Policarpi doctrinam magni facit, certissimamque esse dicit: quod non solùm ab Apostolis edoctus, & versatus sit cum multis ex illis, qui Christum Dominum viderunt: sed quòd etiam ab Apostolis in Asia, in ea, quæ est Smyrnæ, Ecclesia constitutus Episcopus docuerit semper, quæ ab ipsis Apostolis didicerat: *quæ & Ecclesiæ*, inquit, *tradidit, & sola sunt vera.* Et Ruffinus de Sancto Basilio, & Diuo Gregorio Nazianzeno memoriæ tradit illos, cùm adolescentes essent, & Sacris studiis operam dare inciperent, Sacrarum Literarum intelligentiam non ex propria arrogantia, sed ex maiorum scriptis hausisse: eorum sanè, quos ex Apostolica traditione intelligendi regulam suscepisse constabat. Nec non Diuus Pater Augustinus, cùm aduersus Iulianum plurimorum Patrum authoritate egisset, vbi ad doctrinam eorum, & sententias, qui dignitatem Episcopalem fuerant assequuti, peruenit, *Isti*, inquit, *Episcopi sunt docti, graues, sancti: in quibus inuenire non potes, quod spernas: talibus enim Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus creuit.* Satis etiam Diuus Gregorius Nazianzenus existimauit neminem ex iis, qui Diuino numine afflati fuerunt, Patribus, & Magistris nostris hanc sententiam hactenus vel pronunciauisse, vel pronunciatam approbauisse. Quis igitur sententias eorum, qui præclara Orbis terrarum lumina, fideique Primates, & Ecclesiarum Doctores fuere, contemnat? Quis illorum iudicium in doctrina fidei, cuius ipsi normam, quam Ecclesia suscepit, dum vita fruerentur, sempiternis monumentis commendarunt, reiiciat? Sed & testes ipsi sunt eius fidei, quã Ecclesia, cuius ipsi membra sunt, profitebatur. Vnde Gregorij Nazianzeni authoritate, cuius sententiam in medium protulerat, Beatus Augustinus Iulianum vehementer vrget. *An tibi*, inquit, *parua in vno Gregorio Episcoporum Orientalium videtur authoritas? Est quidem tanta persona, vt neque ille hoc, nisi ex fide Christiana omnibus notissima diceret: nec illi eum*

Ruffin. li.4. c.9.

Aug. lib.2. cont. Iul.

Nazian. li. 2. de Theol.

Aug. lib. 1. cont. Iul.

tam clarum haberent, atque venerandum: nisi hæc ab illo dicta ex regula notissimæ veritatis agnoscerent.

Quod de paucis commemorauimus, de omnibus æquè intelligendum ex eo maximè liquet, quòd tam sacrosancta Ecclesiastica Concilia, quàm omnes Summi Pontifices, cùm ad aliquid de fide statuendum accessissent, sequuti fuerint sanctissimos Patres, quos hodie non immeritò colimus, atque veneramur: à quibus testimonia petentes decreta fidei constituerunt aduersus hæreticorum audaciã, & insanam arrogantiam. Nam illos nõ sine Diui ni Numinis singulari priuilegio, quod inuenerunt in Ecclesia, retinuisse, quod didicerunt, docuisse, quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradidisse probè agnouerant. An igitur sanctissimorum virorum authoritatem, qui, cùm mortales fuissent, rerum tamen à se gestarum magnitudine ad immortalitatem, sempiternamque foelicitatem peruenerunt, eamq. apud Christianos homines opinionem de se concitarunt, vt post mortem in Sãctorum numerum relati sempiterna gloria pariter cum illis frui credantur, flocci faciemus? An talium, ac tantorum heroum, qui secundùm fidem, quæ vbique gentium, & locorum diffunditur, doctrinam suam confirmarunt, & vtriusque linguæ libros omnes perlegerunt, nec aliam de fide tenuerunt, prompseruntque sententiam, quàm quæ ab vniuersa Ecclesia recepta fuerat, testimonia, & sententias ad fidei decreta statuenda, lites dirimendas, ambigua quæque de Religione enodanda singulare, & vnicum medium dicere dubitabimus? Horum sanè scripta, qui diligenter legerit, atque obseruauerit, non aliud eos, quàm quod à maioribus acceperunt, tradidisse inueniet. Quid pluribus? Cogitur Alexandriæ Concilium: è diuersis ciuitatibus Episcopi conuenire cæperunt, deque multis rebus apprimè necessariis differentes, Spiritus Sancti diuinitate stabilita, eum eiusdem substantiæ cum Patre, & Filio prædicarunt, Dei verbum hominem factum, neque corpus

Socr. lib. 3. c. 5. Niceph. lib. 10. c. 14.

corpus solùm, verùm etiam animam rationalem assumpsisse constanter affirmarunt, sicut antiquis viris Ecclesiasticis visum fuit. Non enim aliquam nouam Religionem excogitare, atque in Ecclesiam introducere, sed quæ ab initio Ecclesiastica traditio docuerat, & sapientes Patres certis rationibus conquisiuerant, confirmare voluerunt. Atque ad hunc modum veteres omnes de hac re disputarunt, literisque ad posteritatem mandarunt.

Cùm igitur Sacra Ecclesiastica Concilia tot, tantisque præsidiis munita veritati vacent indagādæ, & de pestiferis opinionibus refellendis, de vera, atque integra fide tradenda deliberent, ad aperiendam denique Dei voluntatem, atque enodanda arcana Religionis nostræ Sacramenta animos appellant, dubitandum non est illorum esse in explicandis Diuinis Mysteriis iudicium certum, fidem integram, & exploratam, & ita ea Spiritus Sancti instinctu, & sapientia gubernari, vt nequaquam hallucinari possint. Quamobrem sicut omne Dei verbum, siue scriptum, siue non scriptum, paris est, atque eiusdem planè authoritatis, vtpotè profectum ex vno, eodemque veritatis fonte: ita omne, quod Catholica Christi Ecclesia Spiritus Sancti magistri sui vnctioni, atque doctrinæ consonum suscipit, & fidelium populis credendum proponit, certissimum Dei verbum haberi, & summa reuerentia amplecti oportet. Nam si Spiritus Sanctus oracula sua sacrosancta hominibus Christianis, nisi per Ecclesiam (hoc est, Apostolorum succesores, Ecclesiarum Præfectos, & Pastores, penes quos legitimè congregatos, potissimùm tamen penes Romanum Pontificem authoritatas docendi Ecclesiæ concessa residet) non exhibuit, nec legenda proposuit: manifestè illi delirant, qui vel Euangelicæ doctrinæ grauitate & pondere depresi, vel mysteriorum in Diuinis Scripturis mirificè latentium obscuritatem experti, vnde certus Sacrarum Literarum sensus sit petendus, & certa fidei, & Religionis norma eruenda,

dubi-

dubitare minimè vereantur. Qui enim præscriptam à medico potionem non reijciunt, verùm de modo eam sumēdi ad rauim vsque cum medico rixantur, apertè seipsos dementiæ arguunt: quòd ei in re minoris momenti fidem non adhibent, cui vitæ suæ credunt periculum. Eodem sanè modo, qui ab Ecclesia Sacrarum recipiunt Scripturarum codices, & aliundè veros illarum, & genuinos, & de quibus dubitari non possit, sensus requirunt, & illi mysteriorum cognitionem acceptam referunt, veram tamen Religionis normā aliundè putant eruendam, eo amentiæ, & impietatis peruenisse mihi videntur, vt eos ab hominum consortio abigendos existimem. Nam quid sano homine, quique non nihil pensi habeat, indignius censeri debet, quàm cui salutem nostram credimus, cui vni salutarem Euangelij cognitionem acceptam referimus, non illi etiam veram Euangelij intelligentiam, certam fidei regulam, & rectam viuendi normam referre? Quid absurdius, quàm de illius fide dubitare, vtrum in erroris tenebras detrudere velit, necne, cuius pium cum primis in nos studium præclarè sumus experti? Quid denique à ratione recta magis alienum, quàm de illius perenni veritate in tradendis fidei placitis ambigere, è cuius pectore Diuina Oracula, & illorum sensus certissimos, qui aliò transferri non possunt, sapienter elicere debemus, cùm illa interius Spiritum Sanctum habeat Magistrum, exterius verò Sacris Scripturis, Apostolorum traditionibus, veterum Conciliorum decretis, Sanctorum Patrum sententijs, atque lucubrationibus, & indefesso labore, studio, & eximia in Deum pietate comparata doctrina, ac Diuinorum sapiētia posteritati fideliter tradita nitatur? Verùm, cùm tot, tantisque præsidiis, atque præsentia, fauore, & institutione Spiritus Sancti Catholicam Ecclesiam stabilitam dicimus, non minus profectò Oecumenica Concilia, vt latentem veritatem docere & obscura dogmata, omni metu erroris sublato, explicare possint, ijsdem Dei

sub-

ſubſidijs, & beneficijs non malè deducimus: quippequæ vniuerſalis Eccleſiæ authoritate firmiſsima nitantur. Vnde Damaſus Papa violatores Conciliorum, & Sacrorum Canonum à Sanctis Patribus, & ab Spiritu Sancto, cuius inſtinctu congregati ſunt, iudicari dixit. Hinc etiam quæ ſemel in Concilijs legitimè collectis ac ritè celebratis decreta ſunt, in quæſtionem iterum reuocari prohibentur: cùm de illis amplius dubitare nemini impunè liceat. Nā quamuis dubia eſſe permulta in Eccleſia poſsint, quæ fiāt paulò poſt comperta: minimè tamen illa poteſt ſine Spiritus Sancti contumelia, cuius procuratione gubernatur, ea improbare, & reijcere, quæ, tanquam fidei, & Religionis certiſsima dogmata, ſemel fuit complexa. *Quæ enim patefacta ſunt, quærere, quæ perfecta ſunt, retractare, &, quæ ſunt definita conuellere, quid aliud eſt*, ait Leo Papa, *quàm de acceptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere?* Et alibi ad Martinum Auguſtum de legitima vicis ſuæ legatione pro Chalcedonenſi Synodo celebranda ſcribens, *Per ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum* inquit, *qui Regni veſtri eſt author, & rector, obteſtor, & obſecro veſtram clementiam, vt in præſenti Synodo fidem, quam Beati Patres noſtri ab Apoſtolis ſibi traditam prædicarunt, non patiamini, quaſi dubiam, retractari: &, quæ olim ſunt maiorum authoritate damnata, rediuiuis non permittatis conatibus excitari.* Neque Gelaſius Pontifex etiam Romanus aliter ad Epiſcopos Dardaniæ ſcribit: *Sancti Patres*, ait ille, *quæ in vnaquaque Synodo congregati ſanxerunt, inconcuſſa deinceps, & firma voluerunt perſiſtere, ſapientiſſimè prouidentes: quoniam, ſi decreta ſalutis quemque liceret retractare, nullum contra ſingulos errores ſtabile perſiſteret decretum.*

15. diſt. c. Canones.

Leo epi. 76.

Idem ep. 41

Gelaſ. ad Epiſc. Dard.

Denique, vt huic diſceptationi finem imponamus, cùm fidei decreta non temerè, & fortuitò fieri, ſed permagna diligentia in veritate indaganda adhibita, ab Oecumenicis Conciliis ſanciri conſueuiſſe iam liquidò oſtēſum eſſe appareat, neque quædam oratione explicari,

alia

alia verò ibi silentio præteriri, sed quæcunque ad doctrinam fidei confirmandam videntur esse necessaria, vt dicantur, omnia in medium adduci, neque inconsultò, sed accurata indagatione definiri, vsque adeò, vt omnia, quæ vel controuersiæ, vel discordiæ materiam suppeditare possint, prorsus è medio tollātur, Apostolorum traditiones, & canones heroum nostrorum, Diuina oracula, Patrum sententiæ, & veterum Conciliorum decreta diligentissimè pertractentur, & summa cum reuerentia perpendantur. Nihil, quod Ecclesiæ consuetudini repugnet, nihil, quod traditiones maiorum improbare videatur, nihil, quod vel Diuinis Scripturis sit contrarium, vel Sanctorum Patrum doctrinam, & authoritatem euertat, ibi definitur. Voluntatē sanè vnanimen sanctorum Episcoporum legitimè congregatorum, & Summi Pontificis authoritate definientium voluntatem Dei appellandam censeo: eiusmodi enim Præsulum clarissimam coronam de ijs, quæ ad Christianæ Reipub. statum vna & mente & voce Spiritu Sancto afflante consentire, quotquot Catholici sumus, credimus, & affirmamus; eique, omni prorsus timore labendi deposito, intrepido, constantique animo nos adhæsuros pollicemur. Nam qui fieri potest, vt, cum Saluator noster adsit in medio duorum, aut trium in nomine suo congregatorum, Oecumenica Concilia in eiusdem nomine congregata Spiritus Sancti fauore, & numine, atque afflatu priuentur? Hoc multò plus, quàm dici potest, repugnat: cùm Deus verax sit, & nunquam promissum, ne tantillum quidem, violet. Cùm ergò Diuinis auxiliis spiritus ille veritatis Concilia Oecumenica protegat, foueat, instruat, atque ab omni erroris suspicione immunia tueatur, illorum iudicium certum in Fidei, & Religionis nostræ doctrina quisquis improbare molietur, non eum Catholicum, sed hæreticum dixero petulantem. Sed iam, vtrum illa Oecumenica Concilia, quibus ipsimet Romani Pontifices in-

ter-

terfuerunt, aliis antecellant, quæ per Legatos suos Apostolica Sedes gubernauit, ex veterum monumentis, & Ecclesiæ annalibus hauriamus.

CAP IIX.

Non me latet viros doctissimos, atque de Christi Ecclesia optimè meritos ita natura, ingenioque inter se dissimiles nonnunquam extitisse, vt quidam eorum æquam omnibus Oecumenicis Cōcilijs authoritatem tribuerint, siue per se, siue per Legatos suos Pontifices Romani illis præfuissent: alij verò longiùs illa excellere, quæ præsentes habuissent Sum. Pontifices existimarint. Parisienses, enim illi, & cæteri omnes, qui Conciliorum authoritatē adeò amplificant, vt Summorum Pontificum potestatem à Christo acceptam imminuere videantur, ita Generalia Concilia in quæstionibus de fide dirimendis, & efformandis Ecclesiæ vniuersalis moribus certam fidem facere affirmant, vt, modò legitimè congregata fuerint, eorum decreta ante quamcumq. Sedis Apostolicæ confirmationē rata, & firma esse suspicentur. Caietanus verò, Turrecremata, Albertus Pighius, Melchior Canus & quàm multi alij, quos numerando recensere superuacaneum duxi, longè aliter sentiunt. Nos autem quemadmodum Summi Pontificis omne de quacunque re iudicium sine veritatis necessaria discusione prolatum defendere, Apostolicæ Sedis authoritatem labefactare potius, quàm firmare, & euertere, quàm munire, esse arbitramur (minus enim probè de Apostolicæ Sedis dignitate sentiret, qui Apostolorum Principem adulatione nostra indigere existimaret) sic eos, qui Concilium, etiam ritè congregatum, nunquā à vero aberrare posse ita affirmant, vt nihil prorsus discriminis constituendum esse putent inter ea, quæ per Legatos suos Romanus Pontifex sit moderatus, & Concilia, quibus ipse præfuerit; neque diligenti obseruatione dignum aduertant, an legati à Sede Apostolica instructi ad Concilium accesserint, & Patres illis consenserint, & Legati, secundùm mandatum egerint; de Ecclesiæ certa, cōs-

tante; & inconcussa authoritate minus prudenter dissernuisse opinamur. Nam eò magis Conciliorum authoritatem euertere videntur, quò magis illorum dignitatem immoderato zelo, & sinistra quadam animi affectione amplificare nituntur: cùm si capitis influxum, si Petri, & successorum illius authoritatem, pro quo rogauit Christus, vt non deficeret eius fides, quò fratres suos confirmaret, è medio quis tollat, totum profectò à Conciliis robur abstulisse videatur. Vt ergò Orthodoxum illud sapientum nostrorum axioma, nempè, non minus Concilium illud, cui Summi Pontificis Legati intersunt, quàm cui ipse Pontifex adfuerit, potestatis habere in definiendis rebus ad fidem spectantibus, certissimum ostendamus; quædam nobis prius proponenda, omnibus, quæ ad rem nostram faciunt, æqua lance perpensis, existimauimus.

Primum igitur omnium proponimus semper in more positum fuisse Legatos Summi Pontificis de Romanæ, & Apostolicæ Sedis fide instrui, & quid de ijs, quæ sint in Concilio discutienda, dirimenda, atque tandem statuenda, Apostolica Sedes sentiat, & credat, idoneè prius edoceri. Quòd si commodè id fieri nequeat: non proptereà definiendi authoritatem Concilio denegandam esse tradimus. Nam Legati ad Concilium Tridentinum missi, cùm quæstiones, quæ tractandæ erant, essent ferè infinitæ, qui fieri poterat, vt de illis omnibus ante profectionem suam instruerentur? Acceperunt tamen authoritatem de illis agendi, & statuendi, quicquid æquum visum esset. Qui verò ad reliqua Concilia, quæ penè singula singulis de causis, aut saltem de vna, & altera congregabantur, missi sunt Legati, nisi prius de Sedis Apostolicæ fide satis instructi, non accesserunt. Iam, vt alterum proponamus, si Patres Concilij, dissentientibus quidem Apostolicæ Sedis Legatis, vel ipsis vnanimiter consentientibus, contra Pontificis tamen instructionem de fide aliquid statuant, proculdubiò eiusmodi Concilium

lium à recta Religionis norma quàm longissimè aberrare posse contendimus. Idque in Concilio Ephesino secundo Leo Pontifex Romanus euenisse testatur: quia, contradicentibus Legatis, cæteri Antistites de fide decernere tentarunt. Idem etiam in Constantinopolitano sub Nicolao Primo, quòd contra Sedis Romanæ instructionem actum est, ex epistola Nicolai ad Patriarchas, & cæteros Episcopos Orientis data accidisse liquidò constat. Nam si, quod Summus Pontifex reprobauerit, Concilium nullius esse authoritatis sapientissimi quique viri affirmant: Concilium illud, quod contra Pontificis sententiam habitum est, quibus præsidiis, quo robore, qua authoritate dogmata sua firmabit? Quòd si desit Romani Pōtificis authoritas, Concilium nequaquam legitimum censendum est: dissentientibus verò Apostolicæ Sedis Legatis, Summum quoque Ecclesiæ Pastorem illius Concilij sanctionibus dissentire cognoscimus. Vnde igitur firmitudinem tantam eiusmodi Concilium depromet, vt sine erroris periculo definiat? Disertè sanè, cùm in secunda Ephesina Synodo Eutychanæ hæresi quàm multi Episcopi metu præterriti subscripsissent, Romani Pontificis Legatis cōtradicentibus, Pulcheriæ Augustæ Leo Christi Vicarius dicit. *Si quidem legati, qui missi sunt, reclamarunt in Synodo, sicut oportuit, vnius hominis non tam iudicio, quàm furori protestantes ea, quæ per vim, metumque gererentur, Sacramentis Ecclesiæ, & ipsi Symbolo ab Apostolis instituto præiudicare non posse, nec se ab ea fide vlla iniuria separandos, quam plenissimè expositam, atque digestam à Sede beati Apostoli Petri ad sanctam Synodum detulissent.* Cuius recitatio quod admissa non fuerit poscentibus Episcopis, paucis piis viris cùm legatis reclamantibus, cæteri in errorem cum Dioscoro ruerunt.

Leo ep. 24. & 25.

Nicol. in ep. ad Patriar. & Episc. Orient.

Gelas. tomo de anathemate. & ep. ad Epis. Dardaniæ.

Leo epi. 24.

Verùm, vt vlterius progrediamur, quid, si Concilium non nisi à Summo Pontifice congregatum, cuius ditioni pareat, moderationeque gubernetur, multas de fide definiat quæstiones, lites dirimat, decreta Religionis consti-

stituat, atque in eo Patres quidem legatis, & legati Concilij Patribus assentiri videantur, qui tamen ab Apostolica Sede minimè sint instructi? Quid est, quòd eidem Summo Pontifici Synodi eiusmodi definitiones non adscribamus? An inficiabimur summam illius vim, iudiciũ, atque dignitatem in Conciliis præsentem esse, quamuis corpore ab illis absit quàm longissimè? Non defuerunt sanè viri aliàs & sapientia, & pietate perillustres, qui hæc animis suis voluentes existimarint ab eiusmodi Concilio vniuersali ritè, & legitimè congregato vniuersalem Ecclesiam repræsentari, & à vero illud nequaquam declinare posse, parisque cum eo, cui ipse Romanus Pontifex interfuisset, authoritatis esse. In hanc sententiam doctissimus Melchior Canus vltrò descendit: ait enim ille, Concilium perinde, ac Ecclesiam errare non posse: iam verò ea, quæ vniuersa tenet Ecclesia, certissima esse, neq. illam in eiusmodi siue definitionibus, siue dogmatibus à vera Christi Fide, & Religione deflectere vnquam valere, vna eademq. est omnium Catholicorũ sententia: fingi enim nihil omninò posset absurdius, & in Christi Ecclesiam contumeliosius, quàm aseri vniuersam Christianam Rempub. funesto aliquo errore publica esse authoritate occupatam, &, quod à vero valde est alienum, id, tanquam certum, atque firmum, venerari. Alteram tamen, vel etiam potiorem Ecclesiæ partem à vera doctrina posse deficere, nequaquam inficiandum esse putat. Sic etiam Oecumenicum Concilium ritè à Summo Pontifice conuocatum, illius authoritate gubernatum, vniuersale, inquam, Concilium, idest, Patres omnes simul cum Legatis Apostolicæ Sedis, omni esse erroris suspicione liberos, neque timendum esse aliqua in definiendo erroris labe respergi posse, manifestò tradit: quamuis maiorem illius partem labi, & funestissimis erroribus obuolui posse minimè neget. Quæ enim illa esset Conciliorum tanta dignitas, atque præstantia à maioribus nostris singulari

Melch. Can. lib. 5. de loc. Theol. c. 5.

ora-

orationis grauitate commendata, & à nobis pro nostri ingenij tenuitate exposita, si vnquam illa à vero aberrare possent? Huc etiam illud Vincentij Lirinensis viri grauissimi videtur spectare. *Si quid,* inquit, *ab omnibus Catholicæ Ecclesiæ Sacerdotibus vniuersalis Concilij authoritate decretum fuerit; id studiosè obseruandum est, eoque penitus inhærere debet, quicumque hæreticus esse nolit.* *Vinc. Lyri.*

Re tamen paulò æquiori iudicio expensa, eiusmodi Concilia ad quæ Romani Pontificis legati, non instructi de fide Apostolicæ Sedis, missi sunt, cum illis, quibus ipse Summus Pontifex præsit, antequam à Sede Apostolica approbentur, æquè conferenda non reor: quippe quæ Romanorum Pontificum sententia minimè illustrata, neque de fide Apostolicæ Sedis instructa è veritate posse recedere, facile nobis erit demonstrare. In primis enim Concilia, in quibus Summorum Pontificum sententia desideratur, certam profectò, & indubitatam fidem facere nequeunt: quia eorum sententia non est vltimum Ecclesiæ iudicium ante Sedis Apostolicæ approbationem. Nam si Diuina, & Ecclesiastica scita omnem Conciliorum firmitudinem ex corporis cum capite consensione originem traxisse docent: cùm nondum Summus Pontifex omnium facilè Princeps, & supremum caput ijs de rebus, quæ à Concilij Patribus tractatæ sint, atque definitæ, sententiam suam exposuerit, priuilegio illo, & eximiis Spiritus Sancti præsidiis à Christo Ecclesiasticis Conciliis promissis absq. dubio poterunt carere. Quamuis enim Pontificij Legati Romani Præsulis personam in Concilio sustineant, maximam tamen illam potestatem certò, & absq. vlla erroris suspicione dirimēdi de fide quæstiones, Petro, & eius successoribus à Christo traditam nequaquam acceperunt: quam Romanus etiā Pontifex nemini potest delegare, cùm ad gratias gratis datas potissimum spectet, & Romani Præsulis personam consequatur. Quare quæ in Episcoporum, quantumuis frequen-

quen-

quenti, conuentu ſtatuta, & definita fuerint, niſi Romani Pontificis, qui vniuerſalis Eccleſiæ caput eſt, & moderator, & cuius imperio conuocari, authoritate fulciri, nutu, atque ditione Concilia gubernari oportet, ſententia firmentur, non poſſunt profectò totius Eccleſiæ iudicio approbata cenſeri. Nam licet ille Epiſcoporum cætus Eccleſiæ corpus referat, non tamen Pontificij legati ita caput repræſentant, vt, quod ipſi nequaquam ab Apoſtolica Sede edocti ſtatuunt, illud ipſum Romanus Præſul totius Reipub. Chriſtianæ caput conſtituiſse videatur. Iam verò illud nos Oecumenicum Concilium, in fidei ſanctionibus, & morum ad vniuerſalem Eccleſiam ſpectantium efformatione aberrare non poſse diximus: quòd perfectè vniuerſalem Eccleſiam repræſentet. Quamdiu autem capitis, hoc eſt, Romani Pontificis ſententia deſideratur, perfectio illa deeſt, quæ Concilium omnibus ſuis numeris abſolutum, & corpus perfectiſsimum ex capite, & membris copulatum reddit. Illam verò certam, & incorruptam fidem & credimus, & tenemus, quam Eccleſia tota, hoc eſt, caput ſimul cum membris tradit. Quocirca cùm ratione, & natura ſua Generalia Concilia Romanos Pontifices neceſſariò complectãtur, nequaquam certè Conciliorum dignitati detrahere, vel derogare videbimur: ſi, quamdiu Romanus Pontifex mentem ſuam non aperuerit, neque eius ſententia cæterorum Præſulum Placita approbauerit, nihilque diuerſum ab vniuerſo ſe Concilio ſentire, quinimò caput membris conſentiens fuiſse ſignificauerit, Concilij eiuſmodi ſanctiones, & decreta non ita certam, & indubitatam fidem facere dicamus, quin illud falli, atque hallucinari potuerit. Vnde Concilia omnia deciſiones ſuas à Summis Pontificibus confirmari ſummoperè exoptarunt, & Pontifices optimè ſanè eadem Apoſtolica confirmatione eas fulciendas quàm diligentiſſimè curarunt: tum, vt illis definitionibus vim tribuerent, & authoritate, atque pondere ſenten-

tiæ

tiæ suæ robur largirentur, & Concilia perfecta, & omnibus suis numeris absoluta redderent, ita, vt Conciliorum placita vniuersalis Ecclesiæ decreta dici possent, & cætus illi perfectè vniuersam Ecclesiam repræsentarent: tum etiam, vt in omnium animis insitum, atque veluti impressum foret nihil à Synodi decisionibus alienum Romanum Pontificem censuisse. Si enim de illius cum Synodo consensione dubitari posset, qui fidei est regula certissima, variè profectò Spiritus Sanctus distraheretur: & vel Summam Romanorum Pontificum dignitatem ad Conciliorum maiestatem euertendam, vel augustissimũ Conciliorum nomen ad Romanorum Pontificum authoritatem minuendam cum summa Reipub. Christianæ, pacis, fidei, dignitatisque perturbatione, & detrimento insani, & sacrilegi homines vsurparent.

Quid pluribus opus est? Nonne si vnum, aut alterum Concilium Generale, quòd solùm Summi Pontificis consensione, & sententia caruerint, erroris labe olim respersum fuisse ostendam, causam hanc vincere videbor? Ita sanè. Ne igitur Concilium Ariminense, & Ephesinum secundum nobis excidant, à frequentissima Ariminensi Synodo exordium sumamus. In ea enim callidi, atque versuti homines Occidentalium Sacerdotum cætum circumuenerunt, illisque iam longissimo dissidio fractis, &, quid ὁμοιούσιον, quod illi vafrè moliebantur, vel ὁμοούσιον, quod Religiosè à Nicænis Patribus definitum fuerat, significaret, ignorãtibus; velut in fastidium quoddam, & execrationem sermo deductus est: atque præclarè se de Christi Ecclesia illi mereri putarunt, si sola literæ mutatione Christianæ Reipub pestem redimerent, & dissidentes inter se animos coniungerent. Dicebant enim Ecclesiæ corpus minimè distrahi debere ob duas voculas, easque in Sacris Literis neutiquam scriptas, sed dicendum esse Filium per omnia Patri similem, vocem autem, substantiam, vt potè in scriptura non repertam, missam faciendam.

Ruffin. li. 2. hist. c. 21. Theod. li. 2. hist. c. 18.

dam. Sicque aliqui non inscij prolapsi, multi etiam animis decepti contra ea, quæ Patres apud Nicæam cõscripserant, venientes, ὁμοούσιον quasi ignotum, & à scripturis alienum vocabulum, auferendum à fidei expositione decreuerunt: communionemque suam hæreticorum societate commaculauerunt. Quis eorum probabit sententiã, qui Patrum decreta firmiter stabilita in sanctissimo Concilio Nicææ congregato temerè abrogarunt?

At inquiunt aduersæ opinionis authores, atque fautores Concilium illud nequaquam dicendum, quod hæreticorũ fauore, & temeritate magis, quàm iure, & æquitate institutum sit, & gubernatum. Certè ita est, & ita ego tenendum censeo. Ariminensem verò Synodum à Constantio Imperatore Arianæ perfidiæ patrono ad Nicænam fidem labefactandam sine Liberij Pontificis Romani consensu indictam, & coactam fuisse, omnes, qui Ecclesiæ res literis mandarunt, palam testantur. Atque ob id Patres, qui cum Damaso Pontifice Maximo Romæ Concilium celebrarunt, in epistola ad Illyricas Ecclesias, Synodi huius frequentiam nihili faciendam esse probè statuerunt: quippe quæ Romani Pontificis suffrago, & authoritate fuerit destituta. Assentimur & nos. Verùm cùm secundam Ephesinam Synodum Leonis Sanctissimi Pontificis authoritate cõuocatam, & tribus Pontificiis legatis exornatam fuisse considero, Eutychetis tamen hæresim in Chalcedonensi Concilio posteà damnatam ab illa approbatam fuisse conspicio: non possum eo adduci, vt credam omnia Concilia, quibus Romani Pontificis legati intersint, ante Sedis Apostolicæ confirmationem eiusdem esse authoritatis, & fidei certitudinis cum illis, quibus ipsi Præsules Romani præfuerunt, quorum nutu, authoritate, & sententia cuncta sint peracta, atque confirmata: sed ea duntaxat, in quibus Patres cum Pontificiis legatis conueniant, & hi à Sede Apostolica satis, superque instructi secundùm sibi traditum mandatum

Theod. li 2. hist. c. 22.

cuncta

cuncta moderentur: neque aliquid, nisi de Romani Pontificis authoritate, & sententia, fieri, decerni, vel decidi patiantur. Vnde illud quàm diligentissimè semper obseruatum fuisse legimus, vt, quoties res ad fidem attinentes tractari oporteret, neque Summi Pontificis sententia Concilio innotesceret, eum ante decreti formationem per literas Patres consulerent: qui nisi prius mētem suam aperuisset, & Episcoporum sententiam approbasset, decretum nullas vires haberet. Idque in Sacrosancto Concilio Tridentino Antistites cum Pontificiis legatis obseruauisse meminit, vt cæteros taceam, doctissimus Vega. Illud verò quanti intersit, ex secundo Ephesi habito Concilio, de quo à nobis institutus sermo est, liquidò constare potest. In illo enim, quòd Romani Pontificis literas ad Concilium datas Dioscorus homo certè factiosus, & in eos, qui Catholicæ fidei egregij vindices erant, quique pullulantem Eutychetis impietatem in ipsis primordiis comprimere curauerant, maximo odio concitatus primò interceperat, easq. à Concilij Patribus sæpe & sæpius expetitas, tanquam suorum studiorum perniciem, nunquā exhibuerat, ab antiqua Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ fide permulti Antistites miserè defecerunt, & cū Dioscoro Eutychanæ hæresi fœdè subscripserunt. Qui sanè voti compos nunquam factus fuisset, si Summi Pastoris fides, & sententia Concilij Patribus aliquo modo innotuisset.

Caiet. in Apologet. p. 2. c. 2.
Turrecrem. lib. 3. c. 32. & 33. 34. 38.
Belarm. de Conc. autho. lib. 2. c. 11.
Vega lib. 1. in expos. 6. sessionis.

CAP. IX.

Non tamen me latet, quid ad hæc aduersæ opinionis propugnatores respondeant, ignauos scilicet animos à Dioscoro, qui Imperatoris personam in Concilio agebat, & qui plurimum etiam gratia, authoritate, & opibus valebat, blandimentis prius tentatos, & subdolis verbis in laqueum adductos, quos verò hac arte ad impietatem pellicere non potuit, minis, atque armis impetitos, ædes, in quibus Concilium cogebatur, ingenti militum manu comparata obsessas, Ecclesiam oppugnatam, Sanctissimis Episcopis vim allatam, omnibus denique pericula,

vexationes, bonorum direptionem, & expilationem, qui libidini suæ mox non parerent, minis horrendis propositam fuisse. Concilium verò (authore Summo Pontifice
Leo ep. 26. Leone) quod factum est sine consideratione Iustitiæ, & contrà omnium canonum disciplinam ratio nulla permittit, vt ratum vnquam habeatur. Inficiari autem minimè possumus, ita omnia à Dioscoro turbata tunc fuisse, vt nullus prorsus Iustitiæ, & æquitati locus illic relictus esse visus fuerit. Verùm si pondere rationis ab exemplo petitæ pressis eò confugiendum illis est, vt Concilium illud nequaquam liberum fuisse dicant, in quo sentētiam Dioscorus per vim, & tyrannidem extorquebat (secundum hominem dico) qui metu frāgitur, cupiditate etiam corrumpi facilè poterit. Si ergo metu, atque terrore vera, & legitima Synodus perculsa à vero aberrare potuit, hæretici profectò eodem argumentandi genere contrá omnes alias Synodos vtentur, easque ob auaritiam, & immodicam Imperatorum, atque Pontificum cupiditatem aberrasse, & à veritate fœdè defecisse proclamabunt, vt miseram, & ignaram plebem decipiant. Quod cùm absurdum sit, & piis auribus prorsus indignum: rectæ rationi, & Sacræ Paginæ multò magis consonum videtur, Concilia illa, quæ Romani Pontificis authoritate congregata, & à Pontificiis Legatis gubernata sint, & quæ omnia moderatè, & iustè secundùm fidem Apostolicæ Sedis, & à Romanis Pontificibus instructionem acceptam gesserint, nullo modo aberrare posse, æqualemque cum illis, quæ præsentes habeant Romanos Pontifices ad Fidei dogmata statuenda, & Religionis lites dirimendas moresque totius Ecclesiæ componendos authoritatem habere. Si enim Cōcilium, cui adsit manifestus capitis consensus, & in quo membra cum suo capite conueniant (cùm vniuersam Ecclesiam repræsentet, quæ Fidei est certissima regula) falli minimè potest: neque profectò illud, in quo cū Pontificiis legatis ab Apostolica Sede idoneè instruc-

tis

tis Episcopi concordent, & secundùm Apostolicæ Sedis mandatum sibi sacrosanctum definiant, errare, & à vero deflectere valebit: cùm ibi Summi Pastoris fides, & sententia Concilij Patribus manifestè innotescat, & membra capiti summa animorum consensione inhæreant. Quamobrem illius Concilij sententia, & decretum, tanquam ab vniuersa Ecclesia constitutum esset, certissimæ fidei, & indubitatæ veritatis censendum est. Nam quamuis, dum Pontifex de fide Sedis Romanæ Legatos instruit, & illis mentem suam aperit, & sententiam exponit, instructio illa nequaquam definitiua sententia esse videatur: cùm tamen Concilij Patres Pontificis Romani sententiam amplectuntur, &, vt moris est, eiusdem Pontificis nomine ab eius Legatis decretum constituitur, adeò definitiua sententia habetur, vt neque Summus Pontifex, neque Concilium aliter definire possit, aut priori sententiæ quicquam detrahere, quàm à plenario Concilio iam susceptam à Deo emanasse agnoscit. Hoc disertissimis verbis à Leone Pontifice Maximo expositum nō inuiti audiamus: ad Theodoretum enim sic scribit: *Quæ Dominus nostro prius ministerio definierat, uniuersæ fraternitatis irretractabili firmauit assensu: vt verè à se prodire ostenderet, quod prius à prima omnium Sede formatū totius Christiani Orbis iudicium recepisset, vt in hoc quoq. capiti membra concordent.* Leo epi. 63. Hinc cùm in Concilio Chalcedonensi Summi Pontificis sententia ab omnibus Episcopis probata esset, &, vt Dioscorus à gradu omni, & dignitatis Pontificiæ celsitudine deturbaretur, non immeritò statutum fuisset, quod Sanctissimus Leo prius iudicauerat, mox Apostolicæ Sedis Legati contrà Dioscorum decreto sanxerunt. *Sanctissimus*, inquiunt illi, *ac Beatissimus Papa caput uniuersalis Ecclesiæ Leo per nos Legatos suos, Sancta Synodo consentiente, Petri Apostoli præditus dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum, ac petra fidei, & cælestis Regni ianitor nuncupatur, Episcopali dignitate Dioscorum nudauit, & ab omni Sacerdotali opere fecit extorrem.* Conc. Chalc. act. 3. Posteà cùm præter Ordinem, & Re-

gulam obseruandam à Sede Apostolica Legatis datam Patres non nihil statuere molirentur, Legati sese opposuerunt, & Patrum conatui, vt par erat, restiterunt: nam, inconsultò Romano Pontifice, nihil prorsus, nisi secundùm eam, quam acceperant, instructionem, statuendum esse omnibus viribus contendebant. Ad Legatos autem Apostolicæ Sedis maximè spectat Romani Pontificis mandatum secundùm eas, quas acceperunt, regulas in Concilio exequi: vt idem Leo ad Pulcheriam Augustam scribens sapiēter tradidit. Vnde Agathon Summus Christi gregi Pastor, *Authoritatem*, inquit, *eis*, hoc est, Legatis, *dedimus, inquantum eis dumtaxat iniunctum est, vt nihil præsumant augere, minuere, vel mutare, sed traditionem huius Apostolicæ Sedis synceriter enarrare.*

Act. 16.

Leo epi. 43.

Agath. act. 4. Sextæ Synodi.

Ecce, ni fallor, Concilij illius decreta, & fidei sanctiones, in quo, quid Summus Pontifex ijs de rebus censeat, ignotum sit, ante Sedis Apostolicæ confirmationem certam, & indubitatam fidem non facere manifestè colligimus. Quibus tamen siquis, etiam antequam à Pontifice ea probari liquidò constet, repugnare moliatur, eximiæ temeritatis notam subibit, & in errorem haud mediocrē incidet. Rursus, Concilium illud, quod Romani Pontificis authoritate cōgregatum, & nutu illius gubernatum secundùm Romanę Sedis sententiam per Legatos expressam de fide statuerit, æqualem cum illis, quibus Romanus Pontifex præsit, authoritatem habere ostendimus: cuius decreta, veluti illius authoritate firmata, ab omnibus semper rata habita sunt: adeò, vt ante quamcumq. Pontificis confirmationem sint exequutioni mandata, &, qui contra sentiebant, mox damnati, & hæretici proclamati, atque ab omni gradu, & Episcopalis dignitatis celsitudine deiecti fuerint. A Sanctissimo nihilominus Pontifice ea omnia probari quàm diligentissimè Patres nonnunquam curauere. Quanti autem veteres fecerint à Romano Pontifice confirmationem præstitam ijs, quæ in Con-

ciliis

ciliis decisa, & constituta fuerant, ex Valentiniani huius-nominis Tertij, atq. Martiani Imperatorum ad Leonem Pontificem literis præclarè intelligi potest. Multis enim ab illo contendunt, vt salutares literas, quæ in omnibus Ecclesiis passim lectitentur, ad omnes Christiani Orbis Prouincias mittat, quibus approbatum à se, atque confirmatum esse Chalcedonense Concilium significet: quia quorundã (inquiunt illi) animabus, quæ priuatam adhuc opinionem sectantur, ambiguitatẽ inussit, vtrum tua beatitudo, quæ in Sancta Synodo condita sunt, confirmarit. Idem Leo hoc ipsum prę se videtur tulisse, cùm Chalcedonensis Concilij decreta à se approbata esse dicit, vt mẽbra cum suo capite, & caput cum suis membris summa consensione copulata esse ostenderet. Eiusdem quoque Concilij Patres ad eundem Pontificem scribentes manifestè innuunt ideò se Concilij confirmationem petiisse, quòd præter decretum Fidei contra Dioscorum, pleraque alia absque manifesta Pontificis sententia statuissent. Cùm enim Oecumenicum Concilium dici non debeat; quod non fuerit Romani Pontificis arbitrio conuocatum, & cui ipse, aut eius legati non præfuerint: in omnibus certè legitimæ Synodi decisionibus, illius non modò authoritatem, sed etiam iudicium, & sententiã adfuisse videri oportet, cuius illa imperio congregata, & iure gubernata fuit. Non igitur, quòd à veritate aberrare potuissent Concilia, quæ Romani Pontificis authoritate collecta, & à Pontificiis Legatis à Sede Apostolica instructis administrata, & in quibus omnia secundùm iuris æquitatem rectè fuissent gesta, sed vt capitis summa cum membris consensio vniuersis Christianis apertè innotuisset, Chalcedonensis Concilii Patres tale Concilium approbandum curarunt. *Leo ep. 61.*

Si ergo, reluctantibus legatis, Patres Concilij aliquid de fide statuant, vel illis annuentibus, contra instructionẽ tamen à Sede Apostolica acceptam fidei dogmata constituere, siue vniuersæ Ecclesiæ mores disponere Concilium

molia-

moliatur: quid mirum, si infirmari possit, & illius Diuini Spiritus auxilijs destitui, qui non singulis seorsim, sed & Petro, & Discipulis cum Petro simul collectis à Christo promissus fuit: cùm in eiusmodi Episcoporum conuentu neque Legati ex potestate sibi tradita, sed ex proprio affectu agere videantur; neque Ecclesiarum Præsules cum Summo Præsule consentiant: sed, veluti priuati homines, diuisim de rebus Fidei decernant? Abscisso enim capite, quod ex corpore superest, truncus est: Episcoporum verò quantumuis frequenti conuentui, nisi ille Romani Pontificis, qui vniuersalis Ecclesiæ caput est, & moderator, imperio conuocetur, authoritate foueatur, nutu, atq; ditione gubernetur, & sententia illustretur, Concilij nomen minimè conuenire potest. Ad scripturarum autem interpretationem, & oraculorum Dei veros, & genuinos sensus hauriendos, atque de Fide controuersias dirimendas, non ex æquo singulis Ecclesiæ membris, & toti Ecclesiæ, hoc est, mystico Christi corpori ex membris, & capite compacto, & copulato, Spiritum Sanctum præsentem adfuturum Christus promisit. Quemadmodum ergò Ecclesiam vniuersam neque ventorum turbine, neque inundantibus fluminibus obruendam esse, ita profectò plenaria, & legitima Concilia loco cedere, fideiue stationem deserere, aut vllis humanis affectibus infirmari nequaquã posse idem Saluator noster dixit: qui in medio duorum, vel trium in nomine suo congregatorum se promisit futurum: cùm tamen & singula membra, & singuli Episcopi, vel etiam frequentissimus Episcoporum consessus à capite diuisus Spiritu Sancto destitui possint. Nam & ipsis Prophetis illum non semper adfuisse legimus. Elisæus siquidem, cùm Sunamitidem flentem vidisset, causamque nescisset, puero, qui eam volebat prohibere, dixit: *Dimitte illam, anima enim illius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.* Cùm etiam de futuris eum percontatus esset Iosaphat, spiritus vaticinij ei defuit. Alteri quoque

4. Reg. ca. 4.
4. Reg. ca. 3.
Greg. in Ezech. ho. 1.
S. Tho. 2.2. q. 171. ar. 2.

que Prophetæ, quandò missus Bethelem, quæ essent illi euentura mala, nunciauit, præstò adfuit Spiritus Sanctus, quo posteà fuit destitutus: cùm Prophetæ cuiusdam persuasionibus adductus panem in domo eius contra Domini præceptum comedit. Huius tamen transgressionis à Leone in via crudeliter occisus pœnas ingentes dedit. Sic Nathan visus est vaticinandi munere priuatus, cùm rogatus à Dauide, num ædificare sibi templum liceret, respondit nihil obstare, quominus faceret, quicquid in corde suo deliberaret: quem errorem posteà correxit, & à templi ædificatione Regem auocauit. Quid igitur mirum si, cùm Prophetis non semper præstò adsit Spiritus Sanctus, singula Ecclesiæ membra, siue diuisa, siue in vnum coacta, à capite tamen vel separata, vel illius nutu non omninò directa, & gubernata, illius præsidio, & fauore priuentur? Certè non solùm vbi ille vult, sed etiam quādo vult, &, per quos vult, spirat: Sæpe maximè pios, & integerrimos viros deserit: nonnumquam etiam eis arcana & Diuina quædam consilia afflat, qui procul sunt ab omni vitæ integritate constituti. Nam & in Sacra Pagina idem veritatis Spiritus testatum reliquit, afflatos à se Balaam, Saulem, Eliudem virum sanè arrogantem, & temerarium, Caipham etiam, & plerosque alios scelestos, & nefarios homines. Quemadmodum enim nullum est membrum in corpore, quod aliquo modo non sit particeps sensus, & motus capitis: ita profectò nullus mortalium est in Ecclesia, qui non sit particeps alicuius gratiæ Spiritus Sancti. Cæterùm, in quo cunctæ simul gratiæ concurrant, præter vnum Christum Deum, & hominem, nemo mortalium vnquam extitit: singulis nihilominus Apostolis Spiritum veritatis præstò semper adfuisse nequaquam negamus. Vbi verò simul omnes conueniunt, ibi adest Spiritus Sanctus, qui cœtum illum foueat, protegat, & cælestibus præsidiis ab aduersariorum incursionibus tueatur, & omnibus gratiis locuple-

tet,

3.Reg.c.13.

2.Reg.c.7.

Ioan.c.3.

S.Tho.2.2. q.172.ar.4.

tet, & repleat. Nam quod vni deest, ita diuina munificentia compensatur in altero, vt sæpe, quod multis mirabili prudentia, & doctrina præditis absc͂oditur, alicui vtcumque docto, nonnumquam etiam sciẽtiarum prorsus ignaro retegatur: in cuius posteà sententiam eiusdem Spiritus Sancti impulsu cæteri etiam omnes descendant.

Hinc illorum scrupulus facilè potest tolli, qui vel Episcopos in Conciliis Iudices minimè sedere, vel Pontificem Romanum debere maiori Concilij parti in dogmatum definitione adhærere constanter affirmant, & causam vincere conantur. Quamuis enim deliberatiua sententia multorum sit, definitiua tamen omnium est: cùm in sententiam plurium omnes transeãt, & communi omnium consensione causam fidei definiri in more semper positũ fuerit. Neque nos vnquam euenisse legimus, Episcopis diuersa sentientibus, ac inter sese diuisis Romanum Pontificem minori Concilij parti adhæsisse: nisi vel per fraudem suffragia extorta, vel per vim decreta condita fuisse liquidò prius cognouisset: quod in Ariminensi Concilio, & Chalcedonensi quoque factum fuisse memoriæ proditum est. In illo enim verbi Græci obscuritate, quàm multi è Catholicis Episcopis decepti, &, dum Ecclesiæ paci studiosè magis, quàm prudenter consulere curarunt, paucorum hominum, qui se Catholicos simulabant, astu, & calliditate circumuẽti coessentialitatis voce supersedendum esse, ac similitudinis vocabulum eius loco vsurpandum existimarunt. Vnde factum est, vt publicis illud execrationibus Gelasius Pontifex Romanus deuouerit, & damnandũ veteres censuerint: cuius etiam acta, quamuis à maiori Concilij parte essent constituta, Damasus eneruauit. In Chalcedonensi autem Concilio Summi Pontificis Legati conqueruntur, quòd, dum à Concilio abessent, Episcopi Constantinopolitanam Sedem, post Romanam tamen, cæteris omnibus præferendam Synodali constitutione decreuisent. Ob idque Sanctissimus Leo Antistitum decre-

Ruffin. li. 10 c. 21.

Chalc. Conc. act. 16.

decretum iure optimo irritum fecit, atque nonnullorum ambitionem compeſcuit.

Vbi tamen omnia in Conciliis neque per vim, neque per fraudem geruntur, maior ſemper pars cauſam obtinere ſolet: in cuius ſententiam pars altera deſcendit. Iam verò, ſi hoc loco vnum animaduertam, operam me minime perditurum arbitror, eum, nimirum, qui Romani Pōtificis authoritate Concilio præſit, in conſtituendis decretis maiori Concilij parti debere ſemper inhærere: Summum autem Pontificem, cùm totius Eccleſiæ caput ſit, & vniuerſalis omnium, qui Chriſtiani ſunt, Paſtor, vt Summus Eccleſiæ Princeps eſt, non vt Concilij Præſes, poſſe quidem & iudicium plurimorum reſcindere, & paucorū ſententiam amplecti: Nō enim ſemper quæ optima ſunt, pluribus placent. Cùm Prophetæ quadraginta Achabo proſpera vaticinati eſſent, ſolus Michæas veritatem protulit, & infauſtum belli exitum duobus Regibus prædixit. Et in Concilio Epheſino Secundo, paucis exceptis, omnes fermè Epiſcopi in errorem inciderunt. Ad Summum verò Pontificem maximè ſpectat, eos, qui à veritate receſſerunt, ad Fidem Catholicam reducere: Petro ſiquidem, & eius ſucceſſoribus Chriſtus dixit: *Tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Vbi non vnum, vel duos, ſed ſiue pauciores, ſiue plures ſint, *confirma,* inquit, *fratres tuos.* Diſertè igitur Leo Pontifex Romanus Anatholio Conſtantinopolitano Epiſcopo, *Quibus,* inquit, *inauditis, & nunquam tentatis, ita perueneris exceſſibus, vt Sanctā Synodum ad extinguendam ſolùm hæreſim, & confirmationem Fidei Catholicæ ſtudio Chriſtianiſſimi Principis congregatam in occaſionem ambitus trahas, &, vt conniuentiam ſuam tibi dedat, impellas, tanquam refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo, & illa Nicænorum canonum per Sanctum verè Spiritum ordinata conditio in aliqua vnquam ſit parte ſolubilis. Nulla ſibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur: neque trecentis illis decem, atque octo copioſior numerus Sacerdotum comparare ſe audeat, vel præferre: cùm*

2 Paral. ca. 18.

Apud Gratian. c. Remouentes.

Leo ep. 51.

tanto diuinitus priuilegio Nicæna sit Synodus consecrata, vt siue per pauciores, siue per plures Ecclesiastica Concilia celebrentur, omni penitus authoritate sit vacuum, quicquid ab eorum fuerit constitutione diuersum. Hæc ille. Non igitur plurium, sed sapientiorum, quique tum pietate, tum doctrina cæteris antecellant, sententia præualet. Cùm autem, quæ ad fidem potissimum spectant, non numero, sed suffragiorum pondere diiudicentur, & pondus Conciliis tribuat Summi Pontificis authoritas, hæc si adsit, centum, vel etiam pauciores Patres sufficiunt: si verò absit, quamuis multi, indubitatam fidem facere, vel certam regulam constituere minimè valebunt.

Noui præterea in humanis rebus nihil tam constans, & firmum reperiri, quod opinionum varietate flecti nequeat: illud tamen vnquam euenire non potest, vt, si Concilium rectè definiat, diuersam ab illo opinionem Summus Pontifex concipiat: vel illa confirmare nolit, quæ probè ab Episcoporum cętu decreta sint. Nam quòd res humanæ diuersis mutationibus, & opinionum varietati subiaceant, ex earum certè proficiscitur imbecillitate: quòd verò Summus Pontifex Sanctissimis Concilij definitionibus repugnare, vel veritati derogare nequeat, ex eiusdem veritatis Spiritus ingenti subsidio, & amplissimis Christi beneficiis, quibus ille fruitur, emanat. Ad Dei enim prouidentiā, qua Ecclesiam suam regit, & fouet, potissimùm spectat, humanam infirmitatem, ne tanta ædificij moles vnquam labatur, ita fulcire, & arcanis sapientiæ cælestis consiliis res Ecclesiæ ita gubernare, vt in factiones minimè diuidatur. Est autem non modò Generale Concilium, sed Petri etiam Cathedra veritatis Magistra, quæ Spiritus Sancti numine, non autem humano spiritu ducitur, cùm de Fidei mysteriis æquè, & legitimè deliberat. Quare qui Spiritum Sanctum sibimet aduersari non posse constanter asseuerat, fieri etiam non posse, vt alter quicquam ab alterius placitis alienum definiat,

finiat, necessariò fatebitur: cùm, qui eadem vi cœlitus impelluntur, & eodem spiritu incitantur, vt idem semper statuant, necesse sit: nisi cælestem illam vim, & Dei virtutem, atq. spiritum secum pugnare temerè dicamus. Romani etiã Pontifices, perinde, ac Concilia nihil contra Sacrarum Literarum Oracula statuere queunt: quia idẽ spiritus, qui Scripturam Sacram dictauit, Concilia & Romanos Põtifices moderatur, & numine fouet sempiterno.

Cùm tandem ad fidei dogmata sancienda, authoritatem, Fidei certitudinem, ac perpetuam veritatem Summi Pontifices ita susceperint, vt eam aliis delegare nequeant, quippe quæ Spiritus Sancti præsentiam includit, quæ ad gratias gratis datas reducitur, & ex Christi promissione Romani Pontificis personam consequitur; fit profectò, vt quamuis maior Concilij pars cum legatis, animis, votisque consentire videatur, nisi de Summi Pontificis sententia ea in re liquidò constet, cuius illa instructionem sequuta vnanimi consensione decretum condiderat, antequam à Romana Sede Apostolica confirmetur authoritate, certam fidem facere non posit. Potestas enim, quã aliàs ad definiendas de fide quæstiones, & Religionis dogmata constituenda Summus Pontifex Legatis impartitur, munus certè est iurisdictionis, quæ illam Fidei stabilitatem ab omni erroris periculo immunem, quam Summus Pontifex, aut, cui ipse interfuerit, Concilium possidet, minimè in se continet. Hæc quidem non singulis, sed soli Petro, & eius successoribus promissa est: cui Dominus dixit: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Quod non in Petri solùm fauorem, sed in Sedis etiam Apostolicæ dignitatem, amplitudinem, authoritatem & firmitudinem factum fuisse prisci Patres certò certius agnouere. *Luc. c. 22.*

His verò nequaquam aduersari mihi videtur, quod apud Ioannem Christum Dominum dixisse scriptum est: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis:* Fateor enim non singulis *Ioan. c. 14.*

ſeorſim tunc temporis, ſed in vnum collectis Spiritus Sancti præſentiam à Domino promiſſam fuiſſe: Verùm Petrus etiam aderat, cui potiſſimùm, tanquàm capiti, cuius in corpus totum infundere munus eſt, promiſſio facta fuit. Etenim, vt Chriſtus ceſſauit è nauicula Petri turbas docere, dixit Simoni: *Duc in altũ, & laxate retia veſtra in capturã.* *Et ſi alijs*, inquit Ambroſius, *imperatur, vt laxẽt retia ſua; ſoli tamen Petro dicitur: Duc in altum, hoc eſt in profundum Diſputationum.* Nauẽ Simonis Eccleſiam eſſe, cuius cura Petro eſt demandata, confitentur omnes: in qua licet retia plures Apoſtoli & Epiſcopi laxent: vnus tamen Petrus eam in altum ducit, & quicquid piſcium eſt captum, intra illius rete, vſque ad eiuſdem retis rupturam, incluſum eſt. Quos piſces vt ad terram facilius trahat, alij vocantur; & veniunt quidem illi in auxiliũ: Sed omnes ſunt cum Petro ſocietate coniuncti. Quanuis ergò Epiſcopi in ſolidum pro parte ſua Epiſcopali munere fungantur (cuius proprium eſt & fidem docere, & mores componere) atque in Concilijs de rebus fidei verè Iudices ſedeant: tamen ab vno Pontifice primo Chriſti Vicario, & vniuerſæ Eccleſiæ Summo Paſtore pendent: quemadmodum multi Solis radij ab vno eiuſdem corpore, atque multi arboris rami ab vna arboris radice producuntur & conſeruantur. Cùm enim vnicum ſit Solis lumen, ex eodem omnes radij Solis lucem accipiunt: & rami omnes eiuſdem arboris, quæ vnam duntaxat vegetantem vim habet, eiuſdem vegetantis virtutis participes fiunt. Quemadmodum igitur radij Solis à Sole, & ab arboris radice rami vim illam hauriunt, cùm alia ſit radicis, alia verò ramorum natura, & conditio, non enim rami radicem, ſed ramos radix alit: & quemadmodum riuuli ab vno fonte orti in vnum confluentes fluuium efficiunt, cùm tamen non diuerſa, ſed eadẽ ſit natura, & conditio aquæ tam fluuij, quàm fontis illius, vnde originem traxit, non fluuius fontem, ſed fons fluuium perenni aquarum curſu nutrit & conſeruat: Sic

Luc. c. 5.

etiam,

etiam, quamuis Episcopi nõ aliam Episcopatus naturam, sed eandem cum Romano Pontifice supremo omnium Pastore habeant: & illis, quia Apostolorum successores sunt, ritè in vnum coactis Spiritus Sancti fauorem, sicut etiam Petro, & successoribus illius, humani generis Reparator, cùm adhuc inter homines versaretur, promiserit: non tamen per eos Summum Pontificem vegetat, & confirmat: quin potius per communionem, quam cum illo habent, cui vices suas in terris demandauit, illos in fide firmos & stabiles reddit, vt promissio illa: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum,* in Petri successoribus & in Ecclesia adimpleatur, quæ certè Corpus Christi est ex capite, & membris perfectissimè compactum: contrà quam portas inferi, hoc est, aereas potestates & tenebrarum Phalanges nunquam præualituras idem Dominus fuerat testatus. Quoniam super hanc Petram, idest super hunc Petrum olim in fide roborandum ad confirmationem fratrum, ædificaturum se esse Ecclesiam suam Christus planè spoponderat. Cùm enim Ecclesiam propter hominum multitudinem, quibus illa constat, & ob singularem partium ordinem, atque diuinam Spiritus Sancti inhabitationem, sumpta à materiali templo Metaphora, Paulus sæpè domum Dei dixerit: eiusdem profectò Ecclesiæ propagationem sempiternam, gubernationem, & conseruationem rectè persistens in eadem Metaphora ædificationem appellauit. Cui Christus primarium Rectorem designare volens (illius enim hoc proprium munus fuit, qui caput erat Ecclesiæ) eadem Metaphorica loquutione vsus Petro inquit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Christum autem ædificare Ecclesiam suam suprà hanc petram, nihil aliud, quàm Christum ponere hanc Petram pro fundamento in ædificatione Ecclesiæ suæ priscis Patribus visum est. At illud, quod in ædificatione fundamenti loco esse debet, maximè opus est, vt sit fir-

Ioan. c. 14.

1. ad Timo. cap. 3.
2. ad Timo. c. 2.
Ad Hebr. c. 3 & 8.
2. Cor. c. 12.
Ephes. c. 2. & 4.
Matth. c. 16

ſit firmum & immobile, vt illi tota ædificij moles tutò innitatur: deinde, vt in ædificio primum locum teneat: denique, vt à nulla parte ſtructuræ, quamuis etiam ædificij pars illud ſit, pendere videatur: ſed ipſumet totius ædificij firmum ſit fulcimen. Si ergò in Petrum oculos coniiciamus, verè illum hanc eſſe petram, ſuper quam Chriſtus Eccleſiam ſuam ædificauit, comperiemus manifeſtè.

Ambr. ſermo. 47. *Petrus*, inquit Ambroſius, *petra dicitur, eo quòd primus in nationibus fidei fundamenta poſuerit, &, tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemque contineat*. Vt enim illi ſoli ante omnes alios dictum eſt: *Paſce oues meas*: & primus

Ioan. 21. Euangelij oſtium aperuit, atque Chriſtianam fidem tradidit: ita pro illius fide oratur, ne vnquam deficiat, vt fratres ſuos confirmet. Nam niſi Petrus ædificij huius futurus fundamentum fidei ſtabilitate à Chriſto fulciretur, qua totam Eccleſiaſticæ ſtructuræ molem, tàm columnas ipſas, quàm minutiores partes firmaret, non rectè profectò Eccleſiæ ſuæ exædificationi, quam in perpetuum duraturam præparauit, Saluator noſter conſuluiſſe videretur. Quamobrem, cùm reliqua omnia Eccleſiæ membra, tanquam alicuius ædificij partes, ex miniſterio Paſtorum, atque Doctorum inuicem cohæreant, & pendeant, quos in ædificationem corporis ſui Chriſtus in Eccleſia poſuit, ſolus Petrus aliorum miniſterio non exædificatur; quippè qui ab ipſomet Deo Patre non alterius miniſterio fidem edoctus eſt. Hoc ita ſapienter proſequi-

Epiphan. in Anchorato. tur Epiphanius. *Ioannes*, ait ille, *cùm à Filio didiciſſet, reuelationem ſuam ſcripſit: Petrus verò à Patre inſtructus eſt certitudinem Fidei fundaturus*. Mirabili igitur Sacramento Petrus Eccleſiæ fundamentum futurus Cephas appellatur, ideſt, Saxum grande, firma & immobilis rupes: necnō iure optimo pro illius fide orat Saluator noſter, vt quos ſuſtentare iuſſus erat, confirmare poſſet. Quare cùm Petri ſucceſſores, Romanos, inquam, Pōtifices, eadem, qua Petrum, non tamē eodem gradu, Fidei ſtabilitate ſummus ille Architectus

Chriſ-

Christus firmauerit, quippè qui perpetuæ Ecclesię suæ ex ædificationi perpetuum fundamentum iacere studuerat (vt alibi latius) apertè sanè vel ex hoc potissimùm cõstat, vt solius Petri, sic etiam successorum eius proprium futurum munus lites sedare, & iurgia, quę & sæpè orta sunt, & sæpius in Ecclesia oriri possunt, componere. *Propterea enim, inquit* Diuus Hieronymus, *inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto Scismatis tollatur occasio.* *Li. 1. aduer. Iouin.*

Rectè igitur collegisse mihi videor, minus cautè eos loquutos fuisse, qui æquam omnibus Oecumenicis Concilijs authoritatem tribuendam esse dixerunt: illa verò, quibus ipsi Romani Pontifices intersint, quæque præsentes ipsi moderentur & regant, aliquo modo antestare, vel fidei certitudine, & constantis veritatis firmitate illis, quæ Legatorum tantùm Apostolicæ Sedis illustrata sint conspectu, anteferri debere omninò negant. Quanuis enim, vt diximus, Concilia illa, quibus Legati de capitis sententia satis instructi intersint, &, in quibus seditio nulla orta sit, sed vnanimi consensione capitis cum membris Fidei dogmata definita fuerint, & ad vniuersæ Ecclesiæ decorem, morum efformationem præscripto legis Antistites præceperint, in ijs omnibus certam fidem faciãt: quippè quæ à vero aberrare nequeunt: cùm tamen Legati ad Concilium accedunt, à Sede Apostolica minimè edocti, huius Concilij Decreta & Sanctiones, antequam à Summo Pontifice confirmentur, certam fidem facere non possunt. Synodus enim, cui illius sententia absit, qui caput & Princeps omnium existit, absoluta, & omni ex parte perfecta dici nequit, neque etiam vniuersam Ecclesiam exactè potest repræsentare. Hinc (vt ex Maiorum gestis, & ex Ecclesiæ annalibus manifestè patet) in more positum est, vt Concilij Patres, cui per Legatos suos præsit Summus Pontifex, nihil, eo inconsulto, de Fide statuãt: quod nouissimè in sacrosancto Concilio Tridentino obseruatum fuisse aduertimus. Quamobrem Concilia omnia, quibus Summi Pontifices non interfuerunt, iure optimo ab Apostoli-

ca Sede confirmari quàm diligentiſſimè procurauere. Hæc quidem, vt eorum fides authoritate ſupremi Paſtoris firmaretur, ea enim Romani Pontificis dignitas eſt, vt firma, ac rata illa eſſe nequeant, in quibus grauiſſimum illius iudicium deſideratur. Nam quemadmodum vniuerſalis Eccleſia dici non poteſt, quæ capitis expers ſit, ita neque Eccleſiæ vniuerſalis iudicium illud, in quo vniuerſalis capitis ſententia abſit, cenſendum eſt. Illa verò, vt ad Fidẽ illuſtrandam luculentius conſtaret Chriſti Vicarium Conciliis ſumma conſenſione inhærere, nihilque ab Oecumenici Concilij Definitionibus alienum ſentire, ſed veram illam & incorruptam eſſe Fidem, quã tota Eccleſia, hoc eſt, caput ſimul, & membra tradunt, & docent, operam quidem & ſtudium impetrandæ confirmationi nauarunt. Quo nihil certè aut commodius, aut aptius ab antiquis Patribus fieri potuit, quã ea moderatione quaſlibet, vel minimas Conciliorum Sacratas Sanctiones ita peruulgare, vt arctiſſimam membrorum cum ſuo capite connexionem, hoc eſt, nihil diuerſum ab vniuerſali Concilio Romanum Pontificem ſentire, omnes planè perciperent. Vnde fit, vt Sacra Oecumenica Concilia legitimè congregata, ritè celebrata, atque Summi Præſulis Romani Pontificis ſententia, & authoritate corroborata, neque futuris temporibus aberrare poſſint: quæ ſæculis ante actis in tanta hæreticorum audacia, & calliditate, atque in tam tetra errorum caligine à verò nunquam vel minimum vnguem deflexere. Illis igitur nihil ſacratius, nihil in rebus humanis diuinius, nihil denique certius excogitari poſſe (quippe quæ familiari Spiritus Sancti procuratione gubernantur) quicunque ſanum ſapiat, prudenter colliget. In quorum fidem ipſum ego Lectorem teſtor: dum ad Prouincialium Synodorum authoritatem enucleandam, & aduerſariorum machinas euertendas noſmet præparamus.

LIBRI QVINTI FINIS.

ARGVMENTVM
LIBRI SEXTI.

QVemadmodum moris ſit ab exordio naſcentis Eccleſiæ quacunque de fide exorta controuerſia, vel excitata hæreſi, ne peſtis diutius graſſetur, Concilium Prouinciale, nonnunquam etiam Nationale, vel Epiſcopale congregari: quamque eorum deciſiones fidem faciant, exponitur. Hæreticorum argumẽta, quæ potius ſomnia & deliria ſunt, omninò refutantur. Quid de Apoſtolorum, & ſuccedentis Eccleſiæ in tradenda Doctrina inconcuſſa certitudine tenendum ſit: quid item illi de Legalium obſeruatione decreuerint: quæ de Cœlibatu cognitu digniſſima exiſtant: quale etiam Pauliniſtarum, & Cataphrygiorum Baptiſma fuerit; & cur in Nycæna Synodo dãnatum, explanatur. Berengarij confeſſio de Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento contra Hæreticorum calumnias accuratè expenditur, ac de

eiusdem Sacramenti Veritate aliqua appositè tractantur. Denique Sacri Concilij Tridentini synceritas ab Aduersariorum calumnijs, vt præsentis disputationis ratio postulat, & institutum nostrum patitur, strenuè vendicatur, & Ecclesiæ firmitudo & constantia, atque virtus semper inuicta, & in omnium oculis constituta ostenditur.

F. GREGORII NVNNII CORONEL ORDINIS EREMITARVM S. AVGVSTINI

De optimo Reipublicæ statu, LIBER SEXTVS.

QVI temporum historias intentis mentis oculis inspiciet, ab exordio nascentis Ecclesiæ (cum res id postulasset) reperiet, veluti optimum & præstantissimũ remedium, Episcoporum iudicium in Nationali, vel etiam Prouinciali, atque Particulari Concilio collectorum Ecclesiam cõtrà grassantes hæreses adhibere solitam fuisse. Indecorum enim fuisset ad singulos hæreticos conuincendos, vel condemnandos, eorumue dogmata extirpanda, ne, vt ali- CAP. I.

quando contigit, ſerpentino halitu, & vipereo morſu plurimos necarent, Generales Synodos congregari: cùm Particulares ſatis ſuperque eſſe viderentur. Graue etiam admodum extitiſſet, vt alibi diximus, ſi propter duos in fide carioſos toto in Orbe eſſent Eccleſiæ Sacerdotibus deſtitutæ. Neque verò Eccleſiaſtica Authoritate & amplitudine dignum fuiſſet ad cuiuſuis hæreſis repreſſionem (quod ad nominis ſui gloriam propagandam hæretici ſummopere ſolent affectare) Generales Synodos congregari: quas certè & illi parui æſtimant, & earum authoritatem fraudibus & calumniis pro viribus euertere conantur. Nam, vt alios omittam, Martinus Lutherus initio (ne omninò alienus ab Eccleſia Catholica videretur, vtque nominis ſui famam per omnes vniuerſi Orbis partes longè latèque diffunderet, quantò plus authoritatis Pontifici Summo detrahebat, tantò amplius Concilio tribuebat) ad Generale Concilium prouocabat: Generaleque Concilium aſſiduè poſtulabat. Quod tamen cùm accepiſſet indictum, continuò, arrepto calamo, librum compoſuit, in quo nihil eſſe opus Conciliis temerè & audacter perſuadere molitus eſt. Quare conſultò Catholica Eccleſia Generale Concilium, tanquam vltimum, idque præſtantiſſimum remedium, Particulare verò vt efficax nonnunquam ad errorum extirpationem, cogi, prout res poſtulauit, quàm diligentiſſimè curauit.

Particularia ergò Concilia, quamdiu capitis confirmatio non accedit, à vero quàm longiſſimè aberrare poſſe peritiſſimi quique viri annotarunt: deeſt enim illis ea Fidei certitudo, ſoli Petro, & eius ſucceſſoribus à Chriſto promiſſa; quam Generalibus etiam Conciliis plurimum authoritatis conferre præcedenti diſputatione multis cōprobauimus. Sed, vt rem hoc loco exemplis confirmemus, proponēdum eſt plures Synodos Prouinciales, quòd contempto, aut neglecto hoc capite, coierint, irritas proptereà fuiſſe: vt Carthaginenſe Concilium ſub Cypria-

Auguſt. lib. 1 cap. 18. de Baptiſ. cont. Donatiſt.

no,

nõ, neglecta authoritate Stephani Romani Pontificis contrarium decernentis: Antiochena quoque Synodus nonaginta Episcoporum tempore Iulij Pontificis Romani eadem de caussa rescissa fuit. His etiam accedunt Mediolanensis Synodus, Hilario Ecclesiam gubernante, & Seleuciana; vt apud Socratem videre est. Cùm tamen à Summo Christi Vicario, Diui Petri successore Concilia confirmata fuerint, in iudicio fidei à vero recedere non posse ipsa Summi Pontificis certa & inconcussa Authoritas ad Fidei lites componendas,& Ecclesiæ mores efformandos manifestè demonstrat. Ideoque in septima & octaua Synodis Patres conclamarunt se recipere & venerari localium etiam Conciliorum decreta: quæ ibidem Diuinitus adflata dicuntur. *Locales autem Synodos* (ait Theodorus Hierosolymorum Patriarcha in Synodicis literis) *non auersamur: sed magis amamus, amplectimur, & recipimus: earum etiam Diuinitus inspiratas Canonicas Constitutiones, correctiones, & vtiles earum legislationes summa obseruantia colimus*. Hanc Epistolam à septima,& octaua Synodis receptam & approbatam fuisse vtraque Synodus declarauit. *Regulas*, inquiunt, *quæ Ecclesiæ Sanctæ tam à Sanctis Apostolis, quàm ab Orthodoxorum Vniuersalibus, necnon & Localibus Concilijs traditæ sunt, seruare, ac custodire profitemur. Sed & omnes, qui Christiano censentur vocabulo, damnationibus, & iustificationibus, quæ per illas prolatæ sunt, Canonicè subijci decernimus*. Hucusque verba sanctissimorum Episcoporum in octaua Synodo collectorum tendunt: quæ sanè de illis Prouincialibus Conciliis, quæ Sedes Apostolica approbauit, sunt intelligenda; vnde omne robur, firmitas, atque certitudo illis creditur aduenisse. Quam Fidei enim firmitudinem, vt à vero aberrare non possint, ex sese non habent, ex Summi Pontificis confirmatione assequuntur. Iam verò in capite ad Abolendam, excommunicationis ligamine innodantur illi, qui per Romanum Pontificem, vel per Concilium Prouinciale hæretici fuerint iudicati. *Vniuersos* (inquit Lucius Tertius)

Socr. Eccles. hist. lib. 2. c. 5. & 15.
Idem lib. 2. 19. & 31.
Theodor.
Extra. de hær.

Tertius) *qui de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vel de Baptismate, seu de peccatorum Confessione, Matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter aut sentire, aut docere non metuunt, quàm sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, & obseruat, & generaliter, quoscunque eadem Romana Ecclesia, vel singuli Episcopi per Diœceses suas cum Concilio Clericorum, vel Clerici ipsi, Sede vacante, cum Concilio, si oportuerit, vicinorum Episcoporum hæreticos iudicauerint, vinculo perpetui Anathematis innodamus.* Nam quamuis Prouinciales Synodi, vel etiam Diœcesanæ ad constituendum Fidei dogmata authoritatem non habeant: hæreticum tamen hominem ob manifestã hæresim iudicare rectè possunt: quia definiendi de fide authoritate Iudices hæreticæ prauitatis pollere certissimum est. Ad quem finem Ambrosij ætate Concilium Aquileiense collectum fuit: non quidem, vt Fidei dogma aliquod conderetur; sed, vt Palladius quidam verus esse Arrij discipulus declararetur. Quod iudicium licèt non habeat eam solidam Catholicæ Fidei firmitatem, (quam Vniuersalium Conciliorum propriam esse diximus, tum quòd Vniuersalem repræsentant Ecclesiam, aduersus quam inferorum potestates nequaquam præualituras Dominus pronunciauit, tum quòd capitis authoritate munita sint, pro quo rogauit Christus, vt non deficeret à fide) ad excommunicandum tamen eos, qui in manifestã hæresim prolapsi fuerint, Prouincialia Concilia authoritate haud exigua valent. Quinimò de hæresi quoque, si res sit cognitu facilis, nec de ea sit inter Doctores controuersia, vnanimi consensione definire poterunt. De hæresi enim Pauli Samosateni Concilium Antiochenum olim iudicasse narrat Eusebius. Nam cùm iste abiectam & humilem nimis de Christo contrà doctrinam Ecclesiasticã haberet opinionem, illum nempè solùm communi natura esse cùm homine præditum, Dionysius Alexandrinus rogatus fuit, vt ad Synodum veniret: qui, quanquàm senectutem & corporis imbecillitatem causando adesse re-

Euseb lib 7. hist. c. 22. 23. 24

nuit, per Epistolam tamen Patribus, quā habebat de controuersia, sententiam aperuit. Cæteri autem Ecclesiarum Pastores contrà istum Paulum tanquàm pestem, & perniciem gregis Christi, itinere cum celeritate confecto, Antiochiæ in vnum conuenerunt. Ab his omnibus, diuersis tamen temporibus, vt tulit occasio, & persæpe in vnum collectis, in vnoquoque congressu orationes habitæ sunt, & propositę quæstiones cum hoc, de quo loquimur, Paulo, qui peregrinam suam & alienam ab Ecclesia doctrinā adhuc occultare & obtegere moliebatur. Tunc ab illis, qui eius errorem, & in Christum conuitium patefacere, & in apertum proferre omni studio elaborabant, in postremo conuentu Episcoporum contrà se conuocato, sui erroris, & peregrinæ opinionis perspicuè conuictus, & omnium consensu palàm condemnatus, ab vniuersa & Catholica Ecclesia, quæ sub cælo est, penitus exturbatus fuit. Conuenerunt vndique Episcopi, non tanquam ad rem dubiam definiendam, sed vt Lupum proderent, & ab ouili Christi eiicerent, & exterminarent. Hoc enim iudicium licet non sit adeò certum, vt à vero nequeat deficere: illi tamen, qui acquiescere renuerint, priuati homines meritò excommunicantur; donec Apostolica Sedes, vel Concilium Vniuersale aliter iudicauerit. Cæterùm dogmata verè dubia in huiusmodi Conciliis definiri posse ex mandato Sedis Apostolicæ, eorumque decreta firma haberi oportere, exemplo Concilij Arausicani secundi, & Toletani primi, tempore Leonis Primi, & Synodi Complutensis Sixto Quarto Ecclesiam Dei regente celebratæ liquidò apparet. Quorum profectò iudicium tunc omninò certam, & indubitatam fidem in rebus, quæ Fidei sunt, faciet, cùm eorum decisiones ad Romanum Pontificem delatæ fuerint, & ab eo approbatæ, atque confirmatæ: quod in Conciliis, Mileuitano, & Carthaginensi factum fuisse ex Augustino demonstratur. *August. epi. 90. 91. 92. 93.*

Concilia verò Diœcesana, quanquam potissimùm ad

cor-

correctionem, & instructionem Clericorum congregentur, vtque ad rectam Episcopatus administrationem, auditis singulorum sententiis, quæ expedire maximè videbuntur, leges, & decreta sanciantur, si tamen illud accidat, vt, vel ex mandato Sedis Apostolicæ, vel necessitate aliqua, compellantur de fide iudicare, eorum profectò definitiones probabilem fidem facient; & eò probabiliorem, quò maioris sint authoritatis, qui eiusmodi iudicio subscripserint. Iudicio enim, & sententiæ plurimorum sapientum vnanimi consensione definientium sine temeritatis nota nullus sese potest opponere: maximè, cùm Lucius huius nominis Tertius Pontifex Romanus, vt paulò superius citauimus ex capite ad Abolendam, huiusmodi Synodorum iudicium tanti æstimauerit, vt excommunicatos haberi voluerit, quos illæ hæreticos pronunciassent. Nam ad comprimendos, vel potius exsiccādos omnes scrupulorum, & quæstionum riuulos æquè de illis, quos Ecclesia Romana, ac quos Prouinciales, vel Episcopales Synodi hæreticos esse iudicassent, sententiam tulit: neque enim eius verba aliter exponi posse semper ratus sum. *Vinculo perpetui Anathematis innodamus, quoscunque eadem Romana Ecclesia, vel singuli Episcopi per Diœceses suas cum Concilio Clericorum, vel, Sede vacante, Clerici ipsi cum Concilio, si oportuerit, vicinorum Episcoporum hæreticos iudicauerint.* Probabilem igitur fidem facere potest Episcopalis Synodus, sed à Sede Apostolica approbata, tanquam certum medium, habenda est in iudicio fidei: accedit enim capitis authoritas, quod, cùm definit, à fide deficere nequaquam posse pluribus suo loco comprobauimus. Nullum tamen eiusmodi Concilium, præter Complutense sub Alfonso Carrillo Toletano Archiepiscopo habitum, in quo quidam Magister Oxomensis, quòd perperam de clauibus Ecclesiæ, & Pænitentiæ Sacramento sentiret, condemnatus fuit, & Toletanum primum, in quo Priscilliani caussa ex mandato Apostolicæ Sedis decisa est, authoritate Cathedræ

Cap. ad abolendam extr. de hær.

Sancti

Sancti Petri confirmatum ad hoc vsq. æui memoriæ proditum fuisse legimus.

Vtilissimum igitur & præstantissimum grauissimis Ecclesiæ incommodis remedium semper habiti sunt Sacri Episcoporum conuentus: adeò, vt illis siue de extirpandis hæresibus, siue de componendis moribus agi oportuisset, ex Orbe vniuerso (si rei magnitudo ita postulare videbatur) fuerint collecti. Si verò res tantum Episcoporū numerum non exigebat, ex Natione, vel toto Regno, aut etiam, quod sæpè factum est, ex singulis Prouinciis Episcopi congregabantur, qui excitatas lites sedare, & ortas controuersias componere definitionibus suis sedulò laborabant. Horum autem decretis etiam ante Romanæ Sedis approbationem sese opponere, temerarium, confirmatis verò repugnare, impium, hæreticumq. censemus. In his enim Concilijs, cùm rite congregata, celebrataque sunt, Apostolorum Canones elucent; Sanctissimorum Patrum vnanimis consensus apparet; quorum certè vestigijs in exponendis Diuinis Scripturis Concilij Patres insistere summo studio & pia animi contentione semper curarunt. Apostolis enim cælitus datum fuit, vt non solùm Ecclesiam fideliter moderarentur: Verùm etiam, vt populos sapientissimè instruerent; subtilissima quæque aperirent; arcanaque Diuinorum mysteria penetrarent, & Scripturas intelligerent; nihil denique quod ad Christianam Fidem, & animorum salutem pertineret, seipsos lateret; atque vt tam in tradenda doctrina, quàm in ipsa docendi forma certissima niterentur veritate; tum ad propagandam, & longè lateque diffundendam Christi sapiētiam, tum, vt Ecclesiæ Proceres, & Magistri, qui ipsis posteriores essent, ipsorum vestigijs inhærerent. Illi siquidē Fidem Orthodoxam per articulos distinxerunt, quos deinde Spiritu Sancto suggerente credendos Ecclesiæ tradiderunt: Sacram Scripturam composuerunt: Sacramenta denique, Deo fautore, promulgarunt: non quidem,

dem, vt successores aliquid simile aggredi tentarent; sed, vt omnia illa authoritate sua, respectu credentium, partim confirmarent, & Ecclesiæ traderent, partim, si quid ambiguum, vel difficile videretur, Christianis explicatum proponerent amplectendum. *Apostolorum itaque*, inquit Thomas Vualdensis, *authoritas fontana fuit: successorum translata, aut deriuata est. Natura tamen, ac substantia potestatis, ac certitudinis, eadem est Ecclesiæ nunc, & tempore Apostolorum: sicut fontis ac riuuli inde fluentis eadem est aqua, si bonitatem, & speciem inspicias illius.* Ita prorsus cùm hac nostra tempestate eadem sit Ecclesia, quæ Apostolorum tempore fuerat, eundem profectò directorem, ducem, ac præceptorem Spiritum Sanctum, in diuerso tamen gradu, eandem, vt ita loquar, formalem rationem veritatis, & synceritatis, eandem denique potestatem, & Fidei certitudinẽ illi esse necessariò fatendum est: si ipsius naturam, substantiam, & conditionem inspicere velimus.

De Doct. fid. li.2.c.24.

Hinc certissima via & ratio ad intelligendas Diuinas Scripturas est præscripta & decreta interpretatio Synodorum, tam Generalium, quàm Prouincialium, earum, inquam, Prouincialium, siue Nationalium, siue Generalium Synodorum, quæ successorum Petri authoritate approbatæ & confirmatæ fuerint. Iudicium enim de Fide, quod in Conciliis subsistit, circa exponendas Scripturas potissimùm versatur: quod ideò firmum, & certum tenemus, quia & interius suggerente Spiritu Sancto, & exterius intuitu regulæ Fidei, notissimæq. Ecclesiæ praxi, traditioni, atque consuetudini à Maioribus per manus Episcoporum acceptæ, & fidelium populis traditæ consentaneum sit. Quapropter contrà Sacrorum Conciliorum decreta hæretici nunquam præualere potuerunt: Arriani enim vel totos neruos intendentes consequi nequiuerunt, vt quod semel in Concilio Nicæno definitum decretumque fuerat, Vnigenitum nempè Dei Filiũ eiusdem esse substantiæ cum Patre æterno, rursus Ortho-

doxi

doxi in dubium verterent, vel Diuinorum Oraculorum interpretationem in Concilio præſcriptam immutandã ducerent. Vnde prudenter Athanaſius ad Epiſcopos Africanos ſcribens, Arrianorum verſutiam, fraudes, & dolos euincit; Sacrorum etiam Conciliorum in Fide ſtabilitatẽ, & firmitudinem ex eo demonſtrat, quòd illi contrà interpretationem Sacræ Paginę, ſeu verbum Conſubſtantiale, multis annis, vi, atque potentia ſumma, nullis non dolis, ac fraudibus egerint, & nihil tamen efficere potuerint. *Sed cùm plus*, inquit ille, *quàm decem Synodos de hac re inſtituiſſent, in ſingulis ſemper aliquid innouantes, nihil ſua vi, aut ſcribentes, aut delentes profecerunt, ignari interim, omnem plantationem, quam non plantauerit Pater Cæleſtis, eradicandam eſſe: verbum autem illud Domini per Oecumenicam Nicænam Synodum in æternum manere.* Ecce Athanaſius interpretationem à Concilio factam Verbũ Domini vocat: mutationes verò, & nouas expoſitiones ab hæreticis inductas plantationem dicit, quam non plantauerit Pater Cæleſtis. Non igitur (quod temerè Lutherani, & Caluiniſtæ, cæteræque verſutæ beſtiæ, vt populos decipiant, præcipiteſque dent, paſſim clamitant) Eccleſiæ traditiones, & ſiue ſcriptæ, ſiue non ſcriptæ interpretationes dicendæ, cenſendæue ſunt plantationes, quas non plãtauit Pater Cæleſtis, cùm illas potius appellari oporteat ipſum Dei Verbum, quod in æternum permanet: ſed illorum priuatæ expoſitiones, contrà Eccleſiæ Catholicæ decretum, cõtrà veros, ac genuinos Diuinorum Eloquiorum ſenſus, contrà Sedis Apoſtolicæ authoritatem, ab ingeniolis ſuis, tetra potius inuidiæ & prauitatis caligine obcœcatis, quàm Diuino aliquo lumine illuſtratis adinuentæ, ſunt plantationes, quas non plantauit Pater Cæleſtis. *Ideoque eradicabuntur*, ait Beatus Ignatius, *& tanquam ſpuria vitulamina altas radices non emittent, nec ſtabile fundamentum collocabunt.* Eſt enim veriſsimum, quod ſcribit Hieronymus, ſemper fluctuare errantium pedes: nec eſſe ſolida veſtigia, quæ contrà veritatem ſunt; ſed huc illucque diſcurre-

Athan. in Epiſt. ad Epiſc. Afric.

B. Ignat. epi. ad Trall.

Sapien. c. 4.

Hier. in 16. c. Ezech.

re,& omni doctrinæ vento circumferri, dum de falsitate transeunt ad aliam falsitatem. Et alibi explicans illud Esaiæ, *Multiplicasti fornicationes tuas cum eis.* *Hoc* (inquit) *de hæreticis possumus dicere, qui derelicto Deo suo sequuntur errores, & putant se aliquid plus habere, cùm sequentes mendacia, perdiderint veritatem, & multiplicauerunt fornicationem suam, non in vno dogmate, sed in pluribus.* Ita etiam apparet illud Propheticum in eos optimè quadrare: *In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* De qua alter Propheta scribit: *Fabricata es lupanar tuum in capite omnis viæ, & diuaricasti crura tuà omni trànseunti, & multiplicasti fornicationes tuas.* Annon prosternunt se hæretici in omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso, qui posteàquam semel à sponso Christo se diremerunt, & sponsæ eius Ecclesiæ membra esse desierunt, vt, cum perfractis pudoris repagulis, ac ruptis pudicitiæ claustris, datam ei fidem fefellerint, eã subinde mutent, simul ac vident collem aliquem sublimem, aut lignum frondosum, hoc est, aliquẽ, qui vel minimũ scientiæ, quæ inflat, speciem habere videatur, quique verbis ornatis & venustis ea, quæ praua sentit, edisserere queat, statim illi adhærẽt? Sanè, vt hinc initiũ dicẽdi sumamus, sublimis collis illis visus est Martinus Lutherus, & lignũ valde frõdosum: illicò sub eo sese prostrauerunt, & verbum eius, tanquã Dei Verbum adorarunt. Nõ ita multò post extitit Zuinglius, qui visus est illis collis etiam magis sublimis, ac mox sub eo quoque sese strauerunt, adeò, vt pro Dei Verbo eius vocem receperint. Tertius fuit sublimis collis Balthasar Pacimõtanus: Quartus Zuenckfeldus. Quorsum autem attinet cunctos enumerando recensere? Coram eorum quolibet se prostrauerunt, & Verbum cuiusque, tanquam à Deo prolatum coluerunt; & nunc ad hunc, nunc ad illum deflectentes omni transeunti crura sua diuaricauerunt. Quæ potest esse effrenatior libido, quæ profusior Venus? Disertè profectò Hieronymus, *In omnibus, ait, viarum principijs fabricatur lupanar*

Hieron. in c. 37. Esaiæ.

Hieron. c. 2. Ezech. 16.

Hiero. in Ezech. verb.

lupanar ſuum, qui ad peruerſitatem Doctrinæ teſtimonijs male vtitur Scripturarum: & dicit: hæc ait Eſaias, hæc dicit Oſeas, hæc loquutus eſt Moyſes, hæc Daniel. Et pulchrè, non in medijs vijs, nec in viarum terminis ponit lupanar ſuum, ſed in principio. Si enim ad ſcientiam, & profunda diuinorum venerit librorum, errare non poteſt. Et paucis interiectis, *Quicquid de Hieruſalem diximus, refer ad Eccleſiam animaſque credentium, quæ munera maritalia, aurum videlicet in ſenſu, argumentum in eloquio, & veſtimenta, quibus fæditas noſtra ac turpitudo velatur, dant amatoribus ſuis, magiſtris dogmatum peruerſorum.* Nonne eleganter Hieronymus his verbis hæreticos depingere videtur? Ita ſanè, adeò, vt nullus ſit, qui ex illius oratione non facilè percipiat, quæ ſit honeſta matrona, quæ contra mulier adultera, & impudens meretrix. Quotus enim quiſque eſt, qui non manifeſtè videat hominum iſtorum collectionem, procacem & impudentem meretricem eſſe, apud quos nullus eſt legitimus torus, ſed vagi ſunt concubitus (in qualemcumque enim libellum incidunt, talem fidem plerique profitentur) apud quos nulla conſtans confeſſio, nulli ſunt ritus perpetui, ſed in annos ferè ſingulos mutantur omnia, ita vt modò huic, modo illi ſectæ ſe tradant, nihilque apud eos ſtabile ſit, & diuturnum, nihil etiam apud magiſtros eorum, ſectarumque Principes conſtans, & perpetuum ſit? Contrà verò Catholicorum ſocietatem quis non agnoſcit valde honeſtam, caſtam, & pudicam eſſe matronam, quippè quæ poſt fidẽ datam in ſponſi ſui cubile neminem alium admiſerit? Hinc de hæreticis rectè intelligi poteſt, *Pſal. 11.* quod Regius Vates inquit: *In circuitu impij ambulant.* In vna enim eadẽq. ſentẽtia nequaquam perſeuerant. Idcircò eorũ doctrina altas radices figere, & ſtabile fundamentũ collocare nõ poteſt. Catholicæ verò Eccleſiæ ſapiẽtia, Apoſtolicæ Sedis veritas, Orthodoxæ Fidei & Religionis noſtræ firmitudo nullis vnquã aduerſariorũ arietibus proſterni, vel è ſuo loco deturbari poterit: quippe, quæ à Chriſto Ieſu ſuper firmam petrã exædificata, ſemper inuicta,

per-

permanet & immutabilis consistit. Impelli tamen potest, sed, vt diximus, prosterni nequit: agitari, sed nō submergi; oppugnari, sed non expugnari valet: cùm Deo authore cōsistat, cui quicunq. contradicit, sese illi opponit. Iam verò quis de Deo victoriam reportabit? Quis illo fortior? Quis sapientior? Hæc sunt, quæ hæreticos malè torquēt; quòd Ecclesiæ Catholicę vox, siue in consensu totius Orbis Christiani, siue in regula Fidei omnibus notissima, siue in doctrina legitimi Pastoris vnitatem retinentis, & ex communi fide docentis, siue in decretis Conciliorum, siue in probatorum Patrum consentiente sententia, siue denique in Iudicio Sedis Apostolicæ, non merè humana est, & de hoc mundo (vt Saluator noster Christus, & eius discipulus Paulus de humana sapientia loquuntur, quæ Dei spiritum non habet, sed, vel humanis tantùm legibus instituta, vel Conciliis constructa existit: sicut Philosophorum placita, Doctorum hominum priuata iudicia, Principum huius sæculi instituta, leges denique, & consuetudines humanæ, siue gentium aliquarum, siue vnius tantùm Ciuitatis) sed potius suo modo diuina: adeò, vt, quòd Ecclesia decidit, & iudicat in caussa Fidei, illud non pro humano, sed diuino decreto & iudicio à cunctis fidelibus sit amplectendum.

CAP. II. VErùm, vt iam, quid virium contrà nos habeant aduersariorum argumenta, cunctis innotescat; ad eorum machinas euertendas nosmet conferamus. Illud autem primo loco operæpretium erit considerare, quidnam Esaias, Osæas, Hieremias, & Ezechiel significare voluerint, quoties ipsi Prophetas, & Sacerdotes non improbitatis modò, sed ignorantiæ etiam & erroris arguunt. Caluinus enim non semel nobis obiicit horum Prophetarum sententias, & rationes, ad Pastorum Ecclesiæ authoritatem,
Esaiæ. 56. & iudicium demoliendum. Nam (inquit ille) Esaias vel Deo præcipiente, ait: *Speculatores eius cæci omnes, neque quicquā nouerunt: omnes canes muti, nec valent latrare: iacentes, dormient*

&

& amant dormitionem: & Pastores ipsi nihil sciunt, nec intelligunt. Osæas etiam, *Speculator*, inquit, *Ephraim cum Deo, laqueus aucupis, odium in domo Dei*. Similiter & Hieremias: *A Propheta vsque ad Sacerdotem quisque sectatur mendacium.* Et alibi: *Prophetæ mendacium prophetant in nomine meo*. Quibus & illud Ezechielis adiungitur: *Coniuratio Prophetarum in medio eius, sicut leo rugiens, & qui rapit prædam. Sacerdotes eius violarunt legem meam, & profanauerunt Sancta mea*. Vnde Caluini discipuli nullo modo se passuros dicunt tantam fidem Episcopis adhiberi, vt, homines cùm sint, qui & falli, & decepti secum alios in errorem possint ducere, eorum placita certissima & verissima habeantur, & quicquid ipsi in Conciliis statuunt, non pro humano, sed diuino decreto à cunctis fidelibus recipi oporteat.

Oseæ. c. 9.

Hierem. 6. & 14. cap.

Ezech. 22.

Inprimis non possum nō mirari versutum hominem, cùm diligentissimum Sacræ Paginæ interpretem se profiteatur, non animaduertisse frequentissimum in Sacris Literis esse, propter prauos nonnullorum mores, omnes reprehendi: contrà verò, quòd plerique rectè instituti laudabiliter vixerint, omnes commendari: nec frustrà id quidem. Tunc enim & scelerum obiurgatio & probitatis commendatio pluris fit, vehementiusque audientium animos penetrat, & commouet. Idcircò Paulus, cùm Philippensibus dixisset, *Omnes quærunt, quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi*, paucis interiectis ait: *Imitatores mei estote, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram: multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem, & flens dico inimicos crucis Christi.* Et cætera, quæ sequuntur in eandem sententiam. Si igitur, vt initio epistolæ proposuerat, Christum ex charitate quidam annunciabant, & secundùm præscriptum Apostoli ita nonnulli ambulabant, vt digni haberentur, quorum vestigiis Philippenses incederent, quid est, quod Apostolus cunctos dicit, quæ sua sunt quærere, nisi quòd suo quodam modo, idest per figuram intellectionis, omnes, quæ sua essent, quærerent? Non igitur Propheta-

Aug lib. de vnit. Eccle. c. 22.

Ad Philip. c. 2 & 3.

phetarum illa testimonia eò nos adducere poterunt, vt vel inuiti, quod Caluinus moliebatur, fateamur, Pastores, & Sacerdotes, & Prophetas Testamenti veteris aliquando omnes simul mendacio, & sceleri obnoxios extitisse: quamuis plerique illorum iniquitati & auaritiæ studuissent. Prætereà cùm nos non singulos Episcopos seorsim, & diuisim, sed simul collectos, & Petri successoris authoritate munitos ita audiendos esse dicamus, vt certa fides illorum decretis, & decisionibus necessariò sit adhibenda, quid est, quòd ad euertendam Sacrorum Conciliorum authoritatem nobis obiicit Caluinus, quæ ij Prophetæ, non in Sacerdotum & Pontificum, vel Prophetarum conuentus, sed in ipsos Pastores, & Prophetas, qui seorsim & diuisim populum seducebant, Deo imperante, iactabant? Alia certè ratio habenda est Pastorum in Concilio publica authoritate congregatorum, & qui Dei nomine inuocato, multisque Deo precibus adhibitis, quæstiones quàm diligentissimè excutiunt: alia verò eorundem dispersorum, &, qui, dum in locis quisque suis resident, proprio iudicio ducuntur. Quare eadem scriptura, *Deut. 17.* quæ tam frequenter in Pastores malos inuehitur, & à falsis Prophetis cauendum esse monet, illos, qui aliqua de re dubitant, ad Concilium Sacerdotum mittit, præcipitque eis, vt id obseruent, quod dixerint illi, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus. Nec præterea omnia, quæ in Diuinis Literis aduersus Prophetas, & Sacerdotes veteris Testamenti scripta reperimus, ad Euangelicæ Legis Sacerdotes, & Præsules, in Concilio præsertim congregatos transferri fas est. Ampliores enim Dei promissiones Christi Ecclesia, quàm antiqua & vetus Synagoga, cœlitus accepit. Nam quomodo Paulus Ecclesiam *S. Tim. c. 3.* Dei viui Columnam, & Firmamentum veritatis appellasset, si his amplissimis illam subsidiis, atque certissimis Christi promissionibus fultam esse dubitaret? Qui in Conciliis Episcopi colliguntur, vt aliquid de Fide constituant,

ho-

homines esse ingenuè fatemur: illorum tamen mentes Spiritus Sanctus cælesti virtute firmat, & splendoris radiis illustrat. Hinc Ecclesię iudicium, vocem, & doctrinam, etsi hominum ministerio exhibitam, quia tamen homines illos Deus misit, & hanc illis potestatem detulit per seipsum, perque Sacramentum à se institutum, non humanam, sed diuinam, vtpotè ab illa potestate scaturientem, dicimus. Si igitur à Deo manat, & per ipsam Dei proximam ordinationem Ecclesiastica potestas instituta, diuinisque præsidiis munita est, atque Spiritus Sancti numine consistit, quem Sanctissimum Paracletum Christus Spiritum veritatis appellauit, vt omnem ab Ecclesia, cui ille præest, suspicionem amoueret, & apud omnium animos testatum relinqueret, perniciosè eos falli non posse, qui Ecclesiæ Catholicæ ductum sequuntur, quam veritatis author sanctissimè instituit, & quam fideliter tuetur; quid callidi isti calumniatores contrà Sanctissimorum Præsulum Sacros conuentus insania commoti eos homines esse obiiciunt, cùm firmitudinem illam Fidei, & doctrinæ certitudinem, ac veritatis stabilitatem à Christo promissam conseruent, illorumque Conciliis, atque definitionibus spiritus veritatis, qui Christi Ecclesiam moderatur, præsens adsit, cuius cælesti afflatu excitatas de Fide controuersias prudentissimè dirimunt. Non tamen Ecclesiam, quæ Apostolos subsequuta est, in decidendis Fidei caussis sola & directa Spiritus Sancti admonitione vti dicimus (nullo enim labore præstito, nullaue rei discussione veritatem omnem cognoscere Prophetis quondam, & Apostolis proprium fuit, quibus Saluator noster dixit: *Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*) sed rei quā diligentissima examinatione, & causæ meritis expēsis, matura Diuinarū Literarum lectione, atq. meditatione Summorum Pontificum & Sacrorum Conciliorum decretis,

Matth. 10.

Sanctiſsimorum denique Patrum ſententiis rectè perpẽſis, interius verò Spiritus Sancti afflatu corroboratos, & cælesti virtute præditos, & à Diuino Numine instructos Ecclesiæ Magistros, & Præſules de ſumma rerum acturos, ad veritatis, & cauſſarum controuerſarum cognitionem, atque Fidei ſanctiones accedere ſolitos ſemper fuiſſe tradimus. Cæterum fieri non poteſt, vt niſi his ordinariis mediis contemptis in errorem aliquem Reip. Christianæ exitioſum præcipites ſe dent Sanctiſsimi Præſules rite in vnum coacti. Hoc enim ad æternam Dei prouidentiam, qua Eccleſiam ſuam moderatur, & tuetur, maximè ſpectat: qui, cùm rectiſsimè diſponat omnia, & finem, & quæ ad illius conſequutionem neceſſaria media habentur, ſapientiſsimè prouidere conſueuit. Quemadmodum, quos ad gloriæ conſummationem perducere constituit, eiſdem bonarum actionum gratiam, quibus illam conſequantur, prouidè, benignèque largitur. Aeternæ namque prædeſtinationis effectus in prædeſtinatis ſunt, non ipſa ſolùm ſempiternæ vitæ felicitas, ſed etiam ad Euangelicam Fidem, & diſciplinam vocatio, reconciliationis gratia, perſeuerantiæ donum, cæteraque omnia ad beatitudinis æternæ conſequutionem prorſus neceſſaria. Nam *diligentibus Deum* (inquit Paulus) *omnia cooperantur in bonum, ijs, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti: quia quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & magnificauit.* Ita penitus promiſsionis illius, quam à Christo ſponſo ſuo Eccleſia accepit, ſtabilitatis, Fideique firmitudinis proprius effectus eſt, vt in omnem veritatem illius paſtores inducantur: ita tamen, vt cælesti Spiritus Sancti virtute, & ſplendore dotati illis ordinariis mediis vtantur, quæ ad veritatis cognitionem adipiſcendam neceſſaria ipſa Eccleſiæ conſuetudo, & celebrandorum Conciliorum norma à Sanctis Apoſtolis accepta docet, atque declarat.

Rom. c. 8.

Hæc

Hæc enim externa ſunt pręſidia, quibus Eccleſię firmitudo, & in definiendis rebus Fidei inconcuſſa veritas conſeruatur: quæ ſanè idem veritatis ſpiritus, qui Chriſti ſponſam moderatur, atque ab omni corruptionis macula remotam ſeruat, contemni, cùm de Fide aliquid ſtatuendũ eſt, nequaquam patitur, neque vnquam patietur. Et ideò Paulus *Sufficientia* (inquit) *noſtra ex Deo eſt, qui idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti.* Ad ſummam enim, æternamq. 1. Cor. 3.c.
prouidentiam, atque admirabilem Dei ſapientiam, qua Eccleſiam ſuam ædificauit, regit, & ab hoſtium incurſibus tuetur, maximè ſpectat, eam ſaluam ſemper, & incolumem, atque inuiolatam conſeruare, & non modò finem, ſed quibus ad finem feliciter conſequendum perueniatur, neceſſaria media conferre: cùm hoc ipſum in ijs, quæ naturaliter fiunt, vſuuenire, ipſorum euentuum experimento manifeſtè appareat. Spiritus igitur Dei, qui & Eccleſiæ Spiritus eſt, quo animatur, fouetur, regitur, & conſeruatur, non patietur vnquam, vel Summum Eccleſiæ Præſulem, & Summum Paſtorem, vel Eccleſiæ Principes rite in vnum congregatos, ſpretis mediis in cauſſæ diſcuſſione adhibẽdis, temerè à veritate aberrantes de Fide contrà ipſius Fidei normam definire. Quorum lapſus, vt Eccleſiæ ſtructuram deiiceret, atque obrueret, ita profectò non ſine Diuini Numinis dedecore Chriſto fabricatori imputaretur: quòd non ita Eccleſiæ ſuæ rationibus proſpexiſſet (cui ſe nunquam defuturum promiſit) vt Patrum corda, qui de illius ſalute conſultarent, ſecundùm eius neceſſitatem moderatus eſſet: quin potius, cùm Eccleſiæ perſonam induerent, in communemque cauſſam incumberent, à Spiritu cæleſti deſerti forent. Abſit hoc de Chriſti bonitate, ſapientia, ac diuina procuratione, qua ſponſam ſuam fouet, temerè ſuſpicari.

Cùm ergò Sacra Oecumenica Concilia diuinis præſidiis & promiſsionibus nullo modo priuari poſsint, quominus ſanctiſsimo afflatu perfundãtur, cùm etiam, quo-

ties de Religione quæstio existit, Theologi primò summa quadam auiditate inflammati, deinde Patres Sacra Oracula, atque veterum placita inuestigent, singulari studio, & diligentia veritatem indagent, aduersariorum autem sententias candidè & syncerè referant, eorumque argumenta accuratè, & exactè expendant, neque tantam diligentiam quicquam latere, neque aduersarios pro se aliquid amplius dicere posse arbitramur.

Quamobrem satis ego mirari non possum hæreticorum argutias, ingenij acumen, & in disputando solertiã, qui propter ea, quæ paucis quibusdam acciderunt aliquandò, aut etiam nunc accidere possunt, Vniuersalis Concilij authoritatem aspernantur. Ita enim Chtistus Iesus Generalium Conciliorum moderatorem se cõstituit, vt Spiritus Sancti afflatum, quo in illis ea, quæ vera sunt, decernuntur, & latens veritas, tanquam è tenebris eruta, clarissima definitione explanatur, singulis Ecclesiæ Præsulibus & Doctoribus, priuatim, vt iam superius patuit, nequaquam promiserit. Non ergò mirum videri debet, si Generalia Concilia in ijs rebus haud errare possint, in quibus Episcoporum quilibet (Romanum Pontificem semper excipio) falli ac decipi potest: sintq. omnes vnum in locum legitimè congregati ab illis erroribus exempti, in quos eorum singuli delabi facilè possunt. Nam si vetera memoria repetamus, in omnibus ferè Cõcilijs aliquos extitisse Episcopos & Doctores, ingenio & facundia præstantes reperiemus, qui, Euangelij repudiata syncerirate, audacter, & temerè illorum partes egerint, quos Concilia damnandos susceperant. Vix tamen horrendum aliquod & portentosum hæresis monstrum, recensendo singula, inuestigabimus, quod illorum aliquos, qui docendi officium Ecclesiæ præstabant, non miserè dilacerauerit, & crudeliter interemerit. Ab illis enim Christi Ecclesia maximam semper calamitatem accepit, quorum officijs & vigilantia, non solùm à calamitate, sed etiam ab illius

metu eam defendi oportebat. Nihil tamen vnquam post hominum memoriam de authoritate, quam Sacris Oecumenicis Concilijs Deus ipse impartitus est, illorum vel Doctorum, vel Antistitum perfidia detraxit. Neque Episcoporum sacratissimos conuentus prisci Sapientes, quorum doctrinam, & sanctimoniam literis proditam non immeritò admirantur posteri, aliquando aspernati sunt: quanquam clarissimè conspexerant quàm multos demandati sibi à Christo muneris adeò oblitos, vt non modò ad hæreticorum castra conuolauerint, verùmetiam iisdem armis Ecclesiam oppugnauerint, quibus illam debuerant tueri. Nam quid aliud fuisset, propter nonnullorum immanissimum scelus celeberrimos omnium Episcoporum conuentus despicere, quàm à Christi, ab Apostolorum & totius Ecclesiæ (quàm in legitima Episcoporũ collectione ad viuum exprimi demonstratum est) vsu & consuetudine abhorrere, eiusque integritatem flocci pendere, pro qua parati fuerant vitam profundere?

Nec autem obstat Ecclesiarum Præsules etiam in vnũ rite congregatos, cùm de Fide decernunt, mediis, & documentis interdum Diuinis, interdum etiam humanis, & modo, & studio, atque industria prorsus humana vti consueuisse. Nam licet ij, non, vt Prophetæ, & Apostoli, ex immediato Spiritus Sancti loquantur afflatu; tamen, non, quemadmodum Philosophi, sola ratione ab humani ingenij viribus petita, aut eorum, quæ naturaliter accidunt, experientia, tanquam regula, aliquando vtuntur: sed ita ratiocinantur, & aliud ex alio colligunt, vt quoad media, sapientes quidem homines agant: ita verò concludunt, vt sese Diuinis præsidijs munitos, & Spiritus Sãcti afflatu ductos, aliter, quàm secundùm Orthodoxam Fidẽ, & veritatem, statuere, & definire minimè potuisse declarent. *Visum enim*, inquiunt illi, *est Spiritui Sancto & nobis*. Quo fit, vt eorum doctrina, si media spectas, discursiua, vt ita loquar, sit: sed si cõclusiones inspicias, Prophetica iure optimo cẽseatur. *Act. c. 15.*

Hinc

CAP. III. HInc ergo, quale discrimen sit inter Apostolos & succedentem Ecclesiam, facile intelligi & explanari potest. Nam sicut Sacri Scriptores non solùm, quod ad solidum fundamentum rerum gestarum potissimum spectabat, sed etiam circumstantias fideliter scripserunt, hoc est, non solùm quid, sed quo quidque animo, quo tempore, quamdiu actum fuerit, certissima veritate in scripturā retulerunt, adeò, vt nec memoria lapsi fuerint, nec etiam vel de minima re dicentes, à verò aberrauerint: ita quoque Apostoli, quos Deus ipse per se edocendos susceperat, non modò, quoad doctrinam ipsam, quam tradebant, verùm etiam, quoad formam & modum docendi certissima veritate nitebantur. Quod proculdubio Deus primis illis Ecclesiæ Magistris, & Spiritus Sancti Amanuensibus peculiare esse voluit: cùm ad maiorem commendationē, & propagationem nouæ tunc temporis doctrinæ Euangelicæ, tum, idque potissimùm, vt Magistri posteriores non tam nouas ab Spiritu Sancto admonitiones expectarent, quàm Maiorum suorum, maximeque Apostolorum vestigijs, & semitis, firmiter, & tutò insisterent. Vnde cùm primi illi Magistri ex priuilegio Diuino, quasi ad artem, & prima sua Principia vniuersam Christianam Religionem reducentes, Fidei articulos de nouo condiderint, & Ecclesiæ credendos tradiderint, Sacramenta promulgauerint, & Canonicam scripturam sempiternæ hominum memoriæ prodiderint: id ipsum facere Apostolorum successoribus minimè licet. Illorum tamen duo potissima sunt munera. Primum quidem hæc omnia, si credentium multitudinem inspicias, authoritate sua confirmare, & fulcire, & Ecclesiæ perpetuò consignare: ne qua vnquam fidelibus populis turpis lapsus occasio relicta esse videatur. Alterum verò, si quid in dubium reuocetur, ne populus ancipiti cogitatione distractus, quæ ad Religionem Christianam præcipuè attinent, parum certa iudicet, & in scopuloso, difficilique loco versetur, posterorum Ma-

gistrorum munus est illud aperire, & explanare. Solent enim nonnunquam, qui res omnem humanum captum exuperantes humani ingenij viribus assequi nituntur, id, in quo dubium non est, argumentando dubium facere. Quamuis ergo successorum Ecclesia per Episcoporum perennem successionem, vna, eademque sit cum Apostolica propriè dicta, non tamen in se & per se cudit, sed ea duntaxat, quæ credenda sunt, tradit. Non quidem, quod hæc illi potestas desit: sed quia, cùm iam ea per Apostolos prius perfuncta fuerit, eandem denuò exercere, nec opus est, nec oportet. Nam quemadmodum senes illa animi vi, qua viuitur (& à Philosophis minus tersè vegetatiua dicitur) præditi sunt, quippe quam, cùm potentia quædam animæ sit, à senibus abesse nullus sapientum vnquam existimauit; illa verò soli nutrimento, non autem amplius augmento incumbit; & sicut, nulla ex materia, nouas creaturas quotidiè producēdi Deo potestas est, quod tamen ille nequaquam efficit; ita sane succedens Ecclesia eandem, quam Apostolica illa primæua, potestatem habet, quam tamen modò non exercet, quia per Apostolos ipsos tunc temporis satis superque ea vsa est. Quo fit, vt iam nunc illa testem potius credendorū, quàm authorem agat. Cùm ergò Apostolorum authoritas, scaturigo, & fons perennis fuerit, succedentium verò translata, & deriuata sit; natura nihilominus, ac substantia potestatis, & certitudinis in docendo eadem est succedentis, quæ primæuæ Ecclesiæ fuit. Nam si ex fonte, & riuulis inde fluentibus, speciem & bonitatem aquæ inspicias, eandem profectò vtriusque esse reperies; nisi forte aliunde extrinsecus immutetur; quod tamen in re, de qua agimus, euenire nequaquam potest. Eundem enim Spiritum Sanctum Magistrum successores habent, quem Apostoli ipsi habuerunt; in alio tamen (sicut à nobis expositum est) & diuerso gradu.

Ex his manifestè patet de succedentis Ecclesiæ in do-

cendo

cendo certitudine,& omninò immutabili veritate ſatis ſu perque à nobis dictum eſſe: cùm, quoad ipſam Fidem cōmendandam & conſeruandam, ab Eccleſia illam fidelibus populis fideliter tradi demonſtrauerimus, tanquam veritatem à Maioribus acceptam, vel tanquam ſaporem, quem à fonte ſuo ſumma cum auiditate hauſit, præter quem, fieri non poteſt, vt ſapiat: cùm ſit eadem aqua minimè vnquam immutata. Quod verò ad res dubias enodandas, vel latentem veritatem aperiendam (cùm opus eſſe videbitur) præcipuè attinet, (cùm illa concluſiones certas,& indubitatas eliciat) non amplius de mediorum certitudine & vi argumentorum diſputare oportet. Quāuis enim illa per ſe interdum minus efficacia cenſeantur; ad declarandum tamen apta,& idonea exiſtunt; atque ad hoc præſtandum ſemper aſſumuntur. Anne à ſuccedente Eccleſia aliquid amplius deſiderari poteſt? Minimè gentium. Nam ad perficiendum etiam præclarè inchoatam exædificationē, tanta ſapientia indiget architectus, quantā ad extruendam à primis initiis & fundamentis neceſſariam ſibi exiſtimauit. Iam verò operi inchoato, ferè tamen abſoluto poſterorum Eccleſia tanquam ſummum faſtigium impoſuit. Nam Chriſtianæ Religionis & Fidei Orthodoxæ ab Apoſtolis prius iactis fundamentis, miro quodam artificio ſuccedens Eccleſia totam conſtructionem fabricauit: Apoſtoli ſiquidem, quod attinet ad Iudæorum populum, meſſuerunt, quod non ſeminauerant. *Alij enim laborauerunt*, ait Saluator noſter, *& vos in labores eorum introiſtis*. Hoc eſt: Miſi vos ad metendam ſegetem, in cuius ſatione nullos labores ſubiiſtis: ſed alij ante vos laborauerunt, nimirum, Patriarchæ, & Prophetæ, qui agricolarum functi officio, grauiſsimos pro hac futura meſſe perpeſſi ſunt labores, dum rudes hominum animos, & à veritate alienos ſumma diligentia, ſingulari ſtudio,& aſſiduo labore, veluti arando, ſerendo, lolium euellendo, ad recipiendam Euangelicam doctrinam parauerunt: Vos autem

Anon

Ioan. c.4.

autem in labores eorum ſucceſſiſtis, miſſi ſcilicet, vt, quæ ab ipſis inchoata ſunt, & laborata, ſedulò peragatis.

Quamuis autem apud Matthæum idem Saluator noſter aliter, ad iudicandum nempe hoc ſæculum, meſſis Metaphora vtatur, vbi Angelos meſſores eſſe dicit, qui collectum ex vniuerſo mundi huius agro dominicum triticum metent in horreum Regni cælorum; apertiſſimè tamen apud Ioannem fidelium collectionem meſſem appellauit, cuius meſſores, ipſe cumprimis, deinde eius Apoſtoli deſignati fuerant: quippe qui Euangelicæ doctrinæ falce iam paratos populos reſecantes minimo ſæpe negotio in horreum Dei collegerunt. Nec ab re tempus vtriuſque aduẽtus Chriſti tempus meſſis vocatur: ætas enim meſsis tempus eſt fructuum conſummationis. Sicut autem in nouiſsimo aduentu erit conſummatio ſæculi, ita in primo fuit plenitudo temporis à ſempiterno Parente definiti, vt parati iamdiu homines doctrina imperfectiore, per Euangelicam veritatem vndique exquiſiti, accerſiti, & collecti in horreum Domini aſportarentur. *Sic enim,* inquit Leo Magnus, *congruebat illos populos erudiri, vt quæ reuelata non caperent, obumbrata ſuſciperent: & maior Euangelij eſſet authoritas, cui tot ſignis, totque miraculis, atque myſterijs Veteris Teſtamenti paginæ deſeruiſſent.* Hinc arbitror Chriſti tempore ideò dici regiones albas ad meſſem fuiſſe, quod eſſent populi circumciſi, præ Gentium nationibus Propheticis prænunciationibus inſtructi, atque præparati ad ſuſcipiendam ſacrati Euangelij doctrinam. *Ecce dico vobis,* ait Chriſtus Diſcipulis ſuis, *leuate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, vt, & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit. In hoc enim verbum verum eſt; quia alius eſt, qui ſeminat, alius, qui metit.* Cùm enim Samaritanorum animos promptos, & alacres Chriſtus proſpexiſſet ad ſuſcipiendam Euangelicam doctrinam, inde, ſumpta occaſione, voluit, vt ſui quoque diſcipuli diligenter aduerterent, & Ioan. c. 4.

mentis oculis intuerentur, quàm essent cæteri populi, in quibus per Mosen & alios Prophetas semina quædam Euãgelicæ veritatis iacta fuerant, ad recipiendum Euãgeliũ parati. Iam verò, sicuti Apostoli, si ad Iudæorũ populum respicias, messuerunt, quod non seminauerunt; ita certe, si Gentes, & vniuersos totius Orbis populos spectes, plantauerunt quidem: successores autẽ culturam extrinsecus adhibuerunt. *Ego*, inquit Paulus, *plantaui*, idest, Euangeliũ annunciãdo vos ad fidem conuerti, *& Apollo rigauit.* Hoc est: Ille, vtpote Episcopus vester, imbre sui Eloquij, postquam in fide fundati estis, vestrorum cordium intima rigauit. Hæc Anselmus. Paucis autem interiectis ait idem Apostolus. *Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, vt sapiens Architectus fundamentum posui. Alius autem superædificat.* Prosequitur Anselmus: *Secundùm Apostolatum à Deo gratis mihi datum posui in ædificio vestræ mentis fundamentum, idest, fidem Christi: & hoc, vt sapiens Architectus, idest Princeps ædificij, qui fundamentum domus ædificandæ ponit in loco firmo ex firmis & quadratis lapidibus. Iuxtà enim traditionem Saluatoris euangelizaui fidem: quod est iuxta exemplar & disciplinam authoris fundamentum collocare. Superædificat autem, quisquis prædicationem Apostolorum superueniens Doctor prædicat.* Hactenus Anselmus. Rectè ergò Apostolorum doctrinam bonum illud semen fuisse dicemus, quod seminatum est in agro Dominico, quæ est Ecclesia, & crescit vsque ad messem. *Et illud Verbum Euangelij, quod peruenit ad vos,* inquit Paulus ad Colossenses scribens, *sicut & in vniuerso mundo est, & fructificat, & crescit.* Augetur autem propagatur, & vberiores fructus fert semen istud locupletius factum non in se, sed in susceptione credentium, nec aliqua nouitate mutatum, sed maiori luce, & explicatione adhibita, magis magisq. illustratum. Quod sanè proprium & peculiare Fidei Christianę esse Basilius, Augustinus, & Tertullianus disertissimis verbis docuerunt. Quamobrem, cùm ad seminandum, & plantandum Euangelium Christi, atque ad Christianæ Religionis funda-

1. Cor. c. 3. — *Matth. c. 16* — *Ad Coloss. c. 3.* — *Basil. ep. 79.* — *August. de vnit. Eccles. c. 15.* — *Tertull. de præscr.*

damenta iacienda non modò labore summo, & singulari quodā studio, verùm etiam omni sapientia, omnique certitudine opus fuisset, è re Christiana esse maximè videbatur, vt Apostoli illa sapientia pollerent, & vsque adeò diuinis præsidiis fulcirentur, vt non modò conclusiones certissimas elicerent: verùm etiam ijs mediis vterentur, quibus nec falsum subesse posset, nec vis vlla ad concludendum deficeret; essentque illi, tam in mediis quàm in fine, constantissimæ veritatis Magistri, atque Doctores. Sed quoniam ad conseruandum prius tradita, ad rigandum, quod plantatum est, ad fouendum, quod fuerat iam in lucem proditum, ad superædificandum iactis fundamentis, &, vt vno verbo dicamus, ad metendum, non tam præclara, &, exacta sapientia indigent illi, quibus hoc opus demandatum est, sed satis habent si semel sibi traditis acceptisque à Maioribus fideliter & diligenter insistant. Nemini sane mirum videri debet, si posterorum Ecclesia nō tanta certitudine aliquando dirigatur in mediis, quanta in eliciendis cōclusionibus vtitur. Quemadmodum enim Philosophi eorum, quæ naturaliter accidunt, æquissimi æstimatores, vt doctrinam suam nullo nonnunquam, aut saltem minimo negotio tradant, & persuadeant, prius quædam principia, & axiomata singulari industria elaborata, tanquam fundamenta, iaciunt, ex quibus, quæ aliàs difficillima essent explicatu, facilè deducunt: ita Apostoli, qui primi fuerunt instituti populorum Magistri, vniuersæ Christianæ Religionis fundamenta posuerunt, vt successores non iam in exquirenda & edocenda noua doctrina defatigarentur; sed in aperiendam, & declarandam, quam illi tradiderant, toti incumberent. Ad explicandum autem, quod in semine Fidei latet, & ad colligendum vnum ex altero, non tanta argumentorum certitudo exigitur, quanta ad rem penitus ignoratam de nouo explorandam, & edocendam opus est. Quo fit, vt cùm Apostoli non solùm in Christiana disciplina traden-

da, ſed etiam in methodo & modo tradendi certiſſimæ veritati innixi fidei fundamēta optimè poſuerint, eorum ſucceſſores facilius latentem veritatem aperiant, & quæ in dubium reuocata fuerint, nullo negotio explicent; explicata verò Chriſtianis omnibus credenda, & amplectenda ita certò proponant, vt eiuſmodi doctrinæ nullo modo falſum aliquid ſubeſſe poſſit: quamuis nonnunquam ad id concludendum, quod tradunt, argumentis forte minus validis, & mediis non omninò neceſſariis vti uideantur.

Præterea cùm Chriſtus Eccleſiam, quam ſibi ſponſam præparauerat, mirificè conſtruxit, legibus ſanctiſſimis, & à nemine mortalium vnquam abrogandis exornauit, fauoribus eximiis, & priuilegiis nulli anteà conceſſis cumulauit, præſidiis firmiſſimis omni ex parte quàm ſolidiſsimè muniuit, quam, amabo, in illa ſcholam tam præclarus, & eximius Magiſter aperuit? Fideine, an Scientiæ? Fidei certè, quippe qui diſcipulos ſuos in vniuerſum orbem miſſurus annunciandæ Euangelicæ legis cauſſa, ita eos docere iuſsit, vt tamen docendi munere, non probando, aut diſputando, ſed concionibus ſuis teſtificando, ſacroſanctam, & ad ſempiternam ſalutem conſequendam apprimè neceſſariam Euangelij veritatem fungi deberēt. Hinc ergò Eccleſia non ex arte, ſed ex authoritate ſemper docere viſa eſt: non enim de Deo, & rebus Diuinis tanquam ex Theologica ſcientia concludit; ſed Paſtorali poteſtate cælitus in Summum Pontificem collata rite decernit.

Quòd ſi Principi ſæculari, & cuiuis Legiſlatori præcipienti omninò parendum eſt, adeò, vt licet cauſſas, & rationes, quibus ad condendum leges ſuas ductus fuerit, populo non explicet, quod decretum & legis virtute atque efficacia præſcriptum fuerit, reuerenter amplectendum ſit; nemini mirandum eſt, ſi quod recti regiminis ratio exposcit, id in Eccleſiæ gubernatione præcipuè reperiatur:

nimi-

nimirum, vt Patribus & Ecclesiæ Magistris aliquid statuentibus, omni procul mora obediatur: non quòd legitimè, & efficaciter probauerint, quæ obseruanda statuerũt, sed quod manifestè, & sine vllis ambagibus tradiderint, sic hoc, & illud credendum esse, & sic firmissimè tenendum. Hoc enim Christianæ fidei obedientia exigit: hoc nostræ Religionis conditio & natura postulat: hoc Deus ipse, qui Sanctorum Patrum decreta dictat, Christianis imperat. Nam quamuis Princeps sæcularis despicatui habens rationem (quæ omnium humanarum legum anima est) tyrannicè potius, quàm secundùm Regiam dignitatem imperare nonnunquam queat, vel etiam si rationem ipsam consulat, & quid æquitati magis consonum sit, diligenter perpendat, ex ignorantia cœcutire, & quę Reipub. detrimentum maximum, & perniciem adferant, sancire, & obseruanda proponere quandoque possit: Ecclesia tamen Dei longè aliter sese habet, vtpote, quæ non rationibus humani ingenii artificio elaboratis, sed incõcussa authoritate diuinitus accepta, & Spiritus Sancti afflatu, atque sempiterni Parentis certissima prouidentia tenaciter nitatur, qua non solùm ab errore, sed ab omni erroris suspicione semper libera seruatur. Quapropter perperã illi de Ecclesiæ dignitate mihi sentire visi sunt, qui, rectène an prauè mediis ad aliquod Fidei dogma sanciẽdum vsa fuerit, diligenter inquirunt, & inani quodam, ne dicam stulto studio perscrutantur. Nam licet aliquando possit euenire, vt non aptè & propriè illis vtatur; fieri tamen vllo modo nequit, vt falsis, & errorem aliquem cõtinentibus mediis illa vnquam nitatur: sed ea procul omni dubio adhibebit, quibus à vero deflectere nec minimũ quidem posit. Atque hoc quidem quemuis Christianũ hominem in credendi ratione valet quàm maximè securum reddere. Quæ enim Fidei sunt, non demonstratione ad videndum, sed Diuino afflatu ad credendum proferuntur, non ratione, sed authoritate nituntur; neque Phi-

losophicis argumentis, sed sacratis testimoniis comprobantur. Proterui ergò ingenii est, ab Ecclesia rationes petere, quibus ducta, Fidei decreta, & Canones ipsa constituerit; amentisque hominis est curiosè peruestigare, quã diligentiam in Conciliis Patres adhibuerint, vt susceptæ caussæ rationem expenderent: atque tandem, qui illius examini operam nauauerint; vel qui ad condendas Leges, vel Canones constituendos accesserunt; fuerintne pii cumprimis, & Religiosi viri, ingenij deinde, eruditionis, prudentiæ, & magni consilij ornamentis exculti, atque affabrè politi? Hoc ita studiosè inquirere, hominis, qui Christianam Religionem parùm degustauit, ego quidem non immeritò esse arbitror. Solos enim Episcopos constituit Deus ad regendam Ecclesiam suam, quibus dictum est: *Pascite, qui in nobis est, gregem.* Vnde per Hieremiam Prophetam Dominus ait: *Dabo vobis Pastores, qui pascant vos doctrina, & scientia.* Quapropter Paulus ad Timotheum, & Titum scribens, Episcopum Doctorem esse voluit. Si ergo Pastoris est gregis curam habere, pascendo, imperandoque oues ducere; ouium autem obtemperando Pastorem sequi, præclarè ait Vincentius Lerinensis, si quid ab omnibus Catholicæ Ecclesiæ Sacerdotibus Vniuersalis Concilij authoritate decretum fuerit, id ab illo obseruandum esse, qui Hæreticus esse nolit. Quemadmodum ergò in naturalibus, & moralibus Philosophus tunc persuadet, cùm firma, vel probabili ratione probat, quod asserit, Princeps verò, aut alius humanarum legum Lator non quidem contrà, aut præter rationem, tamen sine rationum, & caussarum explicatione iubet, & præscribit, quod iubendum, præscribendumque censet, eique obeditur iubenti, non auscultatur probanti: sic in rebus, quæ suprà naturã sunt, Theologus tunc docet, aut persuadet, cùm ex arte, & principiis disciplinæ Theologicæ id demonstrat, quod quæritur; Ecclesiæ verò Pastoribus, & Magistris decernentibus creditur: non quia legitimè probarunt,

Act. 10.
Hier. 3.
1. ad Timo. c. 3.
Lerin. lib. aduers. hæret. nouit.

barunt, quod decernunt, ſed quia apertè decernunt, & tradunt ſic eſſe credendum: ſiue illos decretum ſuum ex legitimis mediis probaſſe nobis conſtet, ſiue non. In hoc enim obedientia Fidei cõſiſtit. Hinc in Conciliis ferè omnibus concluſiones & decreta exhibentur, probationes, & argumenta relinquuntur; non quod ſine argumentis ea conſtituerint, & ſtabiliuerint; ſed quia non ex firmitate argumentorum, ſed ex ſuggeſtione Spiritus Sancti ſic tandem concluſerint. Eleganter quidem Chryſoſtomus docet cauſſam alicuius diſpenſationis à ſuperioribus, & ijs, qui in aliqua authoritate ſunt, præſtitæ, ignotam debere eſſe illis, quibus ea vtilis futura ſit. Nam, ſi pateat cauſſa eorum, quæ fiunt, tota vtilitas peribit. Quapropter ipſum, quidem, qui diſpenſationem concedit, ſcire cauſſam eorum oportet, quæ geruntur; ſed illos, quibus eſt profutura diſpenſatio, hanc oportet ignorare. Paulus enim, qui Circumciſionem tollit, & qui ad illius obſeruationem Gentes non eſſe cogendas, quatuordecim ferè annis docuerat, Timotheum, quem mittere conſtituerat ad docendum Iudæos, prius circumcidit. Id autem faciebat, vt Doctor eſſet auditoribus acceptior, & ingreſſus cum Circumciſione Circumciſionem abrogaret. Huius ille facti cauſſam quidem nouerat, & cum Timotheo cõtulerat: ſed eam reliquis diſcipulis nequaquam aperuit. Etenim, ſi illi nouiſſent, quo animo Paulus hoc feciſſet, nõ audiuiſſent omninò Timotheum concionantem; totumque lucrum, & vtilitas periſſet: ſed hæc ignorantia maximam illis vtilitatem attulit. Dum enim arbitrantur illum ſeruandæ Legis ſtudio hoc feciſſe, placidis, & beneuolis animis tum ipſum Doctorem, tum eius doctrinã excipiunt. Qua recepta & paulatim eruditi receſſerũt à prioribus, quod haudquaquã eueniſset, ſi initio cauſsam nouiſsent: aduerſati enim illum fuiſsent tanquã Legis aduerſarium, & in priſtino errore perſeueraſſent. Deinde cũ poſt annos quatuordecim idem Paulus aſcendiſſet Hieroſolymam,

Chryſoſt. in epi. ad Gal. c. 2.

mam, ascēdit autem iuxtà Spiritus Sancti suggestionem, vt conferret cum Apostolis Euangelium, quod notum Ethnicis fecerat, non quidem, vt ipse quicquam disceret, sed vt doceret eos, qui ipsum accusabant, quasi aduersus Legem ageret, se non in cassum currere, cōtulit cum Apostolis Euangelium, quod Gentibus sine Circumcisione annunciarat: seorsum autem cum ijs, qui videbantur alicuius esse existimationis. *Quid, inquit Chrysostomus, significare voluit, dicendo seorsum? At qui communia dogmata studet corrigere, non seorsum, sed in publicum ea proponit? Paulus autem non ita. Non enim cupiebat aliquid discere, corrigereue suorum dogmatum, sed occasionem adimere cupientibus alios decipere. Cùm enim Hierosolymis offenderentur omnes, si quis transgrederetur legem, si quis prohiberet Circumcisionem, vnde & Iacobus dicebat: Vides frater, quot millia sunt Iudæorum, qui crediderunt; & hi omnes audierunt de te, quod defectionem doces à Lege. Cùm igitur offenderentur, palàm quidem accedere, suamque prædicationem aperire non sustinebat; sed seorsum contulit cùm ijs, qui erant alicuius opinionis, præsentibus Barnaba, ac Tito; vt ij apud eos, qui ipsum criminabantur, forent idonei testes, nec Apostolis quidem visum Pauli prædicationem in Gentibus peractam pugnare cùm Apostolorum sententia.* Qui certè Circuncisionem permittebant: sed non, vt rem præcipuam, & prorsus necessariam, studiosè serioq. iubebant. Cuius dispensationis caussam cunctis fidelibus aperire, aut rationem, cur Paulus Gentes circumcidi non coegisset, palàm explicare, nihil vtilitatis afferre posse sapienter præuidentes, seorsum inter sese contulerunt. Nam, si facti rationem reddidissēt, nempè se id fecisse, vt morem gererent Iudæis, quos patriæ Legis æmulatores cognouerant, & ita Circumcisionis præceptum tandem abrogarent, nec hoc fuisse iudicium, sed dispensationem; offensi fuissent audientes. Quare cùm Iacobus & Cephas & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, cognouissent gratiam, quæ illi data erat, dexteras dederunt Paulo, & Barnabæ societatis, vt Euangelium Gentibus annunciarent.

Chrysost. in exposit.

Con-

Constititque cunctis discipulis Apostolos Paulo non modò non esse aduersatos, verùm etiam cum illo conspirasse, concordiaque sociatos esse. Vtriusque verò facti veram causam nullo modo fidelium turbæ aperiendam duxerunt: oportet enim, vt dictum est, dispensationis causam occultam esse illis, quibus ea alicui vtilitati futura est. Ita sanè causas doctrinæ Ecclesiasticæ à Magistris Ecclesiarum traditæ expedit fidelibus ad maius & Fidei, & obedientiæ meritum, maioremque etiam securitatem ignorare. Quotus enim quisque fidelium est, & maximè Laicorum, atque imperitorum hominum, cui causæ etiam optimæ satisfaciant, si semel ipsa Doctrina displiceat? Neque aliquis eorum est, qui de causis, & argumentis rectè iudicare possit. Maxima igitur cum fidelium vtilitate factum est, vt decreta Ecclesiæ certissima sint, omnibusq. maximè comperta; media, & probationes non itē.

Longius profectò, quàm Catholicæ Veritatis maiestas, & Ecclesiæ ad definiendum de fide certitudo, & nunquam defectura stabilitas à Christo promissa postulare videbatur, sermonem contrà Caluini asseclas, & discipulos protraximus. Nam cùm mente recolo Petrum Apostolorum Principem prædixisse, fore in nobis Magistros mendaces, qui introducerēt sectas perditionis, sicut apud Iudæos fuerunt quidam Pseudoprophetæ, qui Dei Legē posthabebant, & auaritiæ, atque libidini indulgebant: & Paulum, non à plebeijs solùm hominibus imminere periculum, sed ab ijs etiam, qui Pastorum, & Doctorum titulo se venditabunt; quæ ij tam confidenter garriunt, tanquam optimè inde collegerint, non pluris faciendum esse nostrorum Episcoporum Concilium, quàm eorum collectionem, quos canes mutos non valentes latrare Esaias appellat, & mendacium sequutos fuisse Hieremias queritur, cùm non secus ac illi Fidem deserere, & doctrinam Cacodæmonum pro vera & incorrupta docere possint, & pleraque alia Sacræ Paginæ testimonia de Ecclesiæ

1. Pet. 2.

Esai. 56.

Hier. 8.

Catholicæ Magiſtris eſſe interpretanda, omnia in eos ſolùm quadrare conſpicio, qui Eccleſiæ maieſtate contempta, fide repudiata, diſciplina proculcata, Maiorumque ſacratiſſimis ſanctionibus abiectis, docendi ſibi munus inſolentiſsimè arrogant, & à nemine traditam functionem ad Eccleſiæ perniciem comparant; quos Satanæ emiſſarios veriùs, quàm Doctores appellaueris: de quibus apud

Hier. 14. Hieremiam Dominus ait: *Falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo: non miſi eos, & non præcepi eis, neque loquutus ſum ad eos: viſionem mendacem, & diuinationem, & fraudulentiam, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis.* Et alibì: *non mittebam Pro-*

Hier. 23. *phetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. Si ſtetiſſent in Concilio meo, & nota feciſſent verba mea populo meo; auertiſſem vtique eos à via ſua mala, & à cogitationibus ſuis peſſimis.* Quales profectò, liceat antiquiores omittere, Lutherus, Zuinglius, Oecolampadius, Stancarus, Illyricus, Caluinus, horumque ſectatores hoc infauſto ſæculo extiterunt, qui elatione, & faſtu tumentes in templo Domini ſederunt, &, neſcio quam inſolitam, portentoſam, & nunquã anteà auditam, diuinitatem iactitantes, Sacra omnia polluerunt; Diuina Oracula profanarunt; Euangelij ſynceritatem corruperunt; &, dum Antiſtitum authoritate abiecta, docendi ſibi & moderandi vniuerſum Orbem poteſtatem vendicarunt, libidinibus omnia contaminarunt, contentionibus repleuerunt, immanibus odiis inuoluerunt, atque ad omnis impietatis genus fores aperuerunt. Iſti igitur ſunt Chriſtianæ Reip. peſtes, Antichriſti, mortiferi Doctores, Prophetæ mendaces, canes muti, qui Legem Dei poſthabuerunt, & ſectas perditionis introduxerunt: in quos Petrus, Paulus, & ante illos Eſaias & Hieremias, veluti in malorum omnium fontem & ſcaturiginẽ digitos intenderunt. Sed iam vlterius progrediamur.

CAP. IV. PRoferunt deinde, quotquot Caluini ſacrilegis opinionibus ſunt contaminati aliquot Sanctorum Patrum ſententias, ex quibus inferre conantur, dignitatem Con-

ciliorum à Patribus abiectam, & proculcatam fuisse. Ac primo loco intoleranda nobis garrulitate opponunt sententiam illam, qua D.P. Augustinus Maximini Ariani fastidium & importunitatem repressit. *Sed nunc*, inquit ille, *neque ego Nicænum, neque tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus, proferre Concilium, neque ego huius authoritate, neque tu illius detinearis. Scripturarum authoritatibus, non quorumcũq. proprijs, sed vtriusque communibus testibus res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet*. Ex hac oratione se colligere posse arbitrantur, Augustinum Nicæni Concilij dignitate, quam alioquin miris efferre laudibus solet, posthabita, in Sacrarum Literarum omnia authoritate collocasse. Quod quàm sit ab Augustini mente alienum, probè cognoscet, qui orationis scopum diligentissimè obseruabit; esseque Rhetoribus valde familiare multa, vt aduersarios iugulent, illis artificiosè concedere, quæ falsa aliàs demonstrarent. Cùm ergò Augustini mens fuisset Arrianam hæresim reprimere, ne de Conciliorum authoritate cum Maximino dissereret (qui Nycæno Concilio Ariminensem Synodum opponebat, & frustrà potius tempus terere, quàm causam finire moliebatur) non quidem spretis, sed omissis Concilijs, ad Sacras, & Diuinas Scripturas prouocat: quibus vtrisque certè communibus tum propositam veritatem, tum Nicæni Concilij sanctiones confirmare quàm facilè poterat. Hoc est illud: *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus proferre Concilium, nec ego huius authoritate, nec tu illius detinearis*. Quid posset enim ex Nicæni authoritate inferre Augustinus aduersus illum, qui tanti Concilij maiestatem insolentissimè aspernabatur, & Ariminensem Synodum, quæ hæreticorum furore, & temeritate magis, quàm iure & æquitate instituta fuit, & gubernata, vsque adeò extollebat, vt ad labefactandam fidem eius decreta satis esse constanter asseueraret? Prudenter ideò Augustinus: Quid Conciliorum nos Authoritas detinet? Quid diutius de Nicænæ

Aug lib. 3. contr. Maxi. cap. 14.

Synodi dignitate, & Ariminensis imbecillitate digladiari oportet? Eisdemne, quibus Sacrum illud Concilium insectaris, contumelijs etiam Sacras Literas afficies? Quod si maxima, vt par est, Apostolorum Prophetarumque monumenta pietate prosequeris, dimissa Conciliorum maiestate, non peculiaribus vtrique nostrum, sed communibus documentis agamus. Res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione cõcertet. Quare nihil fingi potest ineptius, quàm ex hac Augustini oratione quemquam contrà Sacrorum Conciliorum Authoritatem, & Maiestatẽ velle aliquid inferre; in qua nihil, quod istorum causæ fauere queat, prorsus reperitur.

Aug. lib. 2. de Baptism. c. 3. Sed scriptum est rursus, inquiunt, ab eodem Augustino, ipsa etiam plenaria Concilia sæpè priora posterioribus emendari. *Si ergo*, inquit Hermanus, *priora illa antiquissima emendatione indigent, quot erroribus scatebunt ista recentiora?* Denique quasi iam causam vicerint aduersarij; Non, inquiunt, decisiones Generalium Synodorum corrigi potuissent, si eorum placita omni fuissent erroris suspicione libera. *Illud vnum*, inquit Augustinus, *isti Donatistæ considerent, quod omnibus patet. Si authoritas Cypriani sequenda est, magis eam sequendam esse in vnitate seruanda, quàm in Ecclesiæ consuetudine mutanda. Si autem consilium eius attenditur, huic est vniuersæ Ecclesiæ posterius Concilium præponendum. Nam & Concilia posteriora prioribus apud posteros præponuntur, & vniuersum partibus iure optimo semper præponitur.* Hæc ille. Nunquam ex his Augustini verbis colligi poterit sic prioribus Conciliis posteriora præponi, vt quod semel generaliter statutum de Fide in Ecclesia est, à posteriori aliquo Generali posteà reuocari possit: sed intelligit Augustinus, vel priora Regionalia, seu Prouincialia posterioribus Plenariis in causa Fidei postponi (sicut ipse hoc se loco in posterioribus verbis explicat) vel in quæstione rerum agendarum, & praxi ipsa quoque Generalia, mutatis temporum, locorum, & personarũ circumstãtiis (quas Grȩci περιστάσεις appellant)

August. vbi supra.

pellant) à ſequentibus Generalibus emendari: *cùm videlicet experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur, quod latebat*: ſicuti idem alibi hoc eodem in opere eleganter ediſſerit. In his ſiquidem, quæ facti ſunt, fieri poteſt, vt fallatur aliquandò plenarium Concilium: non autem in iis, quæ Fidei articulos conſequuntur. Quò certè reſpexiſſe Auguſtinum, cùm dixit Plenaria Concilia, priora poſterioribus emendari, ipſa, quam recitauimus ſententia omninò planum facit. In iis ergò, quæ Iuris ſunt poſitiui, quæ vel ad externum aliquem ritum, vel ad Eccleſiaſticam pertinent diſciplinam, quia quædam ſuperioribus ſæculis quadrare poterant, quæ poſterioribus minimè conueniunt, vel ipſa rerum magiſtra experientia teſtante, fit nonnunquam, vt priora poſterioribus emendentur. Itaque cùm longè ſint omnium vetuſtiſſimi Canones, qui vocantur Apoſtolorum; quoniam tamen in pleriſque eorum nimiò plus inerat ſeueritatis, quàm poſteriora ſæcula ferre poſſe videbantur: factum eſt, vt poſterioribus Conciliis emendati, mitigatique fuerint. Adeò verùm eſt, quod Iſidori, Gregorij, Hieronymique productis ſententiis oſtendit Gratianus in pleriſque decernendis, cauſam, locum, tempus, perſonas conſiderari oportere: quæ quoniã perpetua non ſunt, fit, vt in eiuſmodi etiam plenariis Conciliis decreta nonnunquam priora poſterioribus corrigantur; quæ tamen in ijs, quæ pertinent ad Fidem, fixa & immobilia eſſe oportet, ac nullius temporis iniuriam pati: quanuis, quæ huiuſce conditionis ſub opinione dubia priora Concilia ſæpius reliquerunt, poſteriora, veritate diligentius indagata, & ab Spiritu Sapientiæ locupletius edocta elucidarunt. Nam cùm par ſit omnibus Generalibus & legitimis Synodis poteſtas, & æqua authoritas, ſi quod hæ aiunt, illæ negant, quod credendum hæ religiosè docent, illæ repudiandum affirmant, profectò idem veritatis, & pacis Spiritus, & vnitatis author, & Princeps ſibiipſi cõtrarius videretur: qui Sacro Splẽdore

Diſtinct. 22. ca. Presbyt.

& vir-

& virtute cælitus Patres ipſos in Conciliis collectos illuſtrat, informat, fouet, atque moderatur. Quibus accedit tantum ſemper Generalia Concilia apud Eccleſiam vniuerſam ponderis authoritatiſque habuiſſe, vt ſi quæ ab illis falſa, erroriſque plena vſquam eſſent definita, tamdiu Eccleſia vniuerſa errore illo foret inuoluta, quamdiu fulgentiſſima poſteriorum Conciliorum luce caruiſſet. Fingi enim nihil poteſt abſurdius, & quod maiorem notam Eccleſiæ inurat, quàm affirmari vniuerſam Remp. Chriſtianam in rebus tanti ponderis & momēti funeſto aliquo errore detineri; & quod à vero valde eſt alienum, falſa & infirma, pro veris & firmis ſummè amplecti, atque venerari. Nam quamuis dubia eſſe in Eccleſia permulta poſſint, quæ fiant paulò poſt comperta: minimè tamen poteſt ſine Spiritus Sancti, cuius procuratione gubernatur, contumelia ea reiicere, & improbare, quæ tanquam Fidei certiſſima dogmata ſemel fuit amplexa. Quare non alia de cauſa Diuus Pater Auguſtinus ſentit priora Concilia à poſterioribus emendari, quàm quia recentiora ſumma perſpicuitate explicare ſolent, quæ vetuſtiora omninò fortaſſe fugerant.

Progreditur vlterius Caluinus, cuius veſtigiis diſcipuli, ſectatoreſque ſui inſiſtunt; atque quod Patrum authoritate euincere nequiuerunt, vt tandem concludant, pleraque ex Sacris Conciliis errata deducere affectant, vt illorum dignitatem infringant, & authoritatem, atque ad Fidei lites dirimendas ſingularem vigorem prorſus euertant. In terris enim (aiunt illi) docente adhuc Chriſto, & cum hominibus agente, illa vetus Synagoga cum Pontificibus & Sacerdotibus, & toto populo Iudaico vera Dei erat Eccleſia: illa verò tota inito Concilio, Chriſtum damnauit, eiuſque ſanctiſsimam doctrinam temerè reprobauit. Quare cùm in Cathedra Moſis veritatem defuiſſe, & iudicium penitus excidiſſe facto ipſo Pontificum, & Sacerdotum in vnum congregatorum oſtendunt, cauſam

ſe-

ſe iam viciſſe, & victoriam reportaſſe omnes, quotquot ſunt, vno ore prædicant.

Nos verò, tantùm abeſt, vt hoc argumento conuicti illis cedamus; quin potius hoc ipſo facto Sacrorum Conciliorum dignitatem magis elucere arbitremur. Non tamen illorum ſententia nobis vnquam arriſit, qui etiam tunc à Cathedra Moſis veritatem & iudicium nõ abfuiſſe docent: quia quamuis animo ſceleratiſſimo Pontifices & Sacerdotes Chriſtum damnarint, veriſſimam tamen ſententiam protulerunt, dicente Summo Pontifice, cui omnes adhæſerunt. *Neceſſe eſt, vt vnus moriatur homo pro populo*. Quibus addit Sacer Euangeliſta prophetaſſe Caipham, quia Pontifex erat anni illius. Cæterùm nec etiã illud Caiphæ vaticiniũ (quod gratia erat gratis data non gratum faciens) reliquã impietatem excuſare potuit, aut etiam ipſum ab errore reliquo liberare: qui in Chriſtũ ita iniurioſus fuit, vt illum Deo conuitiatũ fuiſſe protulerit. Neque quod quæſtio eſſet, nõ iuris, ſed facti, in cuius iudicio Concilia errare poſſe viri cuiuſcunque ordinis doctiſſimi tradunt, illorum error excuſari poteſt: grauiſſimam quippe Fidei quæſtionem, nimirum, eſſetne Ieſus verus Meſſias, verus Dei Filius, & verus idem Deus, illa complectebatur: in cuius Definitione Caiphas cum vniuerſo Concilio longè à veritate abfuit, iudicans Chriſtum ſacrilegum & nefarium dictum pronunciaſſe, quòd ſe filium Dei dixiſſet. Neque etiam placet Concilij illius dignitatem ob illegitimam Pontificum, & Sacerdotum ſucceſſionem imminuere, vt ideò abſque periculo Sacerdotalis Ordinis à veritate illos excidiſſe dicamus. Quamuis enim poſt Ioſephum Euſebius Pamphilus legitimam Pontificum ſucceſſionem circa tempus Chriſti nati per Herodẽ & Romanos diruptam eſſe, atque non ex Aaronico genere, ſed viliſſimos quoſque homines ad illum gradum euectos fuiſſe teſtetur: non tamen, qui tunc erant Pontifices, & Sacerdotes, vtcunque ignobiles eſſent, illegitimi fuiſ-

Ioan. c. 18.

Ioſeph. anti. lib. 20. c. 8.
Euſeb. li. 8. Eccleſ hiſt. cap. 6.

Et de demõ strat. Euãg. lib. 8. demõ strat. 2.

fuiſſe putandi ſunt. *Summi Sacerdotes*, inquit Euſebius, *Summam rerum vſque eò adminiſtrabant: quoad Pompeius Romanorum Dux eò aduentans Hieruſalem acri, & violenta obſidione expugnaſſet, atque ad templi adita progreſſus res ſacras nefario ſcelere polluiſſet.* Eum verò, qui auita ſucceſsione Rex ſimul, & Summus Sacerdos ad id temporis perſeuerarat (cui nomen erat Ariſtobulus) vinculis conſtrictum vnà cum liberis Romam miſit, atque in Hyrcanum eius fratrem Summi Sacerdotij munus tranſtulit. Poſt illud tempus vniuerſa Iudæorum gens facta eſt Romanis vectigalis. At non longo interuallo temporis interiecto, cùm Hyrcanus (in quem vltimum Summorum Sacerdotum erat deuoluta ſucceſſio) à Parthis captus eſſet: primus Herodes externa ab ſtirpe editus Iudaicæ gentis Imperium Romani Senatus & Auguſti authoritate adeptus eſt. Cuius temporibus cùm Chriſti aduentus euidenter, & pro certo inſtaret, ſalus etiam Gentium, quæ tamdiù expectabatur, expleta eſt: earumque vocatio iuxtà Prophetarum oracula maturè inſequuta. Ex quo quidem tempore ſimul ac Principes, & Duces ex Iuda, hoc eſt Iudæorum familia ac gente prognati Rempub. illam regere deſiſtebāt, ſeries etiam Summi Sacerdotii, quod ſecundùm generis propinquitatem, & auitam ſucceſſionem rato ac certo ordine ſolebat cuique deferri, extemplò confuſione quadam labefactata eſt. Quarum rerum teſtem locupletem habes etiam Ioſephum, qui narrat ab Herode, cùm à Romanis eſſet Regno donatus, non amplius Pontifices & Summos Sacerdotes ex antiquo creatos eſſe genere; ſed abiectis quibuſdam & ignobilibus illum honoris gradum delatum fuiſſe; eandemque item rationem in deſignandis Summis Sacerdotibus obſeruatam ab Archelao eius filio, & à Romanis etiam, qui poſt illum Iudæorum Regnum adepti ſunt. Idem Hiſtoriographus porrò declarat Herodem primùm Sacram ſummi Sacerdotis ſtolam priuatim apud ſe habuiſſe, proprio ſigillo incluſam, & Summis Sacerdo-

tibus

tibus illius deinceps apud se retinendæ potestatem minimè concessisse, idemque, eo mortuo, Archelaum, & Romanos fecisse. Hinc ergò, non fuisse eo tempore legitimũ Sacerdotium, nonnulli inferentes, elicere conãtur, absque vllo Sacerdotalis Ordinis incommodo, Caipham cum toto Concilio à veritate deflexisse, Christum verum Dei filium negasse, morte dignum pronunciasse, eiusque doctrinam reprobasse. Cùm tamen Christus ipse, quo tempore viua voce promulgabat Euangelium, & discipulorum turbam secum adducebat, docuerit in Synagogis, & in templo, quo omnes conueniebant, ascenderit Hierosolymam cum omnibus discipulis suis, cum quibus etiam Pascha Legale celebrauit, ab vlceribus liberatos ad Sacerdotes templi miserit; denique, licet acerrimè, & frequentissimè Pharisæorum & Scribarum impurissimos mores redarguerit, iubens ab eorum fermento, idest propriis cõsuetudinibus & traditionibus cauere; tamen, vt, doctrinam publicam Synagogæ sanam adhuc esse, ostenderet, disertè dixerit: *Super Cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi: quæ dicunt, facite*: luce clarius constat, qui tunc erant Pontifices, & Sacerdotes, vtcunque ignobiles essent, legitimos habendos fuisse, & plena authoritate in Cathedra Mosis sedisse. Quid ergò? Concilij illius, cui Caiphas Summus Sacerdos præfuit, iudicium, & sententiam in Christum latam, reliquamque impietatem aliqua tergiuersatione excusabimus? An Sacrorum Conciliorum, ob illius errorem, authoritatem cõtemni, & proculcari patiemur? Hoc certè, quæ de illorum origine, dignitate, ac in caussis Fidei decidendis authoritate, & stabilitate diuinis promissionibus munita, oratione amplificauimus, ferre non poterunt: illud verò ipsa Concilij impietas, & iudicij iniquitas, sententia ipsa, atque ipsum vniuersi Concilij dictum execrabile, nequaquàm suadet. *Matth.c.23*

Pontifices igitur, & Sacerdotes, maximamque populi turbam (paucis exceptis, qui consilio illorum non con-

ſenſerant; nam ex principibus aliqui in Chriſtum crediderunt, qui propter Phariſæos non confitebantur, ne eijcerentur ex Synagoga) planè à veritate aberraſſe, nec Dei Eccleſiam, ſed Satanæ Synagogam, tunc fuiſſe, ex mera inuidia atque malitia, apertam veritatem cernere nolentem, Chriſtumque, promiſſum in Lege Meſſiam, perfidè repellentem, re iuſtè perpenſa dicendum putamus. Neque tamen illius temporis exemplum pro ſimili quaſi Eclipſi Pontificum, & Sacerdotum, in hac propagata Chriſti Fide quicquã facit. Iam enim per Prophetas prædictus fuerat Synagogæ, Principumq. eius, in Chriſti aduentu, à Fide lapſus, *vt illorum*, ſicut inquit Paulus, *delicto,*

Rom. c. 11. *ſalus eſſet Gentibus*. Nam Sacer Vates Eſaias ſibi à Deo dictũ

Eſai. c. 6. refert: *Vade & dic populo huic, aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perſpicietis. Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus ſuis grauiter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt: ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos.* Quam ſententiam Paulus, dum Romæ cum Iudęis diſputaret, perſpicuè, & citrà controuerſiam omnem, ad tempora Dominici aduentus retulit. Sed & ex eodem Eſaiæ vaticinio liquet, hæc ad tempora Romanæ dominationis referri; nam quando ſermones Domini nec audire Iudæi voluerunt, nec benignis oculis miranda opera intueri, quæ ab eodẽ ſuprà humanas vires edebantur, in ſolitudinem redactæ ſunt eorum ciuitates, ita vt fuerint abſque habitatore: ſed, & qui derelicti fuerant, multiplicati ſunt. *Et dixi*, inquit idem Sa-

Baſi. in Eſai.

Act. 28.

Eſa. c. 6. cer Vates, *vſquequo Domine? Et dixit: donec deſolentur ciuitates abſque habitatore, & domus ſine homine, & terra relinquetur deſerta. Et longe faciet Deus homines; & multiplicabitur quæ derelicta fuerat*

Baſilius. *in medio terræ*. Quod certè, non de ijs ſolùm, de quibus Pau-

Rom. 11. lus inquit, *Quia reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt*, ſed de Gẽtium Eccleſia, intelligi manifeſtum eſt. Hieremias quoque aduentum Chriſti prædicans, *In illa*, ait,

Hier. c. 4. *die peribit cor Regis, & cor Principum, & obſtupeſcent Sacerdotes.*

Sed

Sed apertius Ezechiel: *Lex peribit à Sacerdote, & consilium à senioribus*. Similiter & Michæas: *Nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione*. Quæ omnia, vt ad totum, quo Christus Euangelicam doctrinam annunciauit, trienniũ referuntur: ita potissimum ad Dominicæ passionis tempus referenda esse copiosè & crebrò D. Hieronymus docet. Quæ cùm ita sint, nihil mirum, si, in Christi persona, & doctrina damnanda, pars maxima Iudaici Populi, vnà cum Pontificibus & Sacerdotibus, à veritate defecerit: cùm totum hoc prædictum fuerit, &, vt Gentium plenitudo intraret, sic fieri diuina Prouidentia voluerit. *Nolo enim*, inquit Paulus, *vos ignorare, fratres, mysterium hoc, quòd cæcitas ex parte in Israel contigit, vt plenitudo Gentium intraret*. At verò, tempore Euangelicæ legis, de Pontificum & Sacerdotum in vnum collectorum fide, & doctrina ruitura, & penitus defectura, nullas profectò in Diuinis Scripturis prædictiones habemus: quam potius diuinis præsidiis fultam vsque ad finem sæculi saluam semper, ex ipsius Christi promissionibus, permansuram ostendimus.

Ezech. 7. *Michæ. 3.* *Hierony. in cõmem. ad Esa.c.3.5.6.7.9.& 63.* *Rom. 12.*

CAP. V.

Cæterùm Martinus Lutherus, vt persuadeat, Generalia Concilia errare posse, illud Apostolorum Concilium (à quo sanè normam & regulam celebrandorum Conciliorum ab Apostolis nobis traditã deductam fuisse apertè demonstrauimus) nobis hac in parte opponit. Sententiam enim Petri, inquit ille, qua definiuit Gentes cogendas non esse ad obseruationem Legalium, quam certè, Paulus, vt veram, amplectendam tota Epistola ad Galatas probare nititur, Iacobus mutauit: quem vniuersa Synodus sequuta præcepit, vt Gentes abstinerent à sanguine, & suffocato, quod aliud nihil videtur esse, quàm ritibus Iudæorum penitus inhærere.

Act. 15. *In assert. artic. 19.*

Cui nos obiectioni, si Doctorum placita amplecti velimus, nullo negotio poterimus satisfacere: verba enim illa, quæ spectant ad præceptum de suffocatis non edendis, non ab Apostolis tradita, sed posteà superaddita do-

cent Irenæus, Cyprianus, Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, ac nonnulli alij magni nominis Doctores. Nam doctissimus Irenæus nō semel decretum illud Apostolicæ Synodi referens, vocem, suffocatum, prudens prætermisit. *Placuit* enim, inquit ille, *Spiritui Sancto, & nobis nullum amplius vobis pondus imponere, quàm hæc, quæ sunt necessaria: vt abstineatis ab Idolothytis, & sanguine, & fornicatione, & quæcunque non vultis fieri vobis, alijs ne faciatis: à quibus vos custodientes, bene agitis, ambulabtes in Spiritu Sancto.* Quod præceptum de nō faciendo alteri, quod sibi nemo fieri vult, ibidem similiter legit Cyprianus: *Visum est Sancto Spiritui & nobis nullam vobis imponere sarcinam, quàm ista, quæ ex necessitate sunt, abstinere vos ab Idololatrijs, & sanguine, & fornicatione: & quæcunq. vobis fieri non vultis, alijs ne feceritis.* Tertullianus verò, *Visum est,* inquit, *Spiritui Sancto, & nobis nullum amplius vobis adijcere pondus, quàm eorum, à quibus necesse est abstinere, à sacrificijs, à fornicationibus, & à sanguine, à quibus obseruando rectè agitis, vectante vos Spiritu Sancto.* Diuus item Ambrosius: *Hæc,* ait, *tria mandata Sophistæ Græcorum non intelligentes, scientes tamen à sanguine abstinendum, adulterarunt Scripturam, quartum mandatum addentes, & à suffocato obseruandum: quod puto nunc Dei nutu intellecturi sunt; quia iam suprà dictum erat, quod addiderunt.* Hæc ille. Denique D. Pater Augustinus, illa de suffocatis esse adiecta, palàm videtur affirmare, dum ait: *In Actibus Apostolorum hoc lege præceptum ab Apostolis, vt abstinerent Gentes tantùm à fornicatione, ab immolatis, & sanguine: id est, ne quicquam ederent carnis, cuius sanguis non esset effusus: quod alij non sic intelligunt, sed, à sanguine abstinendū, præceptum esse, ne quis homicidio se contaminet.*

Irenæus lib. 3 c. 12.

D. Cypri. ad Quiri. lib. 3. in fin.

Tertulli. de pudic. c. 12.

Ambros. in ep. ad Gal. 2

Aug. contr. Faust. li. 32 c. 13.

Verùm, ne vel à Græcorum lectione, vel à communi nostra editione Latina recedamus, argumento sunt prisci Doctores, qui, quondam in Ecclesia fideles ab esu sanguinis abstinuisse, tradunt. Tertullianus enim, aduersus Gentes, inquit: *Erubescebat error vester Christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in esculentis habemus; qui propterea quoque suffocatis, & morticinijs abstinemus, ne quo sanguine contaminemur, vel*

Tertulli. in Apo. c. 9.

intrà

intrà viscera sepulto. Denique inter tentamenta Christianorum bocu-los etiam cruore distentos admouetis. Eusebius quoque refert, Biblidem maleuolis Christianorum obtrectatoribus ex aduerso respondisse: *Quomodo eiusmodi viri liberos suos deuorare in animum poterunt inducere, quibus ne licitum quidem sit, sanguinem animalium ratione carentium comedere?* Quam certè, de sanguine non comedendo, institutionem, non Græcorum modò decretis, sed etiam Imperatoris sanctionibus suffultam esse apparet. Leo enim Imperator ad Stilianum, Sacrorum officiorum Magistrum, rescripsisse legitur. *Simul olim Legislatori Mosi, sanguine vescendum non esse, mandauit Deus; simul ab istiusmodi cibo abstineri debere, à præconibus gratiæ est constitutũ. Et quanquam tum veteris, tum nouæ gratiæ tempore illa res vilis habita sit, & nefaria; eò tamen contumaciæ, imò vecordiæ homines processere, vt neutri legi aurem præstent morigeram. At contrà alij lucri, alij gulæ causa, summa cum impudentia mandatum contemnunt, in escamque, qua vesci vetitum est, sanguinem conuertunt. Perlatum est enim ad aures nostras, quòd intestinis tanquam tunicis, illum infartum, velut consuetum aliquem cibum, ventri præbeant. Quod tolerari non debere Imperatoria nostra Maiestas rata, neque, tã impio, soli gulæ inhiantiũ, hominum inuento, nunc præcepta Dei diuina, nunc Reipub. nostræ honestatẽ dedecore affici, sustinens, iubet, ne quis id scelus, neque ad vsum suum, neque vt emptores detestando contaminentur, vllo modo exercere audeat.* Et cætera, quæ prosequitur in eandem sententiã. Latinis verò sanguine, vel suffocatis vesci prohibet Aurelianensis Concilij Canon. Et ex Concilio Carthaginensi in Synodo Vermatiensi hæc verba proferuntur: *Animalia, quæ à lupis, seu canibus lacerantur, non sunt comedenda, nisi porcis, & canibus: nec ceruus, nec capra, si mortui inueniantur.* Et post alia: *Aues verò, & alia animalia, si in retibus strangulantur, non comedẽda.* Quod deniq. Syriacus textus cõfirmat, in quo sic habetur:

Lib. 5. c. 1.

Leo Nouel. Const. 58.

Concil secund. Aurel c. 20.

In Concil. Verm c. 65.

ܐܠܐ ܢܫܬܠܚ ܠܗܘܢ : ܕܢܗܘܘܢ ܦܪܝܫܝܢ ܡܢ

ܛܢܦܘܬܐ

ܛܡܐܘܬܐ ܕܕܒܚܐ ܘܡܢ ܙܢܝܘܬܐ ܘܡܢ ܕܚܢܝܩܐ ܘܡܢ

ܕܡܐ. Elo nescitlahh lhun, dnehuun farichin men ttamutho dadbihho vmen zoniutho vmen dahhnico umen dmo. Id est: *Sed mittetur eis, vt sint abstinentes à pollutione sacrificati, & à fornicatione, & ab eo, quod est suffocatum, & à sanguine.*

Quid ergò Luthero respondendum nobis erit? An, Synodali constitutione Apostolos voluisse Gentes cogi iudaizare, fatebimur? Vel Paulum Concilio contrarium, Concilij autem authoritatem eneruandam ducemus? Absit, absit, inquam, à nobis, nos, qui oratione nostra Ecclesiasticorum Conciliorum dignitatem hucusque pro viribus amplificauimus, vel in Conciliorum dignitatem, vel in Apostolum Paulum iniuriosos esse. Apostoli igitur, cærimonias Legis, & præcepta, non statim sustulerunt: sed, quantùm licuit, ritibus Iudæorum, iura Christianorum accommodarunt, & ad eorum normam temperarunt (sicut apparet in circumcisione Timothei, in delectu ciborum, in suffocato, & sanguine, & in rasura capillorum) vt, quemadmodum in parietibus fieri videmus, vt superinducendus nouus priori constructo firmius inhæreat, prominentes relinqui lapides, qui, velut nexus quidam, nouiter erectum sibi coniungant: ita certè aliquo, licet in re leuissima, remanente vsu Legalium, vt duo populi in vnum Christum, lapidem angularem, facilius necterentur, Gentes, ac Iudæi, æquè iussi sunt à sanguine, & suffocato temperare. Hoc verò Christiani, quod ab Apostolis, veluti coassationis causa, constitutum fuisset, omnes laudabiliter obseruarunt. Posteà autem, cessante causa, quidam idipsum præstare destiterunt: alij, Apostolici culminis reuerentia, illud ipsum institutum aliquandiu retinendum putarunt: quod demùm, totius Occidentalis Ecclesiæ consensu, est æquè laudabiliter abrogatum. Vndè præclarè Diuus Pater Augustinus, contrà Faustum, cum

non

non ex verbis ipsis, sed potius ex interpretatione, Christianos à suffocatis abstinuisse, dixisset, hæc in priorem sententiam addidit: *Etsi hoc tunc Apostoli præceperant, vt ab animalium sanguine abstinerent Christiani, ne præfocatis carnibus vescerentur: elegisse mihi videntur pro tempore rem facilem, & nequaquam obseruātibus onerosam: in quo cum Israelitis etiam Gentes, propter angularem illum lapidem, duos parietes in se condentem, aliquid communiter obseruarent: Simul & admonerentur in arca Noe, quando Deus hoc iussit, Ecclesiam omnium Gentium fuisse præfiguratam: cuius facti Prophetia iam, Gentibus ad fidem accedentibus, incipiebat impleri. Transacto uerò illo tempore, quo duo illi parietes, vnus ex Circuncisione, alter ex Præputio, venientes, quamuis in angulari lapide concordarent, tamen suis quibusdam proprietatibus distinctius eminebant. Et ubi Ecclesia Gentium talis effecta est, vt in ea nullus Israelita carnalis appareat: quis iam hoc Christianus obseruat, vt turdos, vel minutiores auiculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est? aut leporem non edat, si manu à ceruice percussus, nullo cruēto vulnere occisus est? Et qui fortè pauci adhuc tangere ista formidant, à cæteris irridentur.* Hactenus Augustinus. Non igitur, quòd veteris Legis præcepta simul cum Euangelio obseruanda existimassent Apostoli, ab immolatis, & sanguine, & suffocato abstineri præceperunt: sed, vt facilius & præclarius, ex Iudæis, & Gentibus, Ecclesia coalesceret, illud decreto suo constituendum esse duxerunt. Non enim initio nascentis Ecclesiæ, Iudæi Gentium societatem ferre potuissent; si eos carnibus victimarum, sanguine, vel suffocato (quod vehementer illi execrabantut) vesci intuerentur. Quare, neque Concilium vllo modò aberrasse, nec Iacobum Petri sententiam immutasse, sed ante rei definitionem prçceptum istud positiuum, & temporale addendum iudicauisse (cui cùm omnes assensi essent, Petro annuente, vnanimi consensione res definita est) Diui P. Augustini sententiæ innixi, firmiter tenendum existimamus.

Aug. contr. Faust. li. 32. c. 13.

Quod autem ex Concilio Neocæsariensi confirmato à Leone Quarto, & in prima Synodo Nicæna recepto (vt

Leo. 4. dist. 20. Can. de Libel.

Concil. Flo. sess 7. in Concilio Florentino testatum habemus) audacter hæretici proferunt, secundas ibi nuptias, quas Paulus concedit, prohiberi: hoc nimis stolidè, vt cætera id genus, faciunt: cùm non secundas nuptias, sed secundarum solemnitatem, quæ nuptiarum appellatione antiquis nota fuit, Neocæsariense Concilium prohibuerit. Hæc enim teste Isidoro, quando virgines nubunt, solùm in Ecclesia fieri consueuit. Et ideò antiquus vsus apud Christianos obtinuit, vt sponsalis annulus signo fidei, quod est Hieroglyphicum mutui fœderis & concordiæ, sculptus, loco arrhabonis, ab sponso sponsæ in primis tantùm nuptiis donetur: insuper & velum quoddam, quod flammeum à priscis dictum est, altera ex parte album, ex altera verò rubeum, à quo & nuptias dici, quod illo capita obnubantur recenter nuptis, eleganter tradit Ambrosius. Illis ergò, qui contrà leges & ritus Ecclesiæ ab Apostolis quidem traditos, vt author est Ignatius, (qui ipsis Apostolorum temporibus vixit) matrimonium contraxissent, & celebritatem illam, primis tantùm nuptiis debitam, secundis adhibuissent, pænitentiam imponi Concilium iubet; &, ne secundarum nuptiarum celebritati Sacerdos intersit, cautè rectèque prohibet. Nisi potius, vt glossa quędam habet, Concilij Canonem de eo, qui, viuente prima, secundam duxisset vxorem, exponendum esse dicamus.

Paulus. 1. Cor. c. 7.

Isidor. li. 2. de offi. c. 19.

Ambr. li. 1. de Abrahā cap 9.

Ignat epist. 11.

Glossa 31. q. 1. Can. de his qui frequenter.

CAP. VI.

DEinde Lutherus, qua est superbia, & acerbitate, Concilij Nicæni primi nonnullos Canones damnare ausus, facto ipso demonstrat, quod sibi nomē dari oporteat, qui celeberrimi illius cōuentus Patres maledictis insequitur, probris onerat, cōuitiis proscindit, & ea, quæ vniuersa Ecclesia Catholica probauit, impiè execratur. Quis enim vnquam, cui Christiani nomen inditum sit, Sacrosanctū Nicææ habitum Concilium primum damnare ausus est? Quis sanctiones, & decreta, & Sanctissimorum Patrum decisiones, quibus Spiritus veritatis adfuit, quorum etiam mentes cælesti virtute muniuit, & splendoris diuini radiis

diis impleuit, adeò, vt illorum placita non vt voces hominum, sed vt Diuina oracula, accipienda sint, improbare absque summa audacia, & infanda temeritate vnquam tentauit? Perfidus sanè homo in eo Concilio à se non posse Spiritum Sanctum intelligi apertè fatetur, cũ reprehendat Cõcilium, quòd aptos ad Sacerdotium eos esse negauerit, qui se castrauerunt; & Sacerdotes prohibuerit vxores habere. Cogitat miser ita difficilibus & periculosis legibus ministros Ecclesiæ obstrictos teneri, & ad impij voti redditionem impelli. Displicere namque ait Deo infidelem, & stultam promissionem: esse autem infidelem & stultam promissionem, vouere, quod præstare non possis: cuius generis esse vult continentiam, de qua quidam ex illius sectatoribus non dubitauit dicere, non magis arbitrij sui esse, vt à fœminæ commistione abstineat, quàm vt mas sit, an fœmina. Adeò non puduit istud impudens os suam populo incontinentiam ostendere. Quis autem non videt, si nihil vouendum sit, nisi quod à nobis tanquam à nobis, præstari possit, omnem iam vouẽdi rationem prorsus esse sublatã? Nam non modò facere, verùm ne cogitare quidem aliquid boni ex nobis, tanquam ex nobis idonei sumus Quòd si, quia periculum est in vouendo, vouendum non est: *nemo igitur militet*, ait Ambrosius, *ne aliquando vincatur; nec pedis vtatur obsequio, qui gradiendi periculum reformidat; nec oculi intendant officio, qui concupiscentiæ timent lapsum.* Prudenter sanè consuluisse Augustinus mihi videtur, dicens: *Non sitis pigri ad vouendum, non enim viribus vestris implebitis. Deficietis, si de vobis præsumatis: si autem de illo, cui vouetis, vouete securi, reddetis.* Quo in loco cùm de aliis votis, tum de voto Castitatis & Continentiæ, tanquam pio Deoque grato copiosè disserit. Quod etiam ad Pollentium scribens inter ea numerat, quæ rectissimè vouentur. Ac inter cætera, *Non eos*, inquit, *terreat sarcina continentiæ, leuis erit, si Christi erit: Christi erit, si fides aderit, quæ impetrat à iubente, quod iusserit. Non eos frangat,*

1. Cor. c. 3.

Ambros. de viduis.

Augusti. in psal. 75.

Aug. li. 2. c. 24. de adulteri. coniug.

Epi. ad Pol.

Epi. ad Pol. Lib. 2. c. 19. *gat, quòd videtur eorum continentia necessitatis esse, non voluntatis? quia & illi qui eam voluntate delegerunt, fecerunt eam esse necessitatis: quoniam iam sine damnatione ab illa deuiare non possunt: & qui in eam necessitatem contrusi sunt, faciunt eam esse voluntatis: si non de se ipsis, sed de illo, à quo est omne bonum, confidunt.* Quare non modò hoc præstari potest: verùm etiam facile, iucundum, suaue nobis futurum est continere, illo adiuuante, qui dixit: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* (Matth. c. 11) Verum quidem est, nihil esse tam facile, quin difficile fiat, si inuitus facias. Sed & illud verissimum esse censeo, quod Chrysostomus tradit: (Homil 45. ad pop. Antioch.) nihil esse, quod amor cum desiderio non facilè vincat. Quamobrem & Petrus Chrysologus, (Petrus Chrysog. ser. 40.) *Fortem,* inquit, *te faciat vis amoris: quia nihil durum, nihil amarum, nihil graue, nihil lethale computat verus amor. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæ mortes amorem præualent separare perfectum? Amor impenetrabilis est lorica; respuit iacula; gladios excutit; periculis insultat; mortem ridet: Si amor est, vincit omnia.* Hinc rectè colligere & iure optimo inferre possumus vbi vera sit fides (non illam dico, quam primus Lutherus spargere in vulgus cæpit, quamque Iacobus mortuam appellat, (Iacob. c. 2.) sed illam, quæ per Charitatem operatur, vt inquit Paulus) (Ad Gal. c. 5) nihil credenti & amanti difficile: atque ideò nihil non erit cum primis leue, & suaue. Nam si quos faciendæ rei tenet studium, nulla non adeunt vitæ pericula: fossas, præcipitia, flumina, feras non timent: quibus aliquandò temerè sese committentes immaturam mortem obeunt: nec tamen ex eo vllam sentiunt molestiam; quin potius voluptatem quàm maximam capiunt. Quid non efficiet amor, & desiderium illius, qui vita nostra est, & quidem vita sine vllo temporis interitu beata? Rectè sanè Augustinus (Aug. de morib. Eccles. Cathol. li. 1. c. 22.) nihil tam durum, atque ferreum putauit, quod non amoris igne vincatur: quo cùm se anima rapit in Deum super omnem carnificinam libera & admiranda volitabit pennis pulcherrimis, & integerrimis, quibus ad Dei complexum amor castus innititur. Quare Paulus, (Rom. c. 8.) *Nihil,* inquit,

inquit, *damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant.* Hoc est, qui Christo sunt, veluti cælestes quidam surculi, Fide, & Charitate inserti, quique inde humorem trahentes pestiferis vitiorum illecebris & cupiditatum lenocinijs nequaquam se dedunt. *Lex enim Spiritus vitæ in Christo Iesu*, idest, quam vitalis ille Spiritus iustorũ mentibus Christi beneficio insculpsit, *liberauit me à lege peccati & mortis.* Si verò, quæ sit huius tam admirabilis libertatis ratio à Christo in nos pro munere collatæ, cùm nondum illam cupiditatum tyrannidem, qua premebamur, euersam cernamus, aut è carnis nondum simus seruitute in spiritus libertatem prorsus vendicati, clarè & dilucidè inspicere volumus, animum, quæso, aduertamus. *Deus*, inquit Paulus, *filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio Legis impleretur in nobis; qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm Spiritum.* Hoc est, Christus, cùm sese hominum sceleratorum carne suscepta, pro peccatis hostiam immolasset, peccati illius, quod in carne residet, idest, concupiscentiæ dominatum ita fregit, potentiamque ita debilitauit, vt iustitiæ, quam Diuina Lex pręscribit, compotes effecti, non iam carnis blandimentis inflexi, sed spiritus maiestate commoti ab officio non recedamus. In prauis enim animi motibus coercendis, & pestiferis carnis allectationibus comprimendis excellentissima iustitiæ, & officij ratio aptissimè inest. Quocircà idem Paulus ad Galathas scribens, cùm omnia Legis officia Charitatis præcepto contineri docuisset, vniuersa etiam illius munera hac tandem complexus est sententia. *Spiritu ambulate, & carnis desideria non perficietis*: Hoc est, summa contentione cohibete. Caro enim, & spiritus inuicem sese oppugnant: neque caro nisi coercita, & compressa, ea nos præstare sinet, quæ spiritu impellente summopere nobis optanda sunt: quod multò clarius paulò post explicat: cùm illos, qui Christi sunt, idest, qui Christi admirabili spiritu agũtur, carnem suam

Rom. c. 8.

Ad Gal. c. 5.

crucifigere cum vitiis & concupiſcentiis dicit. Quid hoc? Concupiſcentiæne aculeis haudquaquam pungi & ſtimulari? Sed quis tam fœlix eſt, cui hoc mortali carne circundato contingat? Quid igitur? Cupiditatum ſeruile iugum deiicere, illarum impetus refrænare, vim, atq. blandimenta cū Chriſto cruci affigere nos oportet, vt, quamuis grauiſſimo earum pondere premamur, non tamen officium prodamus, neque crucem, quam cum Chriſto ſubiuimus, aliquandò deſeramus: ſed amoris cœleſtis igne inflammati cum Sanctis Apoſtolis & Martyribus non modò ab vxorum amplexu abſtineamus, & carnis libidines refrænemus: verùm etiam, ſi res tulerit, vltrò pro Chriſto millies mortem expetamus. Niſi forte amatores auri, amatores laudis, amatores fœminarum amatoribus ſuis Deus ſinat eſſe fortiores: cùm ille non amor, ſed potius cupiditas, vel libido dicenda ſit: in qua tamen apparet, quantus ſit impetus animi ad ea, quæ diliguntur, indeflexo curſu per immania quæque tendentis: argumentoque nobis eſt, quàm ſint omnia præferenda, ne deſeramus Deum, ſi tanta illi, vt deſerant, ſingulis horis & momentis perferunt.

Hic ergò puritatis & caſtitatis acerrimi hoſtes, Lutheri impij & ſceleſti ſectatores mihi reſpondeant, vtrum ab homine plus præſtetur, carniſne ſtimulis reſiſtendo, an imminentis mortis terrorem ſuperando, ac illos cruciatus non difficulter ferendo, quos tot millia Sanctorum Martyrum, etiam in fragili fæmineo ſexu tanta animorum alacritate, non modò priſcis illis temporibus in Eccleſiæ initiis, ſed etiam hac noſtra tempeſtate in Anglia, à ſæuis, diris, impiis Elizabethæ miniſtris, qui crudelitate, ſeu feritate potius omnium hæreticorum inhumanitatem & ſæuitiam ſuperant, legimus pertuliſſe, indieſque perferre ad aures noſtras defertur, nec ſine maximo dolore accipimus? Stimulis carnis reſiſtere facilius eſſe fateantur, neceſſe eſt, vbi vel metus tantùm grauioris alicuius

cuius

cuius periculi impendet; adeò huius motus, & impulsio vehemētior est. Atque verè quidam dixit, non locum esse libidini, vbi patientia dominatur: vbi viuitur sobriè; vbi mors timetur. Et tamen potuerunt illi, quæ sunt multò grauiora, potuerunt autem in illo, qui omnes in se sperantes corroborat, cùm viuat in nobis, cùm operetur in nobis & velle & perficere, atque nihil sit, quod illo faciente, vt faciamus, facere non possimus. Ipse enim est, qui in pugna nostra pro nobis congreditur. *Considera*, inquit Chrysostomus, *præsente Deo te cum hoste pugnare: fauet ille, vt vincas; fauet, vt obtineas. In tua pugna Dominus congreditur: Dominus dimicat: Dominus præliatur: & victoria tibi adscribitur. Certamen tuum Dei certamen est: Prælium tuum Christi prælium est. Quid trepidas? Quid formidas? Quasi tua virtute deuincas. Prehende arma: Procede in bellum: fortiter dimica, vt dimicanti adsit ille, qui vinci non potest. Nostra Victoria & Corona Victoriæ,* inquit Hieronymus, *illius protectione & clypeo paratur*. Et omnium primus Cyprianus, cùm esse bona, & à Deo instituta coniugia dixisset, præstare tamen continentiam, excellereque virginitatem, quam non cogit necessitas, aut mandatum, sed perfectionis suadet consilium, eleganter tradidit. *Quod si diuinis*, inquit ille, *consilijs obuiauerint tentamēta, & liberas mentes ad carnales reuocauerint appetitus, adest Deus fortis; nec spem ponat homo in homine, nec in brachio carnis suæ confidat: quia qui mundum vicit, victoriam suis promittit militibus: & qui victores sunt sui, cœlo vim inferunt: quoniam, sicut scriptum est. Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. In Christi nomine cum hoste antiquo manus conserimus, & fortis armatus, si fortior superueniat, de atrio iamdiu possesso potenter expellitur, & tentatæ infestationis audaciæ silentium imperatur. Imbecillitati carnis nostræ, quæ primis fæcibus Originalis mali infecta languerat, ex Christi carne redditur fortitudo; & Sacramentorum communicatio, per quam illius corporis synceritati adiungimur, nos adeò corroborat, vt de mundo, & cacodæmone, & de nobis ipsis parta

Chrysost. to. 3. in serm. de Martyr.
Exod. 14.
Cypr serm. de natiuit. Christ.
Matth. c. 11

parta victoria potiamur; atque singulis nostrum ita certantibus Apostolicum liceat proferre sermonem: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*. Hanc igitur cùm habeamus, quæ adiuuet infirmitatem nostram, quilibet homo Christianus clara & alta voce pronunciare potest. *Omnia possum in eo, qui me confortat*. Continentiam imperas Christe? da, quod imperas, & impera quod vis. Iubes, vt non modò carnis, verùm etiam oculorum effrenatam libidinem superem? da, quod iubes, & iube quod vis. Iniungis mihi, vt à fastu abstineam? da quod iniungis, & iniunge quod vis. Præcipis, vt cruciatus pro tuo nomine perferam, vt vitam etiam cum sanguine profundam? da, quod præcipis, & præcipe, quod vis. *Pone me iuxtà te, & cuiusuis manus pugnet contrà me. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Noli igitur timere Syon*, ait Sophonias Diuinus Vates, *non dissoluantur manus tuæ. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit, gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude*. Hinc disertè Nazianzenus. *Habes*, inquit: *in teipso adminiculum, quod neque mihi deest, neque cuiquam volenti: velle tantùm oportet. Adnitere tantùm, prope aderit consolatio in ore tuo, & in corde tuo. Dei recordatus sum, inquit, & exultaui. Quid est facilius, quàm recordari? Recordare tu quoque, & exultabis. O quàm obuia est hæc medicina, o quàm velox sanatio? O quanta est huius doni magnitudo? Non sedat modò pusillanimitatem, ac tristitiam, Dei recordatio; verùm etiam exultationem affert.*

1. Cor. c. 15. — Rom c. 18. — Philip. c. 4. — Iob. c. 17. — Psalm. 26. — Soph. cap. 3. — Nazian. in orat. 18. quã habuit ad subditos timore perculsos, & Imp.

Sed vt Pauli sententiam hac de re nequaquam aduersariis patrocinari appareat, cautè obseruandum est, non ipsum dixisse: Qui non possunt continerii, nubant; sed *qui non continent, nubant*. Idque Christi exemplo, qui & ipse non dixit: *Non omnes possunt capere*: ne quis fati rem esse existimaret (sicut Originem Hieronymus & Chrysostomus sequuti adnotarunt) sed: *non omnes capiunt verbum istud*. Possumus enim in eo, qui nobis vires suggerit: sed, non omnes volumus. Non adhibemus illud studium, quod est neces-

1. Cor. ca. 7. — Matth c. 19 — Orig. tract. 7 in Matth. — Hieron. lib. 3. in Matth. — Chrysost. ho. 63. in Matt

necessarium: non accedimus ea fide, qua oportet, ad eum precandum, cuius hoc virtute possumus. Non enim sumus sub lege, bonum quidem imperante, non tamen docente: sed sumus sub Gratia, quæ id, quod Lex iubet, faciẽs nos amare, potest liberis imperare. *Cùm audis*, inquit Gregorius Nazianzenus; *non omnes capiunt verbum hoc: sed quibus datum est; adde, datum quidem his qui petierũt, & qui assentiũtur.* Et Hieronymus: *Datum est*, inquit, *his, qui petierunt, qui voluerunt, qui, vt acciperent, laborauerũt. Omni enim petenti dabitur, & quærens inueniet; & pulsanti aperietur.* Qui ergò se non continent, nubant: idque eorum voluntati tribuendum est, qui cùm rem efficere possint, ob id eam minus perficiunt, quod laborem effugiunt, & prælium reformidant.

Nazianz. oratio. 31.

Si ergò continentia, castitas, & virginitas multò minus negotij amantibus se, quàm coniugium facessit, si cælibatus votum Dei præcepto minimè aduersatur, nec eiusmodi est, vt homo Dei auxilio fretus id præstare non possit: quid Lutherus? quid illius sectatores sacras Nicæni Concilij sanctiones improbare, & erroris labe inficere moliuntur; quòd Sacerdotes contrahere matrimonium prohibuerit? Eleganter quidem Lactantius Firmianus Venerem dicit authorem in Cypro mulieribus fuisse, vt vulgò quæstum corpore facerent: ne sola inter alias mulieres impudica, & virorum appetens videretur: quam tamen inter sua Numina Gentes retulerunt. Ita prorsus huius exemplo Lutherus & Bucerus, vt & ipsi possent inter hæreticorum Numina referri, violato iureiurando, quod præstiterunt, vt immodicæ libidini inseruirent, non quibusuis mulieribus, aut viris, verùm eiusdem, cuius ipsi fuerant status, & conditionis, hoc est, Sanctimonialibus, Religiosis, & Sacerdotibus authores fuerunt, authores, inquam, illis, qui corpora sua Domino consecrarãt, & perpetuam professi fuerant continentiam, & se voto castitatis obstrinxerant, vt & ipsi contrà iurisiurandi religionẽ, perfractis pudoris repagulis, ac ruptis pudicitiæ clau-

Lactantius lib. 1. c. 19.

stris

ſtris, eadem ſe nefaria turpitudine contaminarent; ne & ipſi ſoli inter alios impudicitiæ, & incontinentiæ dediti, obſcæni, & libidinoſi viderentur. Nec verò Spiritus Sanctus ſibimet cōtrarius eſt, cùm,& Sacerdotibus nuptias interdixerit, & Eunuchos ad Sacerdotium aſſumi prohibuerit. Illum enim, qui cùm recta valetudine vteretur, ſeipſum vltrò abſcidit;ſi iam Sacerdos ſit, à muneris exequutione abſtinere Sancta Synodus probè, & ſanctè iubet,& ne deinceps aliquis ita emaſculatus ad ordines promoueatur, ſtatuit: quia ſui ipſius ille homicida eſt, &, vt habet Canon Apoſtolicus,creationi Dei inimicus.Iam ad alia diſcutienda, quæ etiam iſti ex eodem Concilio taxarunt,feliciter tranſeamus.

Canon.21.

CAP. VII.

PRofert impius Lutherus, proferunt & illius Aſſeclæ, qui in parentis inſania perſiſtunt,Canonem illum Nicænæ Synodi,quo Paulianiſtæ, & Cataphrygi iterū baptizari compelluntur. *Si quis,* inquit, *confugit ad Eccleſiam Catholicā de Paulianiſtis,& Cataphrygis,ſtatutum eſt rebaptizari eos debere.* Quod ſanè decretum nunquā miſeri homines iſti,cū tamen diligentiſſimos ſe veritatis indagatores iactent,infringere tentaſſent, ſi vel hoc ſolo facto ſe ignorantiā ſuā prodere animaduertiſſent.Sed huius rei ignari, neſcijque rationis & cauſæ,qua ducti Patres Nicææ congregati,qui Spiritus Sancti lumine, & ſplendore irradiati, atque opibus à Chriſto Eccleſiæ ſuæ promiſſis locupletati erant, decretum condiderint, vt Paulianiſtarum,& Cataphrygorum baptiſma reijcerent, Sacroſanctum Epiſcoporum conuentum omni pudore abiecto, impudentiſſimis calumnijs proſcindere,illius decreta improbare, ſanctiones reiicere ſumma cum audacia, & temeritate moliti ſunt. Nos verò Auguſtinū, & Philaſtrium conſulamus, à quibus, qui Paulianiſtæ,& Cataphrygi fuerint, edocti, rectiſſimè illorum Baptiſma damnatum fuiſſe, liquidò cognoſcemus. Illi, teſte Auguſtino, Dei filium, è cœlis deſcendiſſe pernegant, & in vtero virginis initium habuiſſe volunt.

Conc.Nicæ. c.19.

Auguſt. in Catal. hæret.

ſunt. Chriſtum deinde, vt tradit Philaſtrius, Deum & Dei filium non ſubſtantiuum, ac perſonalē & ſempiternum eſſe cum Patre, ſed prolatiuum tantùm, ideſt aerem quendam impudenter aſſerunt. Dicunt etiam illum communem hominem natura fuiſſe, neque quicquam præcipuū præ nobis habuiſſe, & Diuina ſubſtātia caruiſſe, atq. in eo perinde, ac in Propheta Filium Dei habitaſſe, & rurſus ab eo diſceſſiſſe. Hæc illi, nonnullaque his ſimilia contrà Eccleſiaſticam doctrinam palàm dictitantes, vniuerſalem, & quæ ſub cælo eſt, Eccleſiam totam proſcindere non ceſſarunt. Hinc factum eſt, vt baptizandi formam, qua Eccleſia Catholica vtitur, & quam Chriſtus Apoſtolos ſuos docuit, reiecerint, neque in nomine Trinitatis baptizauerint. Vndè in Nicæno Concilio præceptum eſt, vt cùm ex iis aliqui ad Eccleſiam Catholicam redirent, iterum Sacro Baptiſmate inſignirētur, quòd veram Baptiſmi formam non ſuſceperant; & ideò nec verum vnquam Baptiſma habuerant. Quare iurene, an iniuria Lutherus, eiuſque ſectatores in hunc Nicæni Concilij Canonem inſurrexerint, in quo intolerabilem errorem ineſſe dicunt, quiſquis mentis compos eſt, Iudex eſto.

Denique cùm in Canonem illum eiuſdē Synodi, quo illis, qui Chriſto nomina dederant, & redire ad militiam ambibant, pœnitentia iniungitur, Lutherus, Brentius, & Hermanus incidiſſent, queruli inanes clamores in ſanctiſſimorum Præſulum conuentum Nicææ habitum extollere non ceſſarunt: quaſi militiam, quam Ioannes Baptiſta exerceri honeſtum duxit, neque Legi Dei aduerſari, niſi iuſtitiæ, & æquitatis terminos excederet, definiuit, Concilium damnauerit. Quantùm autem ab ſcopo & mente ſanctiſsimorum Patrum ij aberrauerint, quicunque Synodi ſententiam accuratè perpenderit, & Theodorum Balzamonem, & Zonaram, qui hos Canones expoſuerunt, & Ruffinum cōſuluerit, clariſſimè intuebitur. *Euſeb. li. 8. cap. 4.* Nam paulò antè illud tempus, quo perſecutionis ardor

contrà omnes Christianos incensus erat, cùm Diocletianus, qui Imperij dominatum occupabat, tanquam à graui, & temulento sopore excitatus, clàm & ex occultò primùm in Ecclesias Dei irrupisset, non quasi aceruatim contrà Christianos bellum suscipiendo, sed eos solos, qui in exercitu Romano militabant, paulatim aggrediendo (etenim, si prius cum illis dimicans victor fortè euasisset, reliquos eo modo posse facilè deuinci putabat) permulti eorum, qui in Castris Romanorum versabantur, lubentibus animis vitam inopem, & abiectam eligere maluerunt, quàm pietatem, & cultum, qui Deo vniuersarum rerum conditori debetur, aliquandò deserere. Sed iam anteà Maximinus, aut quisquis ille fuerit, in eos Christianos, qui sub Romanorum vexillis degebant, grassatus fuerat: & illos ab aliis militibus, in quorum numerum asciti erant, separauerat, & liberam optionem dederat, vel honoris perfruendi, si edicto parerent, vel eos amittendi, si aduersarentur: multi tamen, qui veri Christi milites erant, omni sublata mora, manifestam Fidei confessionem falsæ & inani gloriæ, qua in mundo frui poterant, sine vlla dubitatione prætulerunt. Licinius quoque à recta ratione, & pacato mentis statu dimotus, & animi furore omninò agitatus contrà Deum ipsum, Constantino relicto, bellum gerere decernens, primùm vnumquemque Christianum ex ædibus suis eijcit; deinde milites Christianos in singulis ciuitatibus ex aliorum militum numero eximit, eosque si non libenter dęmonibus immolare instituant, de dignitatis gradu deturbari iubet. Fuerat autem olim militiæ cingulum in magno pretio habitum: quoniam milites, qui illud adepti essent, quàm multis afficerentur priuilegiis, & eximiis honoribus gauderent. Quocirca veteres illi Ethnici Imperatores persequutionis tempore, quos à Christiana Religione ad inanem Idolorum cultum abducere nequiuerant, militiæ cingulo, & omni honore, ac dignitate priuare consueuerunt. Nam & Iulianus

Euseb. li. 10 cap. 8.

nus, teste Ruffino, militiæ cingulum nisi iis, qui Dijs immolassent, donari prohibuit. Idem Ruffinus Valentinianum à Deo Imperium accepisse dicit: quia pro eius Fide, imperante Iuliano, militiæ cingulum spreuerat. Quoniã igitur Christiani milites nonnulli, qui Dei amore inflammati Christianam Religionem omni humano honori anteposuerãt, militiæque cingulum abiecerant, postea à cacodæmone seducti, & parati fidem negare rursus idem cingulum ambibant, æquissimo iure sacrosanctum Nicææ initum Concilium seueram illis iniungendam pœnitentiam decreuit. Non quod militiam damnaret, sed quia militiæ cingulum semel abiectum rursus ambire, signum manifestum idololatriæ esse haud obscurè appareret. Sic autem in Concilij decreto scriptum legitur: *De ijs, qui propter necessitatem præuaricati sunt, aut propter ablationem facultatum; aut propter periculum; aut aliquid huiusmodi, (quod factum est sub tyrannide Licinij) placuit Sanctæ Synodo, licet indigni sint misericordia, tamen aliquid circà eos humanitatis ostendi. Si quos ergò ex animo pœnitet, tribus annis inter pœnitentes habeantur.* Et cæt. *Si qui verò per Dei gratiam vocati primò quidem ostenderunt fidem suam, deposito militiæ cingulo: post hæc autem ad proprium vomitum reuersi sunt, vt & pecunias darent, & ambirent redire rursum ad militiam: isti decem annis sint inter pœnitentes, post primum triennium, quo fuerint inter audientes.* Idest, Catechumenos. Cùm igitur toto isto Canone de lapsis fuerit sermo habitus, adeò, vt ijs, qui ob vitæ, vel amittendæ facultatis metum à Fide defecerant, decem annorum pęnitentiam iniunxerit, ijs verò, qui militiam Fidei Christianæ amore incensi contempserant, atque eam rursus ambiuerant, quia grauius deliquerant, (quippè qui post Christi confessionem ad Idolorum cultum redierant) tredecim annis pœnitentiam agere præceperit, non est, quod falsitatis & erroris labe sacrosancta Synodus aspergatur: quasi Ioannis Baptistæ sententiæ, authoritatiq. aduersetur. Est tamen, quod eã, vt par est, summopere suspiciamus, colamus atque veneremur: quia in

Ruffin. lib. 10. hist. c. c. 32

Lib. 11. c. 2.

Can. 11. Concil. Nicæ.

eos, qui in Christum, & sponsam illius iniurij, Catholicam Religionem, quam Dei munere, & fauore amplexati erant, rursus ad sacrificia nefaria, & impura deducti vel dæmonibus immolando, vel sese immolaturos esse spondendo contempserant, seueram animaduersionem decreuit. Quid enim Sacra Synodo dignius, quàm ab illis, qui sponsam filij Dei iniuriis, & opprobriis afficiant, illius Sancta violent, & sacrata Mysteria execrentur, qui etiã ipsum Dei filium, vt inquit Paulus, conculcauerint, & sanguinem Testamenti pollutum duxerint, in quo sanctificati sunt, & spiritui gratiæ contumeliam fecerint, veri omnipotentis, & sempiterni Dei contempta Religione, ad inanium Deorum cultum se conferendo, grauissimas pęnas exigere. Cùm igitur Generalium Conciliorum dignitas, & præstantia ex Spiritus Sancti afflatibus & procuratione Christi beneficio præstitis potissimum existat, firmissima illa esse, quæ ipsorum, hoc est, totius Ecclesiæ iudicio fuerint approbata, ex aduersariorum refutatione, fraudum detectione, & inanium cauillationum apertione, cuiuis liquidò iam poterit constare; Cōciliorumque definitiones, & decreta nulla esse erroris labe respergenda, nisi sit expers mentis, facilè quispiam iudicabit.

Heb. c. 10.

In Concilio deinde Constantinopolitano, quod secundum est Generale, vt Conciliorum authoritatem labefactaret, duo obseruauit impius Hermannus Hamelmanus quæ maxima reprehensione, atque correctione digna existimauit: vnum quidem primatum Ecclesiasticum esse Romani Pontificis: alterum verò post Romanum Pontificem Constantinopolitano Episcopo primam sedem deberi: quæ postea in Chalcedonensi Synodo vltima actione fuerunt renouata. Iam verò inde Constantinopolitanæ Synodi Canones istos ille reprehendit, & Concilium erroribus infectum dicit, quòd in Concilio Nicæno Primatum Ecclesiasticum Hierosolymitano Episcopo tribui existimauerit, & Carthaginense Concilium tertium prohibue-

Concil. Nic cap. 7. Carthag. c. 26.

hibuerit quemuis Sacerdotum Principem, vel Summum Sacerdotem appellari. In Concilio denique Nicæno secunda Sedes Alexandrino Præsuli, tertia Antiocheno tribuitur: cuius Canonis Leo primus sæpe meminit. Quæ Conciliorum decreta cùm secum pugnare, vt Hermãnus putat, manifestè pateat, caussam impius iste sacrorum Canonũ examinator vicisse sibi videtur. Qui certè, quantùm hoc suo examine deceptus fuerit, probè cognouisset, si piè, & religiosè, minimè verò contentiosè, quæ à sacrosanctis Synodis decreta sunt, perpendisset. *Nic. can. 6. Leo epi. 53. 54. & 55.*

Nam primùm, quod ille reprehendit circà Primatum Ecclesiasticum Romano Pontifici Synodali constitutione delatum, hominis profectò turbulentissimi impietatẽ, & in Petri Apostolorum Principis Sedem conceptum odium prodere mihi videtur: quam nemo vnquam honoris & dignitatis amplitudine atque maiestate à Christo mirum in modum commendata priuare molitus est: nisi qui veritatem exosus esset, & membrorum Ecclesiæ inter sese perfectam Elegantiam, cum capite verò mirabilem nexum perhorresceret. Quod cùm prudenter cautèque Patres aduertissent Nicææ congregati Hierosolymitano Episcopo honorem quidem iure optimo, haud tamen totius Ecclesiæ Primatum deferendum esse decreuerunt. Hoc vel ex eo maximè liquere arbitror, quod ijdem Patres non Romanæ Sedi modò, Alexandrinæ, & Antiochenæ, sed etiam Cæsariensi, quæ Palæstinæ Metropolitana sedes erat, Hierosolymitanam subiiciendam esse statuerint: quod tam Leo, quàm Sanctus Hieronymus eleganter, vt cætera alia edisserunt. Nec verò Carthaginense Concilium, cùm Nationale fuerit, vniuersæ Ecclesiæ Leges præscribere, sed solis Africæ Episcopis, ne illorum aliquis, Sacerdotum Princeps, vel Summus Sacerdos dici affectaret, præcipere potuit. *Can 6. & 7.* *Leo. vbi supra.* *Hieron. ep. ad Pam. de error. Ioan. Hierosol.*

CAP. VIII.

QVod verò attinet ad secundum Canonem, quo Constantinopolitanam Sedem primam post Romanã

con-

Conci. Cōſt. cap. 2. Concil. Nic. cap. 6. conſtitui, contra Nicæni Concilij ſanctionem, audacter nobis obiiciunt, nullo certè modo ſanctiſſimam Conciliorum æſtimationem violare poſſe manifeſtè cognoſcet, qui ad ea, quæ Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius hac de re accuratè ſcribit, mentem appellet. Efficaciter enim comprobat commentitium prorſus, neque vnquam à ſacra Synodo priuilegium illud conceſsum fuiſse. Quod ſi Annal. Eccleſ. tom. 4. an. 381. nos quoque pro ingenij noſtri tenuitate demonſtrare cōtendamus, haud operam luſuros arbitror. Res ergo ſic ſe habet. Ijs, quæ pro fide Catholica aduerſus hæreticos, qui eam totos neruos intendentes labefactare conabantur, in Patrum Concilio piè & Catholicè ſtabilitis: ad pacem inter Catholicos initam diutiſſimè conſeruandam, decretum aliud recentis mali occaſione à ſanctiſsima Synodo ſapientiſsimè excogitatum eſt. Nam cùm Aegyptij Antiſtites, Petro Alexandrino Epiſcopo annuente, auſi eſsent in tam remota à ſua diœceſi ciuitate Epiſcopum ordinare: eiuſque rei, temerè potius, quàm prudenter exactæ, cauſa deſtruendæ, opus fuerit tot ex vniuerſo Oriente Conſtantinopolim Antiſtites conuenire, vt ſtatum illius Eccleſiæ perturbatum componerent: ne quid ſimile in poſterum Antiſtes aliquis tentaret, quæ decreta fuerant à ſacroſancto Nicææ habito Concilio de diœceſeon diſtinctione, innouantes, Canonis præſcripto ſanciuerunt; vt omnes vbique Eccleſiæ ſecundùm veteres Canones gubernarentur: vtque Epiſcopi propriis Eccleſiis ſuis præſiderent, neque extraneas temerè inuaderent, aut ſe priuatorum tacitis electionibus committerent, ſicut anteà ſæpè contigerat, dum perſequutioni ſubiaceret Catholica Eccleſia: quæ etiam in vnaquaque cuiuſque Nationis Synodo conſtituerentur, vt ea quàm rectiſſimè apparerent, curarent & facerent. Itaque cùm iam de concordia conſtituenda conueniſſent; & Canones pro recta Eccleſiæ adminiſtratione conſcripſiſſent, ſtatuiſſentque vt Fidei formula cumprimis in Concilio Nicæno edita

firma

firma ac stabilis maneret; & quibuscumque Prouincijs iura sua integra seruarentur, Antistites ad proprias Sedes remearunt: ea ad secundum istum Canonem insidiosè adiecta particula, vt post Romanum Pontificem Cōstātinopolitanus prærogatiuam dignitatis obtineret; vtpotè qui nouæ Romæ Sedem gubernabat. *Iam enim* (inquit Sozomenus) *non modo hanc appellationem, vrbs ea adepta erat, Senatuque, & Ordinibus, ac Magistratibus consimiliter vtebatur: verùm & insignia quoque eadem Romano ritu præferebat, & iura pariter atque honores vtrinque in omnibus congruebant*. Nec aliter Socratem hac de re loquutū fuisse video. Et Theodorus, in eiusdem Canonis explicatione, fuisse, olim Byzantij Ecclesiam sub Metropoli Heraclę, sed hisce postea auctam priuilegijs, cùm à Constantino collatis, tum ab hac Synodo impertitis, primum post Romanam Sedem locum obtinuisse, constanter asserit. Hoc tamen commentitium prorsus habendum, paucis, ex multis, quæ in huiusce veritatis confirmationem possemus adducere, demonstrabimus. Extat enim, imprimis, Gregorij Magni locuples testimonium in ea, quam ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, & Anastasium Antiochenæ Ecclesiæ Præsulem scripsit, Epistola, qua testatum esse voluit, Romanam Ecclesiam, non, nisi quæ in causa Fidei ab hac Synodo essent decreta, recepisse. Sozomeni verò historiam, quod mendacibus scatet, reiiciendam potius esse quàm amplectendam, quippe quam Romana Sedes recipere recusaret. Huc illud Gelasij Romani Pręsulis amplissimi aduersus Acacium prolatum elogium spectare mihi videtur: *Cuius Sedis Episcopus?* (Acacium intelligit) *Cuius Metropolitanæ ciuitatis Antistites? Nonne parochia Heracliensis Ecclesiæ?* & cætera quæ ille prosequitur in eandem sententiam. Siccine propriæ authoritatis oblitus, & dignitatis suæ contemptor fuit Timotheus Alexandrinus Episcopus, vt præferri sibi Constantinopolitanum Antistitem æquo animo passus esset? Equidem in eam sententiam

Sozo. lib. 7. hist. Eccles. cap. 9.

Soc li. 5. c. 3. Conc. Const. c. 4. alibi. 5. apud Theodo. 3.

lib. 6. indict. 15. epist. 31.

Gela. epi. ad Epis. Darda. to. 1. Concil.

haud

haud adduci possum, vt existimem Constantinopolitanam Alexandrinę sedi præferri potuisse ab vniuerso Concilio, quin ipsius Præsul causam suam aliquo modo defenderet. Cùm autem hac de re nec verbum vllum, qui acta huius Concilij adamussim scripserunt, fecisse videã, commẽtitium profectò, & temerè Synodicæ sanctioni additum inconsultis Patribus priuilegium illud fuisse reor. Quamobrem cùm absoluta Synodo Chalcedonensi Anatolius Constantinopolitanus Episcopus illud tanquam in ea Synodo sibi concessum vsurpare conatus esset, illi quidem Leonem Romanum Pontificem maximè aduersatum fuisse legimus, non tamen Anatolium Constantinopolitanæ Synodi decretum, quo ius suum, si quod haberet, æquè tueri posset, cùm Sanctissimi Leonis sibi aduersantis literis grauiter vrgeretur, in medium protulisse vllis rerum gestarum monumentis consignatum est. Qui etiam fieri potuisset, vt si eiusmodi Canonem Patres in Concilio condidissent, cùm sequenti anno Constantinopolim conuenerint, & ad Damasum de rebus in Synodo gestis literas dederint, illius mentionem minimè fecerint? Quibus adde, hoc priuilegium omninò aduersari Synodicæ sanctioni, qua ex præscripto Nicæni Concilij voluit sancta Synodus quibuscunque Prouinciis iura sua integra esse seruata. Quòd si absque iniuria Constantinopolitana cæteris Patriarchalibus Sedibus, quæ antiquitate illi longe antecellebant, præferri non potuit: haud obscurè sanè liquere arbitror, (quicquid hac de re Socrates & Zonaras literis mandauerint) particulam illam, qua Constantinopolitanæ Sedi primus post Romanam locus conceditur, inconsultis Patribus fraudulenter Synodicæ Constitutioni additam fuisse: ac propterea aduersarij nostri impij & scelesti Hermãni argumentum ad labefactandam sacrorum Conciliorum incorruptam authoritatem, nullas omninò vires habere.

Non tamen me latet tum à Cæsare, tum à Patribus Constan-

ſtantinopolim nouam Romam paſſim fuiſſe appellatam. Nam, vt cæteri nunc ſileant, B. Gregorius Nazianzenus in ea, quam ad Conſtantinopolitanos ciues de ſeipſo habuit, oratione, diſertiſſimè inquit: *Vos magnæ vrbis ciues, qui primi ſtatim poſt primam eſtis, aut ne id quidem illi conceditis, ita vos gerite, vt primi, non improbitate, ſed virtute, non morum diſſolutione ac mollitie, ſed optimis legibus ſitis.* Alibi quoque ait: *Orat.27.*

δύω μὲν οὐ δέδωκεν ἡλίους φύσις,
διττὰς δὲ ῥώμας, τῆς ὅλης οἰκουμένης
λαμπτῆρας, ἀρχαῖον τε καὶ νέον κράτος,
τόσον διαφέροντας ἀλλήλων, ὅσον
τὴν μὲν προλάμπειν ἡλίου, τὴν δ' ἑσπέρας.

In vi. S. Gregor.

Non autem Natura dedit Duo lumina Solis,
Sed Romas dedit illa Duas, quæ totius Orbis
Lampades exiſtunt, Romam veteremque nouamque:
Hoc inter ſeſe tantùm diſcrimen habentes,
Quòd videt hanc Phœbus ſplendere, ſed Heſperus illam.

Non, inquam, hæc nos loco mouent. Cùm enim ad ciues Conſtantinopolitanos ſermonem haberet, eos ex propria ipſorum opinione & ſententia ab improbitate arcere & in officio continere ſtuduiſſe ipſa verborum ſeries apertiſſimè oſtendit: imò & tacitè obiurgare ac increpare illorum ſuperbiam videtur, cùm ne primæ quidem & vetuſtiſsimæ Romæ eos fortè cedere ſignificauerit. Quid etiam ſi ob ædificiorum pulchritudinem, & eximiam vrbis ipſius amplitudinem, & Politici ſtatus decorem eam cum prima & antiquiſſima Roma conferat? Num propterea illam dignitate & authoritate Eccleſiaſtica Alexandrinæ & Antiochenæ Eccleſiæ antecellere exiſtimauit? Nihil minus certè putandum eſt. Vbinam gentium, quæſo, prærogatiua ſedium ex pulchritudine, amplitudine vel dignitate ciuitatum à maioribus reperitur eſſe ſancita, & non potius ex Apoſtolorum ſucceſſione, vnde & ipſæ ſunt Apoſtolicæ nuncupatæ, & præ cæteris à Patribus euectæ ad ampliſſimos honores reperiuntur? *Habeat* (inquit ſan-

Leo epi. 54 ctiſſimus Leo ad Marcianum Imperatorem ſcribens) *ſicut optamus, Conſtantinopolitana ciuitas gloriam ſuam, ac protegente dextera Dei, diuturno clementiæ veſtræ fruatur Imperio: Alia tamen ratio eſt rerum ſæcularium, alia Diuinarum; nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento poſuit, ſtabilis erit vlla conſtructio.* Ob idque Eccleſiarum priuilegia Sanctorum Patrum Canonibus inſtituta, & ſacroſanctæ Synodi Nicænæ fixa decretis, nulla potuerunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari.

Quòd ſiquis mihi adhuc obijciat in Concilio Chalcedonenſi denuò conſtitutum fuiſſe, vt Conſtantinopolitana Sedes poſt Romanam primum locum obtineret, vt vel rerum in ea Synodo geſtarum ſe prorſus ignarum eſſe palàm oſtendat, vel ſummæ cuiuſdam temeritatis & eximiæ procacitatis crimine nos illum condemnemus, neceſſe eſt. Quid enim ſi, abſentibus legatis, Anatolius, conſentientibus Orientalibus Epiſcopis, Alexandrinæ & Antiochenæ Eccleſiarum iura furtim ſibi vendicare conatus eſt? Equidem dum rem tanto conſeſſu indigniſſimam perpetrauit, ſe ex ſchola Dioſcori hominis ſceleſti prodiiſſe oſtendit, quamuis, vt ad Cōſtantinopolitanæ Sedis Epiſcopatum perueniret, eum prius deſeruerit. Itaq. recognita vt ab hac infamiæ nota ſacroſanctum Epiſcoporum Cōuentum vendicarent, & nefarios Anatolij conatus reprimerent Legati Sedis Apoſtolicæ die ſequenti, collectis in vnum Patribus, conuenerunt. Lecto autem decreto, Lucentius Romani Præſulis Vicarius compellans ita Iudices dixit: *Primò gloria veſtra perpendat, qua circumuentione cum Sanctis Epiſcopis geſtum ſit, vt non conſcriptis Canonibus, quorum mentionem fecerunt, ſubſcribere ſint coacti.* Et poſt alia: *Accedit ad cumulum, quod trecentorum decem & octo conſtitutionibus poſtpoſitis, centum quinquaginta, qui in Synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantum feciſſe noſcantur, qui dicunt ante octoginta prope annos conſtituta fuiſſe. Si ergo his temporibus hoc beneficio vſi ſunt, quid nunc requirunt? Si nunquam vſi ſunt, quare requirunt?* Recla-

marunt

marunt igitur, fortiterque sese opposuerunt Anatolio, cumque produxissent Sanctissimi Leonis Pontificis Romani mandatum, quo sibi præcipiebatur, vt Patrum constitutionem prolatam nulla paterētur temeritate violari; sed eorum potius, qui ciuitatum suarum splendore cōfisi aliquid fortè sibi vsurpare tentarent, sermones & conatus omnes retunderent, (longè enim antè, hunc rei euētum præuidisse videtur Romanus Pontifex) fauentibus tamen Iudicibus (qui Constantinopolitani ciues erant) Anatolio, in eius sententiam itum est: quamuis Lucentius Apostolicæ Sedis Legatus forti constantique animo semel atque iterum & sæpius obstitisset. Quo certè factum est, vt Damasus & Leo Sanctissimi Pontifices Romani nunquam adduci potuerint, vt decretum istud authoritate sua firmauerint quoad vixerunt, cùm tamen ea, quæ ad Fidem Christianam spectabant, literis suis probauerint. Præclarè enim Leo in Epistola ad Anatolium, disserens de Constantinopolitani Concilij decreto, inquit: *Frustrà quorundam Episcoporum profertur consensus, cui tot annorum series negauit effectum.* Et ad Pulcheriam Augustam, *Consensiones*, ait, *Episcoporum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes in irritum mittimus, & per authoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.* Ad Anatolium, quoq. (quē, vt ea, quæ ad Primatum Sedis Constātinopolitanæ spectabant Synodicæ sanctioni adderentur, authorē extitisse probè sciebat) rescribens, ipsum acriter obiurgauit, quòd inconcessa tentasset. *Post illa*, inquit, *ordinationis tuæ non inculpata principia*, (nam à Dioscoro, deposito Flauiano, ordinatus fuerat) *post ordinationem Antiocheni Episcopi, quam tibimet contra Canonicam regulam vendicasti: doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, vt Sanctissimas Nicænorum Canonum constitutiones conareris infringere; tanquam opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris priuilegium Sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit: vt, his locis iuri tuo subditis, omnes Metropolitani Episcopi*

Epist. 54. & 55.

Leo epi. 53.

ſempiternas eſse dixit: quod omninò immutabiles ſint.

Huic ſanè diſceptationi eſsem iam finem impoſiturus, quòd neque errata omnia, quæ aduerſarij Conciliis adſcribunt, ſine maximo lectoris tædio (quod effugere mihi ſemper ſummæ curæ fuit) recenſere valeam, neque diligenti diſcuſsione omnia indigeant: quippe quæ vel falsò impoſita ſunt, vel illis aſsignantur, quæ à ſummis Pontificibus reprobata ſolam & nudam Conciliorum appellationem retinuerunt: vel denique eiuſmodi ſunt, quæ præcipua Religionis noſtræ fundamenta contineant. Verùm ne, dum ſub pietatis ſpecie populorum auram captant, verborum fuco rerum ignaros decipiant, &, nobis non repugnantibus, victoriam ſe reportaſse iactitent, vno, vel altero argumento eorum, quæ aduerſus nos mouent, diligenter expēſo, iſtorum calumnias & fraudes amplius detegere decreui. Solent enim iſti, quæ firma aliqua ratione impeti, labefactari, & euerti non poſsunt, pietatis prætextu ludibrio habere: & idcircò maxima argumentorum pars, quibus ipſi vtuntur, in ſcurrilitatem, vel potius garrulitatem deſinit. Ars quidem vna eſt, & methodus communis omnibus infidelibus, & in reprobum, vt dicitur, ſenſum traditis hominibus, vt ſui ingenij captu Diuina mentiantur, & ad illum verba Dei accommodēt, aut repugnantia derideant. Deprauata enim illorum mēs & ratio fraudulenta, & obſtinata peruerſitate, ad reſiſtendum Deo viuenti, atque eius ſanctiſsimo ſermoni armatur: ſemperque illi obmurmurat, & anxia, & ſollicita omnia perueſtigat, quibus, quamdiu poteſt, reluctetur. *Gen. 18.* Cùm verò non habet, quo verbis Dei reſiſtat, ſolet eludere iocis, & riſu: quemadmodum Sara à Deo iuſsa ſemen ex nuptiis legitimis expectare (quaſi rem, quæ fieri nequiret, & nequaquam veriſsimilem audiiſset, quia modum videbat in Natura deficere) in riſum proſiliit, & ludibrio habuit promiſsionem Domini: cui etiam voluit illudere, & riſum ſuum occultare. Abraham etiam ſcurrilita-

rilitatis durius argutus, ac de modo edoctus à risu temperauit, deditque omninò manus, certò sciens Deum, quæcumque promisit, posse facilè præstare. In hac sanè mirabili Abrahæ & Saræ historia, si omnia penitus, quæ continet singulatim examinemus, primùm mores nostros, & incredulitatem, vbi cæperimus à verbis Dei deflectere, inspicere licebit: deinde intuebimur, quàm sit natura nostra morigera, & simplex humanarum vocum interpres, postquam fide Dei beneficio fuerit planè illustrata. Ne igitur ijs, qui vel ignorantiæ tenebris, vel impietatis caligine obuoluti, etiam in media luce cæcutiunt, & Dei promissionem irrident, opera nostra deesse videatur; paulisper in Berengarij confessione discutienda, quæ Romæ in Concilio coram Summo Pontifice Nicolao edita est, nosmet immorari operæ pretium esse duximus. Maximè enim aduersariis nostris displicent verba illa: Post consecrationẽ verum Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi sensualiter, non solùm Sacramentum, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, & fidelium dentibus atteri. Astutè quidem, vt author est Cyrillus Alexandrinus, simulant hæretici se nullo modo gloriæ Christi obluctari: cùm intereà illorum verba sint acuta iacula, & execrabiles linguæ vulnerent, & ipsam Diuinam Maiestatem discerpant. Ex eo autem à nobis Christi gloriam imminui exaggerant, si non solùm eius caro redigatur sub terræ vilissima elementa: sed dentibus conteratur, in stomachum mittatur, atque in secessum egeratur: quæ necessariò consequi clamant ad eiusdem carnis corporalem manducationem. Iam verò Paulus ad Romanos scribens inquit: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur.* Quæ Pauli sententia cum Berengarij confessione, ac Romani Concilij decreto conuenire non posse Sacrorum Conciliorum oppugnatoribus videtur. Vnde Petrus Martyr nihil discriminis intercessurum inter nos atq. Capernaitas affirmat, si dentibus dilaniari Christi corpus etiã inconspicuè fassi

Cyrill. lib. 2. de Trinitat.

Rom. c. 6.

fue-

fuerimus. Lanienam enim, & quãdam carnis suæ visceratione Capernaitæ Christo imputabant. Nos deinde, Beza, stolidiores Aegyptiis, appellans, acerrimè insectatur: quòd id, quo vescimur, Deum nostrum dicamus. Putridis tandem inuectiuis confessionem Berengarij, Conciliique Romani Sacrum Canonem hæretici proscindunt. Atque eò impurissimi homines orationem suam protraxerunt, vt piorum aures vehementer abhorreant à commemoratione spurcorum verborũ, quibus sanctum Domini sues immundi contaminant. Non quidem me latet huiusmodi obscœnis hæreticis hac de re aliquid respondere periculosum esse; multòque præstare aures nostras obstruere diligenter, ne illorum nefanda verba audire possint. Periculosius tamẽ esse iudico tantam eorum falsitatem nullis Fidei Catholicæ rationibus impeti. Illis enim execrationibus auram popularem maximè captãt, & ignaram plebeculam perturbando millies obtundunt. Qua de re cùm viri doctissimi hac nostra ætate & copiosè & eruditè disseruerint; adeò vt à nullo quantumuis docto & in sacris litteris versato æquari, nedum superari posse videantur, nos ea solùm, quæ ad institutum nostrum magnopere spectare videbuntur, Angelici Doctoris vestigia sectantes, ex Patribus mutuabimur.

Petr. de Soto in Instit. Sacer. Clau. de Sãctes in Repi. de re. Eucha. cõtr. Belar. de Sacram. Euch. to. 2. Henri. Henriquez. lib. 8. suæ Sũmæ. & alij.

CAP. IX.

VT igitur sacri Concilij Canonem ab aduersariorum calumnijs vendicemus, proponamus imprimis: Certa fide tenendum esse, non minus verè & reipsa corpus Christi & sanguinem esse in hoc Sacramento, quàm anteà erant panis & vinum, quamquam alio prorsus modo, qui sicut soli Deo possibilis est, ita ab eo solo, vel eius reuelatione, cognosci potest. Ac primum quidem ipsa consecrationis verba apertè demonstrant, & prisci Patres vna mente, vna & voce constanter in omni ætate tradiderunt. Secundum etiam ex natura & conditione transsubstantiationis haud obscurè liquet. Cùm enim solus Deus habeat in totam rerum naturam, virtutem, is

solus

ſolus poteſt cognoſcere modum quo Chriſti corpus exiſtit in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, cùm tamen, ſi aut verborum Chriſti, aut totius Eccleſiæ, ætatum omnium, Gentium, populorum, qui Chriſtianum nomen profeſſi ſunt, conſenſus, quem veteres, Naturæ quaſi voces appellarunt, ratio habeatur, vt certè habenda eſt, certiſſima fide ſit tenendum, in almo Sanctæ Euchariſtiæ Sacramento poſt panis & vini conſecrationem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, verum Deum atque hominem, verè, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri. Non enim hæc inter ſeſe pugnare, vt ipſe Saluator noſter ſemper ad dexteram Patris in cælis aſſideat, iuxtà modum exiſtendi naturalem, & vt multis nihilominus aliis in locis Sacramētaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit, ea exiſtendi ratione, quam etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe Deo, cogitatione, Fidei lumine fulta, aſſequi poſſumus, & Tridentini Concilij Patres declararunt, & Heroes noſtri omnes quotquot in vera Chriſti Eccleſia fuerunt, qui de Sanctiſſimo hoc Sacramento diſſeruerunt, apertiſſimè profeſſi ſunt. Quem profectò exiſtendi modum poſteriores Doctores Catholici, piè & Religiosè immenſam Dei bonitatem & ſapientiam admirantes, Sacramentalem iure optimo appellarunt, quò apertè ſignificarent, modum quidem, non naturalem, aut eiuſmodi eſſe, vt illum nos humani ingenij viribus, aut ratione à natura petita conſequi poſsimus, ſed arcanum, & ſupra omnem prorſus eſſe naturam. Ecquid mirum? *Ecce*, inquit Iob, *Deus magnus vincens ſcientiam noſtram*. Qui cùm multa vtilitatibus humanis expoſita, & oculis omnium ſubiecta condiderit ad ſpeciem illuſtria, & ad vtilitatem ſalutaria, quæ Diuinæ Sapientiæ atque bonitatis egregiam ſignificationem dāt: reliqua quæ ſunt multo maiora & altiora, cùm non ſint in promptu, & in caligine lateant, perſcrutari & ſpeculari minimè licere oſtendit. Altior enim eſt ille, qui hæc ope-

Conc. Tridē. ſeſſ. 13. c. 1.

Iob. c. 36.

ratur, quàm vt illum quiſquam mente & ratione comprehendere queat. Quod ſi illius naturam, maieſtatem, & æternitatem peruestigare, illius perfectam notitiam capere, quinimò cauſas & rationes operum illius, quæ oculis adſpicimus, aſſequi minimè valemus; mirandum profectò non eſt, ſi modus, quo verum Chriſti corpus in Euchariſtia ſub ſpecie panis & vini continetur, humanum captum longè ſuperat. Præclarè enim Nicolaus Epiſcopus Methonenſis dixiſſe mihi videtur: *Nonne ipſe eſt, qui ex nihilo omnia, vt eſſent, fecit, vnus trium perſonarum Diuinarum, qui poſtremis temporibus incarnatus eſt, & panem in ſuum corpus tranſmutari iuſſit? Quid igitur requiris cauſam & ordinem naturæ panis tranſmutationis in Chriſti corpus, & aquæ vinique in ſanguinem, cùm ſupra naturam, rationem, mentem, & cogitationem ex virgine ſit natus?* Rectè ergò, quemadmodum qui de Deo ſermonem inſtituit, non quid ipſe ſit, ſed quid potius non ſit oratione explicat, quonam pacto Chriſti corpus in hoc Sacramento non ſit, poſſe facilè edoceri, at quomodo in eo exiſtat, demonſtrari à nobis minimè poſſe, ingenuè fatemur. Quamobrem Sanctiſsimi, ac ſapientiſsimi Heroes noſtri prudenter iam olim & cautè tradiderunt, hac de re, non niſi ſecundum Fidei regulam, & ſobrietatem, quam Paulus docet, loquendum eſſe.

Nicolaus Episc. Metho.

Horum igitur veſtigiis inſiſtentes, vt ad rem noſtram propius accedamus, ſecundò proponimus cum doctiſsimo Fratre Petro de Soto, nullam interiorem mutationē dici poſſe de corpore Chriſti, vt eſt in hoc Sacramento: Sed ſolùm motum localem, &, vt minus tersè Theologi noſtri loquuntur, deſitionem factam per accidens ratione ſpecierum Sacramentalium. Quo fit, vt verba quæ ſignificant motum localem, verè & propriè dicantur de corpore Chriſti in Euchariſtia exiſtente, non quidem per ſe, ſed per accidens ratione ſpecierum. Cætera autem, quę ſignificant alias mutationes, vel actiones, dicuntur quidem de corpore Chriſti ratione ſpecierum, ſed impropriè

In inſtit. Sacer. de Sacr. Euch. lect. 6.

& fi-

& figuratè. Atque quod primo loco constituimus ex eo certissimum esse apparet, quia realis præsentia corporis Christi id necessariò exposcit, vt motis speciebus verè moueatur corpus Christi, quamuis per accidens. Vnde verè & propriè dicimus, corpus Christi in Eucharistia attolli, deponi, deferri, collocari in altari, vel in pixide, transferri à manu ad os, & ab ore ad stomachum. Nec verò secundùm assertionis nostræ membrum minus certam continere veritatem arbitramur. Adeò quidem vt non, nisi secundùm figuram quandam, cõcedendum sit corpus Christi frangi, diuidi, teri, digeri: hæc enim omnia significant passionem illatam ipsi Christi corpori: apertissimum autem est illud nõ diuidi, aut frangi, quod totum est in qualibet eius parte quod frangitur & diuiditur. Quandò igitur hæc à Sanctis Patribus perpetuis consignata monumentis reperiamus, nec semel, atque iterum, sed sæpè & sæpius ab illis tradita proprijs oculis inspiciamus, ratio Catholicæ doctrinæ exposcit, vt, iuxta communem Theologorum sententiam, ea interpretemur, non secundùm verborum propriam & formalem significationem, sed secundùm tropum contenti pro continente, ad significandam veram & realem existentiam corporis Christi in hoc Sacramento.

Sic Lucas scripsit pro nobis potionẽ effundi: quod sanguini Christi est proprium. Sic Paulus corpus frangi dixit, quod pani conuenit. Sic denique Chrysostomus tradidit carnem Christi omnibus in hoc Sacramento proponi, vt cernatur, tangatur, gustetur, manu diuidatur, dentibus frangatur, atteratur, idque nullis præstigiis, aut fictione, sed ad sensum. O inquit ille, *quot modò dicunt, vellem formam, & speciem eius* (scilicet Christi) *vellẽ vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre. Ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Vestimenta eius desideras videre, ipse verò se ipsum tibi tradit, non vt videas solùm, verùm etiam, vt tangas, & in te habeas.* Alibi quoque ait idem Chrysostomus: *Non se tantùm videri per-*

Paul. 1. Cor. cap. 5.
Chrysost. homil. 55. ad pop. Antio. & lib. 3. de sacrif.

ri permittit desiderantibus, sed & tangi, & manducari & dentes carni suæ infigi. Denique, inquit, *quod in Cruce passus non est, id in oblatione patitur, & propter te frangi sustinet, vt omnes satiet.* Similia apud Cyrillum, Augustinum, & alios Patres legimus; quos omnes nihil aliud asserere voluisse, quàm Christi corpus videri, tangi, frangi, & atteri mediis accidentibus panis, & vini, quæ solæ formaliter (vt minus tersè Logici dicunt) videntur, tanguntur, franguntur, teruntur, ipsius rei veritas satis superque demonstrat. Vnde iam liquidò constare arbitror proprietatem Berengarianæ confessionis, & veritatem Canonis Synodi Romanæ ab aduersariis, plusquam dici possit, proterua, & insana temeritate damnari. Cæterùm illa Accidentium, & carnis vnio, ac proprietatum communicatio certis finibus coercetur; nec latius extenditur, quàm species in sua proprietate & natura manent. Igitur omnis alteratio vel mutatio specierum, quæ ad corruptionem substantiæ panis vel vini, si ibi esset, vel certè ad mutationem indiuidui sufficeret; sufficit etiam vt ibi desinat esse corpus Christi. Postquam enim effigiem & formam panis, & vini amiserint consumptæ, iam cessat ratio Sacramenti, atque cum illis vnio Sacramentalis corporis, & sanguinis Dominici, quæ ab illis etiam desinunt accipere denominationem, vt anteà faciebant. Naturaliter autem mutant formam, & panis, ac vini effigiem species illę in stomacho per concoctionem, & in aliam naturam transeunt: ob idque hucusque pro corpore & sanguine Domini iudicantur. Itaq. immutato Sacramento, desinit ibi esse sanguis & caro Christi; ac propterea non amplius per communicationē idiomatum ea possunt carni illi accommodari, quæ fiunt in speciebus corruptis: vt est conuerti in carnem, & sanguinem nostrum, in secessum effluere, & egeri, inque alia transire, quorum amplificatione aduersarij immundi & obscœni delectantur.

Verùm & illud vehemēter mirantur, nimirum id, quo

vesci-

vescimur, Deum nostrum à nobis dici. Non illi quidem Sanctum P. Augustinum præceptorem habuerunt, quì inquit: *Inuitat Dominus seruos suos, vt cibum eis seipsum præparet. Quis audeat manducare Dominum suum? Ait tamen: Qui manducat me, viuit propter me. Quando manducatur, vita manducatur. Ne timeamus manducare panem hunc, ne finiamus eum, & posteà quod manducemus, non inueniamus. Non occiditur, vt manducetur; sed mortuos viuificat. Cùm manducatur, reficit, non deficit: viuit manducatus, qui resurrexit occisus. Neque quando manducamus, partes de illo facimus: & quidem in Sacramento sic fit. Norunt fideles, quomodo manducent Christi carnem, vnusquisque partem suam: vnde & ipsa gratia partes vocantur. Per partes manducatur: sed manet integer totus in cælo, totus in corde tuo. Veniebat in carnem, vt homines eum manducarent: manebat integer apud Patrem, vt Angelos pasceret, factus homo, vt panem Angelorum manducaret homo.* Ergò, quia Christum vorari dentibus fas non est, nec magis eius gratia morsibus consumitur, voluit is panem hunc & vinum in mysterio verè in carnem suam, & suum sanguinẽ consecratione Spiritus Sancti, & ineffabili virtute conuerti: vt veritas carnis non deesset Sacramento, & caro ibi absque humano intuitu, in veritate tamen, sumeretur. Quod sanè Saluator noster fecit, vt nos maiori charitate adstringeret, & vt nostri desiderium ostenderet, non se tantùm videri à desiderantibus permittens, sed & tangi, & comedi, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes repleri. Et hic, & in cælo manduca me (dixit ille) bibe me, & te sursum habeo, & deorsum tibi connector. *Non satis est tibi, quòd tui primitias habeo sursum. Hoc non tuum satiat desiderium, & deorsum rursus descendi, nec simpliciter tibi commisceor,* optimè Chrysostomus, *Manducor paulatim attenuor, vt magna fiat temperies, commistio, & vnio. Nam quæ vniuntur, in proprijs permanent terminis: ego verò tecum contexor. Nolo deinceps quicquam esse interualli.* Vt verò secundùm veritatem, hæc à se dicta intelligantur, hyporbolas omnes alibi sic reiicit: *O miraculum; O Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet, in illo*

Aug. ser. 2. de verb. Apostoli. et adducitur de cõsecr. dist. 2. Cano. inuitat. Can. qui manducat Can. Vtrum.

Item videndus Augus. tract. 26. & 27. in Ioan. & in Psal. 54 & 98.

De hac re licet videre Ambr. in li. de his, qui myst. init. c. 8. & 9. & refertur de cõsecr. dist. 2. Ca. Reuera.

Gregorius. In Hom. Paschali refert de consecr. dist. 2. Can. quid sit sanguis.

Hilarius. de Trinit. li. 8. refert. ead. dist. Can. in Christ.

Chrysostom. Homil. 60. et 61. ad popul. Antioc.

ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac ſe tradit volentibus ipſum accipere, & complecti: Fit autem nullis præſtigijs, ſed apertis, & intuentibus omnium circumſtantium oculis. Sanè ſi, quæ, Ignatius, Dionyſius Areopagita, Iuſtinus Martyr, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Athanaſius, Hilarius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Ambroſius, Baſilius, Gregorius Niſſenus, Gregor. Nazianzenus, Ephrem Syrus, Epiphanius, Gaudentius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Cyrillus Alexandrinus, Proclus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Theodoretus, Leo Magnus, Euſebius Emiſſenus, Remigius, Primaſius, Gregorius Magnus, Iſichius, Damaſcenus, Theophilactus, Paſchaſius, Anſelmus, Oecumenius, Bernardus, quique hos ſequuti ſunt ſanctiſsimi & ſapientiſsimi viri non pauci, de huius auguſtiſsimi Sacramenti veritate literis conſignarunt, inſtituti noſtri ratio pateretur, vel etiam breui & compendioſa oratione commemorare, efficerem profectò, vt nemo eſſet, qui propriis oculis non inſpiceret, quàm ſunt aduerſarij noſtri impudentes & temerarij. Quis enim furor maior, aut impudentior temeritas eſſe poteſt, quàm de rebus, nullis etiam Scripturæ Sacræ teſtimoniis apertè definitis, atque explicatis, omnium Sanctorum Patrum ſententiam, fidem, atque authoritatem contemnere, & conculcare? An non pij & Chriſtiani hominis eſt, exiſtimare, ea, quæ vniuerſa Eccleſia, non reclamante ſcriptura, ſemper agnouit, & amplexata eſt, aut in Diuinis Literis eſſe incluſa, aut à Chriſto Apoſtoliſque profecta ad nos, per manus tradita perueniſſe? Sanè. Nunc verò non modò id, ſed etiam inſuper, veteres omnes, veritatem corporis Domini in Euchariſtia ex ipſis Diuinis Scripturis efficaciter & apertè probari, tradunt, & proclamant. Quid ergo? An quia Catholicæ Religionis hoſtes, verùm Chriſti corpus in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento verè & realiter nobis dari in eſcam, & ſanguinem eius in potum, non ſatis percipiunt, totius anti-

qui-

quitatis iudicium, Ecclesiæque authoritas contemnenda, atque reijcienda est? An ea solùm vera sunt, quæ impuri isti,& impij homines percipiunt? An is solum verus scripturæ sensus,quem ipsi probant? An illorum iudicio est Christiana Fides,Religioque vniuersa metienda?O incredibilem audaciam,ò inauditam temeritatem,ò execrandam, intolerandamque insolentiam.Nam si omnes terrarum Orbis oras mente & cogitatione lustraueris, si omnes Gentes,Populos,Nationes, in quibus aliqua Diuinæ cognitionis lux affulsit,memoria repetas,facilè reperies,hāc omnium fuisse semper fidem,hanc fideliū omniū animis persuasionē penitus insitā Itaq. ne Christianæ modestiæ terminos trāsire cogamur, liceat hic gradum sistere.Nā si obscænas Satyras, quas aduersus Sacrosanctū Eucharistiæ Sacramentū Beza,aliique impurissimi Poetę,& huius farinæ homines in lucem ediderunt, velimus confutare, nullum profectò est ab illis prolatum verbū,quod in iram ęquissimo iure animos,vel maximè pios non impellat. Quare, quæ euomunt conuitia in hoc augustum Sacramentum, gladio Magistratus potius, quàm verbis refutanda relinquamus. Nos intereà in fide verborum Domini nostri Iesu Christi de vero carnis ipsius esu maneamus immoti,quem cùm pro ingenij nostri tenuitate, sine laniena, & anthropophagia, sine horrore, & corporis Dominici, vel etiam occulta,confractione in se, & immediatè fieri, cuiuis non proteruo, ante oculos proposuerimus;Sacrorum etiam Conciliorum auctoritatem,& in rebus Fidei, & morum ad vniuersalem Ecclesiam spectantibus definiendis, à vero nunquam defectionem,nullis fraudibus labefactari, nullis aduersariorum incursionibus prosterni,nullis denique machinis euerti posse,manifestò videmur comprobasse.

CAP. X.

POstremò tandem Tridentinam Synodum in Conciliorum numerum adscribi non posse contendūt:quòd libera non fuerit; sed in ea idem fuerit Actor,Reus, & Iudex,

dex. Romani enim Pontificis eſſe, vel Concilium indicere, vel illi præeſſe negant. Sed contrà hos iam ſuperius abundè diſputauimus, & quantum hac in re hallucinati fuerint, clariſsimè oſtendimus. Deinde, ne à Patrum ſuorum veſtigiis diſcedere videantur, quod omnibus hæreticis quàm familiare eſt, ferre nullo modo poſſunt illum eſſe Iudicem cum aliis Epiſcopis, quos in hac controuerſia reos eſſe volunt. Ex qua certè ſtulta, & impia exceptione quantis præſidiis Conciliorum authoritas firmata & ſtabilita ſit, cuiuis liceat inſpicere. Nam qui præſentem Eccleſiam Iudicem intueri nequeunt, quam ſolam in terris omnium controuerſiarum omnibus ætatibus, & temporibus Iudicem Chriſtus conſtituit, ſolam dico nō in toto ſuo corpore, aut quibuſuis eius partibus, ſed in ſolis Epiſcopis, maximè verò Petri ſucceſſore, omnium Epiſcoporum facilè Principe, eos ipſe non pro Religione, ſed pro laribus, pro dignitate, pro fortunis, pro liberis decertare arbitror. Horum ego hominum vicem vehementer doleo, quòd eorum fortunæ ex ſcelere, & perfidia pēdeant, & quòd ſordidas opes, vanos honores, futiles, vmbratileſq. dignitates tam iniquo pretio mercari ſtudeant. Hinc profectò, cùm toti ſint in ſanctis voluminibus euoluendis, & Religionis myſteriis examinandis, ortum eſse arbitror, vt à veritate nihilominus quotidie magis, ac magis deflectant, neque vllam Fidei ſtabilitatem, & perpetuam rationem teneant. Nemini enim cæleſtis luminis

2.Timot.c.3 vſura extrà Eccleſiam frui vnquā datum eſt. Idcircò prudenter Paulus ait illos in perpetua addiſcendi contentione verſari, neque ad veritatis cognitionem vnquam per-

1.Timot.c.1 uenire: ſed in eam tandem mentis vanitatem euadere, vt velint eſse Doctores, cùm neſciant, quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Nam ij, qui Summum Pontificem, & Epiſcopos in vnum coactos Iudices habere nolunt, & aliquem litigatoris, & Iudicis perſonam ſuſtinere iniquū eſse proclamant; audire quidem piorum Synodos ſe para-

ra-

ratos eſse affirmant, ſed non ſine iudicio ſuo: hoc eſt, vt ſi iudicauerint ipſi rectum eſse, quod in Concilio decretum fuerit, id ratum ſit: ſin aliter iudicauerint, irritum habeatur. Illius ergò Synodi iudicium audire volunt, cuius ipſi Iudices eſse queant, & in quo ſimul (quod in Concilio Tridentino maximè execrantur) Litigatorum & Iudicum perſonas ſuſtineant. Eſtne hoc iudicio ſe ſummittere, & non potius id, quod Anteſignanus Lutherus dicebat, Nolo iudicium, ſed requiro obſequium? Horum quidem ſuperbiam, & elati, imo barbari animi inſolentiam haud ego ſatis mirari poſſum. Nam qui pro veris falſas, pro certis dubias, pro Catholicis, & pijs priuatas & impias, pro puris impuras, pro ſanis putridas opiniones inculcare, atque pro caſtis, & incorruptis viuendi præceptis impudica & corrupta tradere, ſanctiſſimumque Dei templum pudicitiæ & ſanctitatis domicilium, impudicitiis violare, libidinibus fœdare, infandiſque ſacrilegiis polluere moliuntur, rectum, incorruptum, & inflexibile Sacri Oecumenici Concilij iudicium quomodo poterunt perferre? O tempora, O mores. Quas animorum ſtrages auaritia, effrenata libido, nimia, vt vno verbo dicam, viuendi licentia edidit? Chriſtianum, Catholicũ, pium lectorem teſtor, vt ſi has noſtras perlegerit diſceptationes, dicat, an ipſa iuris & æquitatis ratio ex Sanctis Patribus, & Diuina Scriptura deducta cogat iſtos, aut Concilio acquieſcere, Eccleſię in ſuis Paſtoribus obſequi, Præpoſitis noſtris obedire, Epiſcopis, qui regunt Eccleſiã parere, à Paſtoribus, & Doctoribus, quos Chriſtus Eccleſiæ ſuæ præfecit, paſci, & ædificari, ideſt inſtrui, & doceri, Eccleſiam pro columna, & firmamento veritatis agnoſcere, aut euidenter oſtendere ſe eſſe illos Paſtores, illos Præpoſitos, illos Doctores, illos Epiſcopos Eccleſiarum, illam denique Eccleſiam, quam ſolam agnoſcere, audire, reuereri, & cui ſoli parere, & acquieſcere omnes oportet. Hoc quidem nullo modò verum eſſe ſuo loco apertè demon-

Matth. c. 18
Hebr. c. 13.
Act. c. 20.

Epheſ. c. 4.
1. Timo. c. 3.

In lib. de vera Chriſti Eccleſia.

monstrauimus: illud faciendum Sacra Scriptura manifestissimis verbis docet. Quid ergo? Id certè, quod res est, confiteri oportet, nempè istos, qui Ecclesiam non audiũt, Ethnicos, non Christianos esse, & ab illis, qui eos spernunt, quos ipse misit, Christum contemni, èque numero ouium gregis Dominici non esse, qui extrà ipsius Pascua diuagantur.

Matth.c.18
Luc.c. 10.

Iam equidem video, quid isti responsuri sint. Eum volunt agnoscere Iudicem, quem in Symbolo Apostolorum iam inde ab incunabilis, & paterna, atque auita traditione (vt & ipsi aliquid traditionibus tribuere videantur) didicimus Iudicem viuorum, ac mortuorum. Hoc verò quid aliud est, quàm dicere in terris nullam esse ad res controuersas in Religione Christiana finiendas viam & rationem: nullam esse disciplinam, nullam certam auctoritatem, nullos Pastores, nullos Doctores, nullos Præpositos, & Episcopos, nullam denique Ecclesiæ stabilitatem, & firmitudinem: sed vt in Babylonica Philosophorum & Gentium Sapientum ciuitate factum est (quod egregiè ostendit Augustinus) imò, vt in Regno ranarum fit, licere vnicuique pariter coaxare, sentire, & vtlibet iudicare, seorsim sapere, licenter docere, astruere, & ad libitum destruere. Quid autem aliud optarent fures, latrones, venefici, sicarij, & parricidæ, & quotquot sunt crimine aliquo capitali notati, quàm nullum alium in terris esse Iudicẽ, præter eum, quem è cœlo venturum, vt viuos, & mortuos iudicet, intrepidè fatemur, vt ipsis intereà liceret in quorumuis vitam, & fortunas liberè grassari? Atqui multis modis aduersarij nostri, & Ecclesiæ Catholicæ oppugnatores istis sunt multò improbiores, qui non in corpora, verum in animas piorum inuadunt, ac, dum eis pestiferum doctrinæ suæ virus afflant, in ima Tartara miseras præcipitant. At Ecclesiæ Catholicæ Præpositi, quibus, vt subijciamur, nobis Paulus præcipit, inuigilant quidem, quasi rationem pro animis nostris reddituri, ne lupi ra-

De ciuit.Dei lib.18.c.41.

Hebr.c. 13.

paces

paces gregem Dominicum adoriantur: ob idque, non quod factiosi sint, sed idonei Iudices, antequàm sacrosanctum Concilium Tridentinum inchoatum esset, causam Lutheri, Caluini, & eorum asseclarum iamdiu damnauerant. Cùm enim Ecclesiastica doctrina, Orthodoxa, Christiana, nulla sit iam noua, nec post primam Euangelij propagationem noua vnquam fuerit, nulla opus est noua definitione ad alicuius hæresis condemnationem, sed tantùm veteris, & Orthodoxæ Fidei, quę illa sit, declaratione, & explicatione. Hoc verò nihil aliud est, quàm consuetudini receptæ, & maiorum traditioni constanter adhærere, & paribus semper vestigijs incedere. Sic in omnibus Conciliis in hæreses hactenus collectis nihil nouum definitum est; sed antiqua Fides rursus stabilita, & illustrius confirmata fuit. Similiter antequam cõuenissent Episcopi contrà omnes hæreses iam ab exordio nascentis Ecclesiæ præiudicatam sententiam (quam ex regula Fidei, & maiorum traditione hauserant) secum attulerunt.

Nam si rectè aduertimus, in primo illo Hierosolymis habito Concilio contrà Iudaizantes Christianos, atque eos, qui Legalium obseruationem baptizatis Gẽtibus volebant imponere, iamdiu antè, manifesta Apostolorum praxis, potissimùm verò Petri, & Pauli apertè præiudicabat. Etenim iam anteà Cornelius cum tota sua familia à Petro Sacro Lauacro expiatus fuerat, nullo sibi tali iugo imposito: & Paulus similiter Gentes ad Fidem conuersas Sacro Baptismatis fonte à peccatis mundari, & Gratiæ sempiternæ participes reddi, & idoneos effici ad Regnũ cæleste tradiderat. Vnde facta in Concilio Hierosolymis collecto magna inquisitione, antequàm ad aliquid statuendum ventum esset, Petrus Apostolorum Princeps, & Christi Vicarius in terris, sententiam suam præmisit, tacente omni multitudine, Apostolorum videlicet, & reliquorum Presbyterorum, qui soli conuenerant. In senten-

Act. c. 10.
Act. c. 14.
Act c. 15.

tiam Petri, vt ait Hieronymus, Iacobus primùm, moxque alij omnes Presbyteri transierũt. Hoc exemplum sequuta posteritas, in Sedis Apostolicæ Romanæ (in qua successor Petri sedet) præiudicatã sententiam contrà omnes recẽter exortas hæreses in omnibus Conciliis vnanimi consensione transiuit. Nã in Concilio Nicæno primo contrà Ariũ iudicarunt Episcopi, qui ipsum, antequàm Nicææ coijssent, excõmunicauerant. Deciderunt quoq. contrà illum Patres in Concilio, quia veteres prædecessores suos, ut author est Eusebius Cæsariẽsis, ita semper sensisse animaduerterãt. Et ideò Athanasius dicit in definitione Fidei, nõ scripsisse Patres Nicænos, *Visum est nobis*, vt in quæstione de Paschate, sed scripsisse, *sic credit Catholica Ecclesia*. Cõmemorat etiam Theodoretus illam sententiam in Concilio Nicæno obtinuisse, quæ tunc per vniuersum Orbem vicerat, & quæ diuulgata fuerat, Fidei confessionem. Quid ergò? Num idcircò Ariani, Concilij Nicæni iudicio stare non debuerunt? Sed & ãte Concilium Constantinopolitanum secundum Damasus Summus Pontifex, collecta Romæ Synodo, Macedonium, Apollinarem, Photinum, Sabellium, & Eunomium condemnauit. Athanasius etiã Alexandrinus Patriarcha cum Eusebio Versellensi, congregato Alexandriæ Concilio, Macedonij hæresim longè ante Concilium illud Generale contrà illum collectum damnauit. Et Cælestinus Pontifex Romanus, antequam Synodus Generalis Ephesi incępta esset, Nestorium damnationi subdidit; cui deinde literis suis ad Cyrillum scriptis decem dies ad deliberandum præscripsit, infrà quos, nisi sententiam mutasset, excommunicationi, & exauthorationi subiaceret. Leo Summus etiam Christi Vicarius contrà Eutychetas ante Concilium Chalcedonense pronunciauit: cuius profectò sententiam ita Concilij illius Patres sequuti sunt; vt ne latum quidem vnguem ab illa discesserint. Prætereà Petrum Antiochenum Simplicius Pontifex Romanus prius condemnauit, & Accasium

Hier. epist. 11 inter ep. Aug.

Socra. lib. 1. c. 5.

Euseb. epist. ad Afric.

Athan. epi. de Syn. Arimin. & Seleucæ.

Theodor. in suo Philotheo.

Theod. Eccles. hist. lib. 5. c. 10. & c. 11.

Epist. 1.

Socr. lib. 3. c. 5.

Euagr. lib. 1. c. 4

Leo epi. 10. ad Flauianum.

Fœlix

Fœlix Summus item Pontifex, quàm Synodus Constantinopolitana secunda contrà eum conuenisset, cuius iudicium vniuersi Patres firmum ratumque habuerunt. Quid opus est longiore oratione omnes Synodos recensere? Illud quidem vel mediocriter in Ecclesiæ Annalibus versato liquet, contrà nullos vnquam hæreticos in Concilio, maximè Generali, coitum fuisse, quin prius Christiani Orbis Præsules, præcipuè Romanus Pontifex Petri successor, illos damnauissent. Nunquid igitur illorum Iudicio standum non erat, quia præiudicatam sententiam, quam denuò firmarent, secum tulerant? Illosne, quos isti partiales vocant Actores, & minimè idoneos Iudices appellabimus? Partiales quidem, idoneos tamen, iam dici patiamur. Imò, meo iudicio, qui noluerint hoc examen ab his partialibus fieri, & caussam, ac litem exortam finiri, Christianum Orbem tollant, necessum est. Omnes enim Christiani, cùm de Religione lis, & controuersia excitatur, partiales sunt, aut certè Christiani non sunt. Omnes, inquam, vel Catholicas partes tuentur, vel aliquam sectam extrà Ecclesiam positam sequuntur. Desinant igitur, qui Concilium à se expeti aiunt, in quo instituatur examinatio doctrinæ iuxtà verbum Dei, per homines idoneos, non partiales, istis cauillationibus, & præstigiis Orbi terrarum illudere. Iam enim in Concilio Tridentino, quod Oecumenicum est, tanta auiditate Theologi primùm, deinde Patres Sacra Oracula, atque veterum placita inuestigarunt, tanta cura, diligentia, & studio veritatem indagarunt doctissimi viri, & peritissimi vndique collecti: tam candidè aduersariorum sententias retulerunt, eorumque argumenta tàm exactè perpenderunt: tantam deinde Episcopi, & Ecclesiarum Præpositi, in consultando solertiam, in statuendo moderationem adhibuerunt; idque iuxtà verbum Dei tam scriptum in vtroque Sacræ Paginæ monumento, quàm etiam non scriptum (quod quidem vel ipsa decreta huius Concilij

In ep. Fælic. ad Accac. tomo 2. Conc.

Cano-

Canonibus præfixa luculenter ostendunt) vt nemo, nisi extrema quadam fuerit perfidia intricatus, ab illorum possit sanctissimis Præscriptionibus discedere. Antiquus ille Pythagoras tantam apud auditores suos obtinuit authoritatem, vt illam omnium argumentorum telis obiecerint; eaque sese, tanquam firmissimo præsidio, contrà omnes impressiones, firmarint. Et tamen erit aliquis tam temerarius, vt Generalis Concilij admirabili circumspectione, summaque Patrum consensione absoluti, in quo cælestis Spiritus afflatus apparet, & liquidissimis Sacræ Scripturæ testimoniis vniuersa ferè doctrina solidè confirmatur, authoritatem aspernetur? Quid nouum Concilium impij homines isti expetunt? Sanctumne Spiritum sibimet aduersari posse existimant? Profectò, si millies omnium Ecclesiarum Præsules ritè coeant, numquam vel latum unguem à Sacri Oecumenici Concilij Tridentini decisionibus discedent: nunquam hæreticorum commẽta suffragiis communibus approbabunt: nunquam Reipub. Christianæ, quod isti maximè cupiunt, profanarum opinionum prauitatem amplectendam offerent. Cùm enim Diuinus Spiritus, quem Christus Iesus Ecclesiæ suæ Doctorem, & informatorem è cælis misit, non aliter noua, ac vetera Concilia moderetur, fieri non poterit, vt à Sacrosancto, & Oecumenico Cõcilio Tridentino definita & statuta ab alio similiter Oecumenico Cõcilio vnquam non approbetur: nisi fortè adeò temerariè omnia tractentur, insolenter concludantur, & tyrannicè à Patribus extorqueantur, vt, præter nudam Concilij appellationẽ nihil amplius conuentus ille retineat: quod in frequentissima Ariminensi Synodo, Constantio Arianæ perfidiæ patrono, imperium regente, & in secunda Ephesina factum fuisse Historiæ produnt. Sed iam quidem hoc ab istis in Conciliis Ecclesiasticis exoptari intelligo: quod cùm apertè affirmare non audeant, nos fucatis, & inanibus impetunt calumniis. Volunt enim Concilium liberum, in

quo

quo non Christi Vicarius, non Episcopi, non Pastores Ecclesiæ, sed Apostatæ, Scismatici, Factiosi, obsceni, & spurci homines de Fide Iudices sint. Ecce quale Concilium efflagitant, in quo à Summo Pontifice Petri successore, & ab Episcopis, qui Apostolis successerunt, ad turbas, ad ignaros sartores, ad imperitos sutores, ad mulierculas stultas caussam Fidei possint auocare. In quo denique nō diligēti causæ discussione præhabita, & maturo consilio ad statuendum aliquid veniatur; sed clamoribus potius, & tumultuaria factione lis tota finiatur. At operam profectò, & oleum perdunt, cùm ipsi ad hoc munus vocati non sint. Nos enim luce meridiana clarius ostendimus ex hominum multitudine à Christo Domino eos esse selectos, quibus ipse hanc docendi prouinciam daret, qui, quamuis omnibus naturæ, ingenij, & doctrinæ ornamentis destituti essent, Apostolici tamen muneris authoritate excellerent; vt non cum ingenij præsidiis, sed cum Ecclesiasticæ functionis dignitate amplissimum illud docendi munus colligatū esse declararet: quod Paulus apertè significauit, cùm Pastorum officium cum Doctorum munere coniunxit. Illi ergò, quos Spiritus Sanctus Episcopos statuit, ad regendam Ecclesiam Dei, cùm in Concilio Tridentino de Fide, & rebus Ecclesiasticis legitimi Iudices sederunt, totam causam, & litem, quæ nobis cum hæreticis erat, iuxtà verbum Dei deciderunt.

CAP. XI.

AT homines isti, cùm sint superbissimi, & veteribus hæreticis perquàm simillimi, temerè asserunt à Patribus Tridentinis verbum Dei malè tractatum fuisse, vt de Concilij dignitate, & amplitudine detrahant. Qui sanè Patres more Maiorum nostrorum illos cōdemnarunt, quod fraudulenta verbi Dei corruptela quàmmultos fidelium pellexerint, & turpiter deceperint; &, quod sine nefario scelere ne tentare quidem potuissent, ab auita fide abduxerint. Rectène igitur Patres Tridentini censuerint, ac iudicauerint, an verò rectius scelestissimi isti homines

Chri-

Christianæ Reipub. pacis perturbatores Catholicæ Ecclesiæ iudicium contempserint, quis non legitimè iudicare poterit? Magistratus quidem, & Principes, qui nequitia & astutia circumuenti ab Orthodoxa Fide deflexerunt, Doctores suos idoneos, qui in Concilijs Iudices existant, vbique censebunt. Sed nunquid alij Principes, qui in Catholica Religione constanter perseuerant, & hæreticorum commenta, vt par est, execrantur, ac perhorrescunt, illud patienter ferent? Imò inter tot Sectas, qui tandem communi omnium consensione (de Generali enim Concilio agimus) legitimi Iudices erunt? Nunquid illi Lutherum, Caluinum, Bezam, atque eorum discipulos Iudices habere volent? Nunquid ex Heluetiorum pagis, comitatu Palatino Rheni, ex Anglia, & Scotia quempiam veluti idoneum, adsciscendum putabunt? An potius, qui istis molliores sunt, Flaccum Illyricum, atque eius socios Magdeburgenses, tanquàm legitimos Iudices suscipient? Sed qui duriores inter eos sunt, istosne molliores audient? Certè adeò isti omnes inter se, non consilijs solùm, & studijs, sed armis etiam, & castris dissident, vt, cùm aliud Concilium à se exoptari fingunt, & veritatem studiosè perquiri simulant, nequaquam se velle ab errore vendicari apertè significent. Vnde Brentius vir apud hæreticos maximi nominis, cùm Tridenti in Concilio versaretur, Legatorum precibus exorari, aliorumque admonitionibus adduci nunquam potuit, vt publicè suam, & suorum causam ageret. Nec mirum: nam (vt Theodosij & Valentiniani Imperatorum sententiam prudentia & grauitate plenissimam amplectamur) Sacerdotalem conuentum nemo, nisi qui sui sceleris conscius sit, vnquam subterfugit. Isti verò, cùm in Diuinæ Legis studia non eo animo incumbant, vt mentem praua cupiditate infectam repurgent, & amoris cælestis igne accendant, sed, vt futilem, & inanem eruditionis famam colligant, nominisque existimationem apud imperitum vulgus consequantur, commen-

In Concilio Chalced. action. 1.

mentitium ſuum Euangelium non argumentorum vi, aut orationis pondere, & grauitate, ſed ſcelere, & contumacia tueri moliuntur. Nec huiuſmodi homines, qui, vt Orbi Chriſtiano illudant, pietatis ſpeciē prætexunt, Concilium efflagitant, quòd eius iudicio acquieſcere ſtatuāt: ſed, vt, dum Romanæ Sedis authoritatem, & ſententiam his tergiuerſationibus, & præſtigiis, vitare contendunt, plures habeant meatus, quibus elabi queant. Deſinant ergò tamdiu Principibus Catholicis, & Romanæ Sedi illudere, ſi ad eam, à qua fædè receſſerunt, veritatem & fidem reuerti cupiunt; ad eam, in qua verſati ſunt aui, & proaui noſtri, in qua continemur & nos, qui Dei gratia Catholici ſumus; & ſacroſanctam Eccleſiam Romanam nequaquam amplius deſpectui habeant; ſed ſuſpiciant, & venerentur potius. Non enim hæc alia eſt, quàm ea, in qua fuerunt Apoſtoli, & eorum ſucceſſores, in qua, vt cæteros taceam, fuerunt præclara illa Lumina, Baſilius, Athanaſius, Gregorius, Chryſoſtomus, Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, & Auguſtinus. In hac quidem Præpoſiti Eccleſiarum, & Epiſcopi ſemper legitimi Religionis Chriſtianæ, & Fidei Magiſtri, ſemper rerum Eccleſiaſticarum idonei Iudices ab omnibus Catholicis habiti ſunt. Illorum iudicio, & ſententiæ, (quibus videlicet Spiritus Sanctus firmo fœdere, & conſtanti pactione promiſſus, & munificentiſſimè impertitus eſt) fideliter parendū eſſe vniuerſa Sacra Pagina manifeſtò docet. Quod proculdubio niſi ſedulò fiat, nullus vnquam litis & controuerſiæ finis exiſtet: Atque niſi Eccleſia Catholica audiatur, quæ columna, & firmamentum veritatis eſt, veritas illa, quam à ſe diligenter indagari ſimulant hæretici, nuſquam ab ipſis inueniri poterit: cùm, vt Sol mundi corporei lux eſt, ſic Romana Eccleſia Catholica, lux mundi ſpiritualis exiſtat. *Ioan. c. 14.* Nā, vt ipſa veritas, qui Chriſtus eſt, docet Eccleſiam, collato in eam Spiritu Sancto, qui ipſam ad omnem veritatem adducit, & cum ipſa in æternum permanet: Sic ma-

nifestatam sibi à Christo & Spiritu Sancto veritatem docet ipsa Ecclesia, fungens in hoc legatione pro Christo, docens seruari omnia, quæcumque mandauit sibi Christus: & facta lux mundi est, sicut Christus lux erat.

2. Cor. c. 5.

Matth. c. 28

Sed si hæc Dei ciuitas in monte posita est; si hæc, Luna; hæc, Stella; hæc, Sol; Lux denique tam clara est; cur à tot millibus hominum videri non potest? Cur in gloria positum iustum Iosephum inhumani fratres non agnoscunt? Cur vbera illa, quibus aliti, & nutriti sunt, refugiunt? Cur matrem pulchræ dilectionis, & magnæ spei non amplectuntur? Non aliam certè ob causam istud fit, quàm, quia Sedes Apostolica procul ab omni honorum immoderata cupiditate est, illi ambitiosi sunt: Sedes hæc pacifica, illi turbulenti & seditiosi: Sedes hæc sub cruce, illi voluptatibus defluunt: Sedes hæc laboriosa, illi in perpetuo otio vitam degunt: Sedes hæc cælestis & spiritualis, illi huius sęculi illecebris, & carnis lenocinijs irretiti, quæ Dei sunt, despectui habent, & prorsus abijciunt. Hinc Romanæ Ecclesiæ, cui Petrus quondam præfuit, & hodie Clemens Octauus piè & sanctè præest, quasi tartareo furore perciti, vltimum exitium minantur: sed consilium Dei firmum, & stabile permansurum est. *Portæ* igitur *inferi non præualebunt aduersus eam. Regnum enim, & potestas, & magnitudo Regni, quæ est subter omne Cælum, datur populo Sanctorum altissimi, cuius Regnum sempiternum est, & omnes Reges seruient ei, & obedient. Gens autem, & Regnum, quod non seruierit illi, peribit.* Permittit tamen omnipotens Deus Ecclesiam suam à Tyrannis, & hæreticis infestari, vt laus & gloria illius augeatur, & illius nominis fama longè lateque propagetur. Nam, siue illa summa pace, summa tranquillitate semper fruatur; siue agitetur interdum, & persequutionem patiatur, semper eminet, semper illustris, & conspicua apparet. Dum enim venti vrgent; dum afflictationum fluctibus Petri nauiculæ latera tunduntur; dum illa turbatur, & submersa ferè videtur; sub cruce quidem

Matth. c. 16

Dan. c. 7.

Esai. c. 60.

dem militat; & nihilominus ſuper montem poſita triumphat. *Proprium autem Eccleſiæ eſt* (vt quàm appoſitè ſcripſit Hilarius) *vt tunc vincat, cùm læditur; tunc intelligat, cùm arguitur; tunc obtineat, cùm deſeritur.* Nam dum ab hæreticis Catholici oppugnantur, hæc ipſa pugna omnibus innoteſcit, & eſſe vnam Catholicam Eccleſiam, quam immanes hæretici vndique impetunt, omnes, etiam barbaræ Gentes intelligunt, adeò, vt ex aduerſo hoſtium certamine nominis ſui famam latius diffundat, quæ in pace poſita, quaſi parietibus clauſa, non tantum laudis, & gloriæ ſibi compararet. Quemadmodum enim odoriferum vnguentum vaſe incluſum ſuauem odorem non emittit, verùm ſi illud manibus contrectes, non ſolùm domus tota, ſed etiam vicini omnes odore perfunduntur: Sic Eccleſiæ Catholicæ odor, ſanctitas, in doctrina tradenda admirabilis ſapientia, in moribus coercendis eximia prudentia, atque in moderādis Fidelibus populis recti regiminis ratio tūc magis, magiſq. apparet, cùm illius pax turbatur, & perſequutionum fluctibus penè obruitur: tūc etiam eius nominis fama per vniuerſas Orbis terrarū partes magis diffunditur: tunc ipſius gloria non vicinas modò, ſed Barbaras etiam, exteras, & remotas Nationes inuadit. Hinc præclarè Hilarius, *Eccleſia*, inquit, *doctrinæ ſuæ lucem etiam imprudentiæ ſæculi inuehit, vt, licet Fidei Sacramentū non ſuſcipiat, tamen aduerſus hæreticos ueritatem Sacramenti à nobis intelligat prædicari. Magna enim vis veritatis, quæ cùm per ſe intelligi non poſſit, per ea tamen ipſa, quæ illi auerſantur, elucet.* Qui verò Eccleſiam euertere, ac penitus extinguere moliūtur, impietatē ſuā, & morum fæditatem ipſa calamitate, quam Eccleſiæ inferunt, apud omnes Nationes apertiſſimè produnt; & cunctis etiam Barbaris Gentibus ſeſe immaniores eſſe declarant: quippe, qui matrem, quam quondam agnouerant, & cuius lacte nutriti fuerant, ſæuè dilacerare pro viribus nunquam non tentant. Non aliter tamen, ac qui digitis cerei flammam emungere, vel manu ignem compri-

Hilarius de Trinit. lib. 7.

Hilarius de Trinit. lib. 7.

merè conantur, digitis infectis,& denigratis, ac manibus aduſtis temeritatis ſuæ digniſſimum ſupplicium luunt,& quamuis ad breue tempus flamma repreſſa, & penè extincta videatur, mox excitato virtutis lumine, ſplendidior domum, tanquam nouum ſydus illuſtrat, iſti nefarij homines, qui vel noua dogmata, & falſam doctrinam tradendo, vel Catholicis bellum inferendo, Eccleſiæ exitium moliuntur, maiori fæditatis labe maculati, ab illis, quibus vel minimus rationis igniculus relictus ſit, facilè dignoſcuntur: Eccleſia verò licet ab aduerſariis læſa calamitatis fluctibus penè obruta videatur, perpetuum tamen ſplendorem, & amplitudinem Maieſtatis ſuæ non amittit: quin potius, quò magis perſequendo hoſtes ſæuiunt, eò illa fulgentior, & illuſtrior redditur: nec magis tollit illius nitorem,& Maieſtatem,breui aliquo tempore vel obſcura, vel rara Religionis profeſſio, quàm diei dignitatem,nubium repentina denſitas, aut Solis interdum plenior Eclypſis. Vnde non malè illud Athanaſij vſurpare poſſumus, quod ille, cùm ab Imperatore Iuliano magis indies vexaretur, populo mæſtitia & dolore affecto dixiſſe perhibetur, *Nolite filij conturbari, quia nubecula eſt & citò pertranſit.* Hinc, cùm hæreſis Ariana Eccleſiam Dei diu afflixiſſet, adeò vt Catholica Religio penè ſubmerſa viſa eſſet, nihilque ferè ſpei iam ſuperfuiſſet, *Dominus excitatur,* inquit Hieronymus, *imperat tempeſtati, beſtia moritur, tranquillitas redijt. Ideſt, omnes Epiſcopi, atque Presbyteri, qui de proprijs ſedibus fuerant exterminati, per indulgentiam noui Principis ad Eccleſias redeunt.* Interim verò cùm Tyrannorum, & hæreticorum perſequutione omnia impleuiſſent Catholici, vrbes, inſulas, municipia,conciliabula, caſtra ipſa, decurias, palatium, ſenatum, forum, quid aliud actum fuiſſe exiſtimandum eſt, quàm Eccleſiam Catholicam nominis ſui famam,non modo apud ſuos, ſed etiam apud exteros altis defixiſſe radicibus? Nam quamuis infirmi, exorta tempeſtate, vento rapti & agitati, & ad ſcopulos alliſi fue-

Ruffin. hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 34.

Hier. in Dialog. aduerſ. Lucif.

Tertul. in Apol. c. 37.

fuerint: illi tamen, qui firmi & constantes erant in fide, tanquam super petram, & rupem ædificati, nullis procellis, nullis tempestatibus moti fuerunt: Vnde Paulus sic ait; *oportet hæreses esse, vt qui probati sunt in vobis, manifesti fiant*. 1.Cor c.11. *Illi*, inquit Augustinus, *qui* Arianorum tempore *firmissimi fuerunt, & verba hæreticorum insidiosa intelligere potuerũt, pauci quidem in comparatione cæterorum, sed tunc etiam ipsi per se multi, partim pro Fide exulabant, partim toto Orbe latitabant. Et sic Ecclesia, quæ per omnes Gentes crescit, in frumentis Dominicis conseruata est*. Aug. Epist. 48. ad Vincent. Fuit igitur tunc Ecclesia turbata, non euersa; fluctibus agitata, non naufragio obruta. Similiter certè, qui res Germaniæ, & Angliæ, ac finitimorum populorũ describere voluerit, Catholicæ Ecclesiæ Maiestatem mirum in modum augebit. Ita enim in ijs Regnis hæretici parietes occupant, & in Ecclesijs sedent; vt tamen hæc illustris quidem in granis turgidis appareat: illi verò indies deteriores & ignobiliores dignoscantur. Nam dum in Germania, Anglia, & finitimis Regnis, tam domi, quàm foris, sic eminet Catholica Fides, vt non desit in his populis, & in his Gentibus conspicua Ecclesia; apparet proculdubio, non modò irritos, & inanes esse hæreticorum nefarios conatus, & sceleratos in Catholicam Ecclesiam impetus: verùm etiam, quanta sit illius dignitas & amplitudo, & quàm sint hæreticorum sectæ omnes obscœnitate, & spurcitia dignæ; quàm etiam illa sit trophæis ornata, & triumphis ditata; quantòque magis sordidi, & obscuri hæretici reddantur, cùm magis in Ecclesiam Catholicam temerarij homines sæuiunt; quàm denique sint isti inglorij, & miseri, quippe qui nullo vitæ splendore, nullaue maiorum commendatione, sed flagitio, & impietate obrepserunt, in ipsa depopulatione, vastatione, excisione, inflammatione, euersione, quam sacris domibus, & templis sanctissimis, ac fidelibus populis intulerunt, & adhuc quotidie inferunt, nemo est ita cœcus, qui non optimè videat. Turbata quidem aqua sordes eructat, &

purior

purior post agitationem efficitur: Sic Ecclesia, dum ab aduersarijs impetitur, dum agitatur, dum turbatur, sordes despumat: tam quia perfidi, impij, & immanes matricidæ Ecclesiasticæ disciplinæ (quæ puram, & castam vitam ita præcipit, vt scelera omnia prorsus respuat, & vehementer execretur) non ignari, quàm dissoluta consuetudine, & immoderata, ac impudenti libertate vixerint, se ipsos à toto corpore præciderunt (nisi enim Catholicam Ecclesiam repudiassent, obtinere se non posse effrenatam cupiditatum suarum licentiam manifestè videbant) quàm quia, dum sapientissimus rerum moderator, quos diligit, castigat, & deprimit, ij, falsis fratribus insectantibus, cœlitus admoniti erratorum maculas lachrymis eluere, & Deum ad pietatem precibus flectere summopere nituntur, atque ad charitatem, & Fidem stabiliendam eò magis excitantur, quò sceleratius aduersarij totam Religionem euertere, & radicitus extirpare conātur. Corroboratis verò, confirmatisque fidelium animis, ipsa immanitate & sæuitia hæreticorum, Ecclesiæ gloria, & dignitas augetur potius, quàm minuitur. Tunc enim mores illius casti, integri, Religiosi, perferentes iniuriarū emicant: contrà verò quælibet hæresis Babylonem illam refert, quæ sub omni ligno frondoso diuaricauit pedes suos, & fornicata est cum amatoribus multis; quæque derelicto fonte aquę viuæ effodit sibi cisternas veteres ad conseruationem aquarum minimè vtiles. Refert etiam procacem illam meretricem, quæ infantis diuisionem postulabat. Non secus enim hæresis quouis tempore, sed hac potissimum tempestate inconsutilem Christi tunicam furore plusquam ferino in partes innumeras fœdissimè discerpsit. Denique, vt ex mutuo contradicentium hæreticorum conflictu Catholicę Religionis veritas magis illustratur, ipsius videlicet veritatis Magistris impensius vigilantibus, & tum indagandæ, tum explicandæ veritati studiosius incumbentibus: ita sanè nullum scelus efferetrius,

trius, nullum flagitium fœdius excogitari posse ipsa hæresi, in qua nihil Religione testatum, nihil in veritate fundatum reperitur, ante omnium oculos proponitur.

NEmo igitur Catholicæ Ecclesiæ Romanæ Christi Sponsæ minetur: cùm, licet hic sponsus in sponsam suam impios, ac sæuos Tyrannos, ac hæreticos irruere, & sæuitiam exercere patiatur; eam tamen tueatur, & laudis, atque partæ victoriæ insignibus, & trophæis ornet, decoret, augeat. Hinc Ecclesia castra Dei viuentis, acies instructa, nauis, insula, quæ fluctibus cæditur, specula, cuius custodes die ac nocte non dormiunt, ablactata à lacte, vidua deserta, mulier, cuius partum Draco expectat, appellari solet, vt quanta illi pericula intendantur, quanto etiam ab hostibus bello lacessenda sit, facilè dignoscatur. Multi iam quidem illis castris capitales hostes insidias struxerunt, & bella immania intulerunt: cæsis tamen, prostratis, & deuictis hostibus, qui vndique in castra Dei sæuiebant Sponsa Christi victrix semper euasit. Hāc aciem perrumpere conatæ sunt Barbaræ Gentes de pijs Ecclesiæ filijs acerrima sumendo supplicia: conati sunt Tyranni libertatem eripiendo: conati sunt falsi fratres charitatem perturbando: conati sunt Iudæi, Christi Religionem & Fidem impugnando: conati sunt scismatici, obedientiam, & Ecclesiæ vnitatem rumpendo: conati sunt hæretici, scripturas adulterando, & Fidei synceritatem coinquinando: Ecclesia tamen virtute Diuina fulta animum non despōdit. Produxit in aciem copias suas: Ethnicis opposuit Reges, ac Principes suos: Tyrannis Martyrum agmina: falsis fratribus gladium excommunicationis: Iudæis Pontifices, & Doctores: scismaticis Sanctorum Communionem, regimen Præpositorum, & subditorum obedientiā: hęreticis verum Sacrarum Scripturarum sensum; sicque filiis suis charitate dispositis, & inter sese copulatis, tanquam Fidei militibus, & Fidei propugnatoribus munita, & protecta, hostes suos fudit, fugauit, vicit. Superauit

CAP. XII.

Bar-

Barbaras & immanes Gentes pro Christi Fide vitam cum sanguine perfundendo, tanta animi fortitudine, & constantia, tanta alacritate, & lætitia, vt qui hos cruciatus pertulerunt, gauisi etiam fuerint, quòd digni sint habiti, qui pro Christi nomine contumeliam, & supplicium tolerauerint: magisque tortores cruciando, quàm Ecclesiæ filij, cruciatus perferendo, sese ostenderint defatigatos. Vicit tyrannos, in Deo spem, atque fiduciam omnem collocando, & illum pro se persequentibus deprecando: Vicit falsos fratres, tolerando; vicit scismaticos, ordinem retinendo, & vnius ductum sequendo: vicit Iudæos, & hæreticos, verum Scripturarum sensum ab vtrisque non intellectum, & ab istis prauè detortum, aperiendo: dedit enim illi Christus Dominus os, & sapientiam, cui nullo vnquam tempore poterunt resistere, & contradicere omnes sui aduersarij. Quo factum est, vt parta victoria de hostibus triumpharit, atque in vrbe Roma, quæ anteà erat plurimorum Imperatorum trophæis munita, quæ multis victoriis erat triumphisque insignita, sempiternũ posuerit trophæum; quod Christianæ laudis, victoriæque insigne, & monumentum est. Hæc est Hierusalem, ciuitas sancta, mons Sion, qui in æternum non commouebitur, populus fortitudinis, ciuitas Gentium robustarum, vrbs fortitudinis, virgo intemerata, visio pacis.

Luc. c. 21.

Sancta ergò Catholica, & Apostolica Ecclesia verè inuicta, & inexpugnabilis est, quæ toties ab hostibus potentissimis impetita, non modò fracta non est, nec debilitata, verùm confirmata magis, & corroborata. Cui propriũ hoc etiam semper fuisse priscorum temporum Annales testantur, vt magis impugnationibus creuerit, quippe quã impijs & nefarijs bellis inuasam tela hostilia nequaquam consumpserint: quin potius sicut, lignatoribus syluam cædentibus, multò plura germina à radicibus pullulant, quàm sunt rami, qui scinduntur; ita etiam multis probis & pijs interfectis, multò plures indies Euangelicam do-

ctrinam susceperint, cruorque ille cæsorum corporum irrigatio quædam fuerit, nouis in Ecclesia emergentibus plantis. Nam, vt primam eius infantiam, quæ varia sorte iactata est, prætermittamus, exultabat rerum fęlicium successu vinea hæc, aureis Constantini Magni temporibus: sed subitò exortus est Arius Eunomius, qui nonnulla illius folia vastauit. Erupit ille aper violentissimus Iulianus, qui illius nouellas egregiè virentes, & apprimè florentes impio pede calcauit, ac fero dente succidit; sed non consumpsit: quinimò à furibus vindemiata, quò maiorem calamitatem accipiebat, eò vberiores statim fructus educabat. Nec enim vnquam, inquit Augustinus, perfectius tractatum est de Fidei præcipuis articulis, donec obstiterunt hæretici: nec vnquam perfectius tractatum est de Trinitate, donec oblatrarunt Ariani. Est deinde Iouiniani, Valentiniani, Theodosiorum item pietate factum, vt à furibus hæc vinea tuta omninò fuerit. Exorti sunt iterum Nestorius. Eutyches, Apollinaris, qui rursus in eam manus iniecerunt; sed euertere minimè potuerunt: Sanctissimiq. Leonis Romani Pontificis vigilanti cura iacturam, quam acceperat, vberiore deinde fructu fœliciter compensauit. Sed ecce Atila, Totila, Genzericus, alijque infiniti Barbari, qui eam atrociter impetiuerunt, & omnia Diuina, & humana turbarunt, vexarunt, atque violarunt: Ecclesia tamen terra marique hostibus deuictis, extendit palmites suos vsque ad mare, & propagines vsque ad terminos terræ. Verùm cùm rami eius racemorum vbertate incuruescerent, en aliud incomparabile malum, Sarracenus ferus immissus in eam Mahometes ipsam multum depastus est. Neque tamen illa succubuit; sed eò magis operuit mõtes vmbra eius, & fructus eius cedros Dei. A Fero illo liberata multò fusius pullulabat; sed ecce prædones maximi superueniunt, Berengarius, VViclefus, Husus, qui tamen diligentia eorum, quibus illa commissa erat, magno cum dedecore expulsi fuerunt. Estque hoc quidem mirũ,

illam eò spectabiliorem semper visam esse, quò maiores clades & maiores susceperat calamitates. Qua de re præclare olim Clemēs Alexandrinus hæc verba pronūciauit: *Et Græcam quidē Philosophiam si quis Magistratus prohibuerit, ea statim perit: nostrā autem doctrinam à prima vsq; prædicatione prohibēt simul & Reges, & Tyranni, & singuli Duces, & Magistratus cum vniuersis satellitibus, & innumerabilibus etiam hominibus in nos belligerantes, & nos pro viribus excidere conātes: illa autem magis etiam floret; non enim emoritur, vt doctrina humana, neque flaccescit, vt donum imbecillum. Nullum enim donum Dei est imbecillum: manet autem eiusmodi, vt prohiberi nequeat, cùm prædictum tamen sit fore, vt ea patiatur persequutionem.*

Clem. lib.6. Strom. prope finem.

Hinc ergò Iulianus, qui nihil aliud, quàm maximam calamitatem, & summam vastitatem Ecclesiæ moliebatur, apertum aduersus Christianos bellum suscipere, è re sua non esse, illos autem ex insidijs inuadere sibi vtile existimabat: quia videbat afflictationibus Christianos constantiores effici; dum animi magnitudinem in tuenda pietate tyrannidi opponebant. Solent enim, vt rectè ait Gregorius Nazianzenus, viriles, & generosi animi aduersus eos, qui se viribus contundere moliuntur, obluctari, & strenuè resistere, tantòque magis inflammari, quantò vehementioribus persequutionis ventis perflantur: non secus, ac flamma grauibus ventorum motibus agitata violentior, & rapidior euadit. Idcircò tyranni in Ecclesiam crudeliter sæuiendo fortiorem potius, quàm imbecilliorem populum Christianum persequutionibus effecerunt, eumque magis ad pietatem confirmarunt. Nam, vt fabri ferrarij candens ferrum aqua magis obdurant; sic persequutiones athletas Christi ad pietatem firmiores reddūt. Vnde Hieronymus dicit Ecclesiam persequutionibus inflammari, & ardere, verùm, sicut olim Rubum Mosis, loquente in illo Domino, non perire, neque consumi. Cùm igitur Ecclesia non brachio, nec gladio suo feras Gentes expulerit, neque bellico certamine hostes fugauerit; sed mansuetudi-

Orat. 3. cōt. Iulian.

Hieron. ad Fabiol. mansione. 8.

tudine, ac fide, quæ sola pugnauit, terras hostiles sine vllo cruore occupauerit; triumphos profectò meruit, quos non reuocaret perfidia, sed augeret. Eò namque Christiani pietatem fidemque per nomen Iesu amplius professi sunt, quò magis in eos sæuitum est; non secus, ac si quis vitem putatione ad vbertatem fructuum prouocet. In vineam autem à Deo, & Saluatore Christo plantatus est populus suus, cuius, vt quondam, ita nunc quidem diruta est maceries, & feræ, atque immanes belluæ diuersarum scilicet sectarum valdè nocentium, atque hæreseon greges in eam irruerunt: sed Deus virtutum conuersus est, & respexit de cælo, & vidit, & visitauit vineam suam, & propugnauit eam, quàm plantauit dextera sua: adeò, vt putationibus & incisionibus nunc quoque crescat, falce hæretica expurgetur, fæcundetur, & fructus suauissimos producat. Quemadmodum enim Deus populum suum quōdam ita gubernauit, vt in summis periculis excitauerit Heroas, qui eum ab iniuria hostium miro quodam modo vindicarunt: ita hisce temporibus Ecclesiam suam sibi maximæ curæ esse ostendit: cùm, etsi Principes nonnulli defecerunt, & Catholicis, atque Orthodoxis Episcopis, & Sacerdotibus, partim cæsis, partim in exilium missis, partim perpetuo carceri mancipatis, Lutherani, Zuingliani, Caluinistæ contrà omnia iura humana & Diuina successerunt, nequaquam tamen Ecclesiam suam ille deseruerit: sed eius rebus ita consuluerit, incommodis medicinā afferendo ita saluti prouiderit, vt, cùm multò ante prospexisset, quanta mala excitarentur, & quot morbi Reipub. Christianæ impenderent à nouarum sectarum authoribus, produxerit contrà eos multos viros ingenio minimè vulgari, & excellenti doctrina præditos, per quos insana huiusmodi pestis rabies comprimeretur. Est enim periti Medici, morbum impendentem, boni Imperatoris, insidias, & sapientis nautæ, tempestates præuidere, atque aliquo auxilio illis occurrere. Hinc elapsis temporibus cùm

ſurrexiſſet Arius, excitauit Deus Sanctiſſimos viros Liberium, Athanaſium, Hilarium: cùm exortus eſſet Macedonius, eduxit in aciem contrà eum Damaſum, Gregoriũ Nazianzenum, Baſilium: cumque erupiſſet, tanquam è tartaro, Neſtorius, emiſit, qui eum ſtrenuè debellarent, Celeſtinum Romanum Pontificem, & Cyrillum Alexandrinum Epiſcopum: cùm deinde emerſiſſet è quibuſdam, neſcio quibus, latibulis Eutyches, oppoſuit illi fortiſſimũ Leonem. Sic aduerſus Valẽtinum, Irenæum, contrà Marcionem, Tertullianum, contrà Celſum, Origenem, contrà Nouatum, Cyprianum, contrà Heluidium, & Iouinianũ, & Vigilantium, & Luciferianos, Hieronymum, contrà Donatiſtas, & Manichæos, Auguſtinum armauit: quorũ poſtremùm non ſine Diuinæ Prouidentiæ conſilio, eodem anno, & die, quo natus eſt Pelagius, in lucem emiſſum fuiſſe, prudenter, vt arbitror, Bulphilas Gothorum Epiſcopus obſeruauit, vt, orto Eccleſiæ hoſte, qui inter Sacras Scripturas errores execrandos erat ſparſurus, ſimul in campum prodiret, qui lolium conuelleret, & errores exſtirparet. *Bulphil. in ſuo Breuia.*

Præclarè quidem Regius Vates dierum, & noctium viciſſitudines, & ordinis optimè ſeruati conſtantiam, & Salutarem laboris & quietis certa ratione diſtinctam varietatem intuitus dixit, *Poſuiſti tenebras, & facta eſt vox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ Syluæ, catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi. Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad operationem ſuam vſque ad veſperam.* Dum enim Sol aduerſas noſtro Hemiſphærio plagas inuiſit, vt omnium ſaluti proſpiciat, homines, qui verſantur in hac regione, quam ſuperam appellamus, qui diem in labore contriuerant, placido ſomno conſopiti reficiuntur: ſed interim nocturnis tenebris ſerpunt, & gradiuntur immanes belluæ in agris, quas die in luſtra metus abdiderat; quia licet multùm viribus, & celeritate valeant, hominum tamen concurſus ita extimeſcunt, vt non *Pſal.*

audeant

audeant in lucem prodire, nisi extrema necessitate compellantur. Nocte igitur leones egressi fremunt, & rugiunt, & ad prædam festinant, cibumque suum à Deo summa contentione flagitant: sed simul ac Solis nitor exoritur, feræ se recipiunt, vt in latibulis suis procumbant: homines autem è somno excitati, ad agriculturam reuertuntur, & operi suo ad vesperum vsque totis instant viribus, & neruis. Hæc quamuis Christo Domino aptissimè accommodentur: non tamen sine eiusdem Dei Filij honore de verbi sui præcone, & propugnatore acerrimo Augustino poterimus intelligere: quem priusquam Deus errore purgasset, & à Manichæorum hæresi ad Catholicam Fidem adduxisset; hæretici tanquam leones è cubilibus suis egressi, aut veluti lupi, in obscura noctis caligine in Christi gregem inuadebant, & omnibus, qui Christum profitebantur, perniciem, & vltimum exitium moliebantur. Verùm posteaquàm Deo bonorũ omnium largitori placuit ab Augustini mente errorũ tenebras excutere, ille, quasi nouũ aliquod sydus, noctis caliginem depulisset, micanti doctrinæ suæ, & scriptorũ suorum radio eos terruit; cumque ijs etiam aperto Marte prælium iniuit: illis verò victis & fusis, & ad abditissimas syluæ latebras receptis (contremuerant enim timore perterriti) non amplius illorum incursiones, & nefarios impetus homines Catholici pertimescebant, quominus in opere suo pacatis animis toti insisterent.

Quid? cùm Deus contrà Monothelitas, Agathonem; contrà Iconomachos, Tarasium; contrà Berengarium, Lanfrancum, & Guimundum, & Algerum; contrà Henricianos, & Petrobrussianos, Petrum Abbatem Cluniacẽsem; contrà Petrum Adelhardum, Bernardum excitauerit; ac quocumque tempore hæreses emerserunt, semper extiterint singulari Dei beneficio viri ingenio, doctrina, eloquentia, & pietate præstantes, qui hæreticis restiterunt, & forti, constantique animo eos oppugnarunt, contri-

triuerunt, & omninò superarunt. Est ita sanè: sed, si ego vno Augustini exemplo cæterorum Patrum grauitatem, amplitudinem, & maiestatem, tanquam Thimantis velo contego, æqui bonique consulendum est. Dum enim illorum præclara gesta silentio prætereo, Deum his nostris temporibus Ecclesiæ suæ, quæ sibi semper simillima fuit, haudquaquam defuisse in hac nostra breui tabella ostendam. Nam cū erupissent Lutherani, & ex illis nati Zuingliani, mox Mũncerani, siue Pacimontani, & alij plurimi hæreticorum greges, produxit statim cõtrà eos in aciem multos robore excellentis doctrinæ præditos viros, per quos illorũ insanus furor reprimeretur. Hi fuerunt, tunc quidem, Roffenses, Poli, Caietani, Hosij, Eckij, Pighij, Cõtareni, Rufi, Campegij. Post quos in certamen descenderunt Sanderi, Stapletoni, Belarmini, Baronij, Bosij; qui ita illis obstiterunt, vt de prostratis, & victis hostibus gloriosè triumpharint. Cum quibus si perillustres viros nostrates Hieronymum Osoriũ Episcopum Algarbiensem, & Dieguum Payuam Dandradam, vt alios sileam, quos summa laus, summaque gloria subsequuta est, connumerabo, rem in suo cardine, & illorum virtutes in numero Heroum iure optimo videbor collocasse: cùm eorum nomina Christianæ Reipub. minimè obscura, & incognita fuisse conspiciam. Vterque enim multo tempore in Regia maximorum Regum Lusitaniæ versatus, & ab illis ad negotia grauissima multis annis adhibitus est: in quibus non solùm Lusitanis suis, & illi Regno finitimis Prouinciis, verùm etiam Galliæ, Italiæ, Germaniæ, Angliæ, Poloniæ fidem suam, industriam, atque virtutem testatam reliquit. Osorius quidem aureum Eloquentię flumen fundens propter excellentem doctrinam, quæ in suis libris, & literis elucet, & propter vitam pio, Catholico, & Orthodoxo Episcopo dignam immortale sibi nomen comparauit: Dieguus autem Payua, cùm Tridenti in Concilio versaretur, tam auidus Sacrorum Oraculorum, & eorum

rum, quæ Patres censuerant, indagator, tam diligens, & studiosus veritatis inuestigator extitit; tanta vi & efficacia sententias aduersariorum oppugnauit, & machinas euertit, vt neque in viro doctrina & pietate insigni aliquid amplius desiderari potuerit, neque illis vlla elabendi via relicta sit. Huius quidem rei decem illi libri, quos de orthodoxis explicationibus composuit, & quinque quibus Sacrosanctos Concilij Tridentini Canones defendendos suscepit, contrà hæreticorum, & præsertim Martini Kemnitij detestabiles calumnias, argumenta sunt euidentissima. Adeò veterum sententijs, & Diuinis Oraculis, tanquam gemmis pretiosis insigniti sunt: adeò etiam mirabili eruditione, & singularibus eloquentiæ ornamētis abundant: & in eo scribendi genere adeò floruisse mihi videtur, vt & Patriæ decus amplissimum pepererit, & sibi atque familiæ suæ laudem maximam compararit. Itaque meritò scriptor hic elegantissimns, & præstantissimus Theologus, & optimus, & acerrimus Orthodoxæ Fidei, ac Religionis Catholicæ propugnator à cunctis simul est habendus. Alios præter hos ex omnibus Prouincijs & nationibus permultos connumerare poteram, qui excellentia ingenia, singularia studia, insignes labores, & vires suas ad Ecclesiæ dignitatem, & amplitudinem, atque ad Sacrorum Conciliorum firmam perpetuamque authoritatem, Summi Pontificis Primatum, & Catholicam omnem, Orthodoxamque doctrinam propugnandam attulerunt: sed eos consultò prætereundos duxi, ne de Heroibus, quorum virtutes neque imitari, neque adumbrare possumus, nosmet iactare, & ostentare videamur.

Qui deinde considerabit, quot Gentes nostris hisce temporibus, nostra autem appello tempora abhinc centum annis elapsa, tam piorum hominum exemplo, quàm doctissimorum virorum exhortationibus commotę Christianam Religionem susceperunt; quot etiam illustres viri velociori pede ad metam properantes pręclaros Religio-

so-

ſorum Ordines inſtituerunt, quàm egregia in omni ſcientiarum genere monumenta in lucem ediderunt, profectò inficiari nequaquàm poterit, Chriſti Eccleſiam adeò ſibi ſimilem eſſe, adeò vnam, & eandem, quod ad ſynceram, & veram Fidei doctrinam attinet, ſemper extitiſſe, vt nulla temporum viciſſitudine, nullis hoſtium incurſibus ſuperari, nullis tenebris occultari, nulla circumfundi caligine potuerit. Vnde ſapienter Chryſoſtomus ait facilius eſſe Solem extingui, quàm Eccleſiam obſcurari, cuius firmitudo ad conſummationem vſque ſæculi Diuinis ſuffulta eſt promiſſionibus. Corrigitur ergò, deprimitur; ſed nunquam deſeritur Sponſa Chriſti. At concubinæ effrenes, & licentioſæ, hoc eſt, hæreticorum ſectæ, vagantur: &, tacet quidem Dominus, quaſi non videat, (*Non viſitabo*, inquit ille, *ſuper filias veſtras, cùm fuerint fornicatæ, & ſuper nurus veſtras cùm adulterauerint*) donec laſciua feritate ſua percitæ in exitium certum agantur, & pereant.

De verbis Eſai. Homil.

Oſeas. c. 4.

CAP. XIII

CONcludamus ergò. Si ſuperioribus ſeculis hoc eſt ab exordio ædificationis ſuæ, Catholica Eccleſia tum ad Fidei lites dirimendas, tum etiam ad fidelium populorum mores efformandos manifeſtè oſtendit authoritatem ſibi à Chriſto Domino traditam, quæ in Apoſtolorũ ſucceſſoribus Eccleſiarum Præſulibus maximè, ſed in Romano Pontifice eiuſdem Chriſti Vicario potiſſimùm reſidet, quamque ab aduerſarijs, Pſeudoapoſtolis, & Pſeudoprophetis toties oppugnatam, inuictam tamen, & multis victoriæ inſignibus, & monumentis ornatam videmus: Si, vt hoſtes ſuos non modò in fugam daret, verùm etiam deleret, & prorſus extingueret, vniuerſos Chriſtiani Orbis Epiſcopos, tanquàm delectiſſimum exercitum ex veteranis militibus comparatum, in vnum congregare conſueuit; cum quibus hoſtes (quamuis fraudibus nõnunquam illorum viribus & fortitudini inſidiati ſint) aperto Marte dimicaturi, nullo vnquam tẽpore in aciem deſcenderunt: Si ab Apoſtolis Sanctiſſimis in Spiritu Sancto

cto Hierosolymæ collectis aduersus eos, qui Christi Ecclesiam recens natam rescindere conabantur, syncera Euangelij doctrina mirum in modum propugnata est; adeò, vt quamquam breui quodam tempore pax eorum, qui Saluatori nostro fidem suam astrinxerant, turbata est, illa tamen firma, constansque perseuerauerit: si quoties posteà, vel, quæ cum ipsis Apostolis exortæ sunt hæreses, vel qui post illorum tempora, superbissimi, & audacissimi homines, ab auita fide, & Catholica Religione deficientes Ecclesiam oppugnarunt, illa Generalium Conciliorum nonnunquam, Regionalium sæpè, sæpius verò Prouincialium authoritate, & maiestate minimè contemnenda, eorum cuneos prorupit, exercitus strauit, & aduersarios vel penitus extinxit, vel manifestissimos Christi hostes declarauit, vt, tanquam lupi, qui Dominicum gregem dispergere, & in perniciem maximam adducere conantur, Ecclesiasticorum Pastorum vigilantia, & cura singulari contererentur: Si nullis hæreticorum fraudibus, nulla Principum violentia, aut temeritate iudicium Sacrorum Conciliorum corrumpi, authoritas violari, vel dignitas, & amplitudo obscurari potuit: quin potius illorũ oppugnatores omni prorsus victoriæ obtinendæ spe frustrati cum magno nominum suorum dedecore terga verterunt, & in occultas Syluarum latebras, sese inglorij receperunt, cuius rei ne posteritas quidem omnium seculorum immemor erit; quid rursus huius nostræ tempestatis portenta Ecclesiam Catholicam in Præpositis suis crudeliter impetunt, & impiè oppugnant? Quid sacros Episcoporum conuentus, erroris, & temeritatis accusant? Quę Patribus suis minimè profuerunt cauillationes, quam sibi vtilitatem afferre posse arbitrantur? Quid idola, à quibus maiores sui illusi, & decepti fuerunt, denuò conflata suspiciunt, atque maximè venerantur? Quid Deos adorant, qui populum suum contrà Principum Ecclesiæ authoritatem, & amplitudinem defendere nequiuerunt?

Vos igitur, quotquot Lutheri Caluini, Zuinglij, Buceri, aut similium portentorum sectatores estis, obtestor, obsecroque per viscera misericordiæ Dei nostri, ne diutius patiamini iugo seruitutis animas vestras miserè coerceri. Nolite effici serui hominum sceleratissimorum, quales fuerũt Lutherus, Caluinus, Zuinglius, Bucerus, Melanchthon, qui superbia, audacia, obscœnitate, & reliquis flagitiis cum sceleratissimo quoque longè anteactæ ætatis certare facilè potuerunt. Horum opiniones quamdiu amplectimini, miserorum profectò hominum opinionibus inhæretis. Quid ergò? Adeòne extrà mentem estis, vt eorum iudicio vos submittatis, & eorum placitis sensum & consensum totius Ecclesiæ, quæ, vt sæpe diximus, est columna, & firmamentum veritatis, posthabendum putetis? Agite nunc, hanc prauam, & execrabilem opinionem, quam mentibus vestris infixistis, cùm eam ratio non patiatur, animis libentibus auellite. Fugite idola, per Deum immortalem: Fugite, ne miserè cum illis pereatis. Non est Deus Caluinus; Non est Deus Lutherus; Non est Deus Bucerus; aut quicunque tandem alius ex illorum agmine: sed idola sunt, quæ vos conflastis vobismetipsis, & colenda, atque veneranda sponte vestra suscepistis. Homines cùm fuerint, qui speciem pietatis, nescio quam, præ se ferentes, virtutem autem longè amouentes, multò crudelius in corpus Christi conspirarunt, quàm illi, qui eundem Christum Redemptorem nostrum in crucem egerunt (tunc enim milites conscelerati & impij non fregerunt eius crura: isti verò totum corpus Christi, hoc est, vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam disruperunt, atque in partes multas miserè conciderunt) non vos pudet eorum fieri sectatores? Nonne eundem Patrem, qui in cælis est, nobiscum inuocatis? Nonne eadem formula à Christo eiusdem sempiterni Parentis Filio nobis præscripta vtimini? Nonne, Pater noster, dicitis, qui est in cælis? Atqui Parens hic noster vni-

cam

cam tantum ſponſam habere voluit. Qui ergo Patrem vnum nobiſcum cognoſcitis inuocandum, cur etiam nobiſcum matrem vnam non colitis, & veneramini? Si primogenitus frater noſter Chriſtus non eſt diuiſus, Cur vos diuidimini? Cur ſegregamini? Cur diſiungimini? Si membra ſumus vnius Chriſti corporis, cur ab eo vos præciditis? Cur altare contrà altare erigitis? Cur Cathedram cõtra Cathedram conſtituitis? Cur audire non vultis Paulum, qui admonet, vt idem nobiſcum, idem cum Maioribus noſtris, idem cum vniuerſa Eccleſia Catholica ſapiatis? Cur ſtultè, & ſtolidè à gremio Eccleſiæ vos diuellitis, & diſtrahitis? Iterum, atque iterũ vos per Deum immortalem obſecro, vt conſonetis paci; cohæreatis vnitati; acquieſcatis charitati; credatis veritati, vt nos, qui Dei munificentia Eccleſiæ vlnis tenemur, de concordia veſtra lætari, & de veſtra ſalute, quam minimè profectò habebitis, niſi intrà Catholicæ Eccleſiæ tutiſſima mœnia religiosè vos recipiatis, Deo gratias agere poſſimus. Nam extrà Eccleſiam Catholicã (vt Diui Auguſtini verbis vtamur) omnia poteſtis habere præter ſalutem: ſed nuſquam niſi in Eccleſia Catholica ſalutem inuenire poteritis. Extrà hanc haberi poſſunt omnia: Sola ea, quæ ſalutem adfert, charitas extrà Eccleſiam haberi non poteſt. Neque enim diuidit vnitatem, quiſquis habet charitatem. Illa enim Pax, & Charitas, & ſimilia vocitatur, per hæc nomina, nobis præſtãs, vt his virtutibus transformemur ad Deum. Quamobrem ad ſempiternum Parentẽ migraturus Chriſtus nihil aliud nobis teſtamento ſuo reliquit, quàm Pacem: nec aliud Patrem ſuum maiori conatu orauit, quàm vt vnum ſecum, vnum & inter noſmet ipſos ſimus. Addo etiam ſponte ſua eundem Dominum mortem obiiſſe, vt diſperſos in vnum congregaret. Quid ergo? Quod nobis in teſtamento legatum eſt, id vos malè ſani repudiatis? Quid? Nullumne prorſus ex Chriſti precatione, profecta quidem ex ſumma quadam, & maximè eximia ergà nos

1. Cor. c. 12.

In libr. de geſt. cũ Emerito.

charitate, fructum, nullam vtilitatem vultis percipere? Quid? cruoris, & mortis Christi beneficium maximum, irritum, quantum ad vos attinet, & inane reddere contenditis? Quid? quod anteà dispersum, posteà Christi sanguine pretioso congregatum fuit, id vos iterum disgregare, & dispergere conamini? Estne hoc Christianos esse? Estne hoc Christi Euangelium profiteri? Nolite, precor, spargere cum Sathana; sed congregate potius cum Christo; vel saltem illud, quod semel illius sanguine coniunctum est, ne disiungatis, neue operam detis, vt idipsum ab alijs fraude vestra circumuentis perpatretur. Nihil est enim, quod Apostolus, vel ad Romanos, vel ad Corinthios, vel ad Philippenses scribens tam frequenter inculcet, quàm vt idipsum dicamus, idipsum sentiamus, idem sapiamus omnes. *Nihil*, adiungit ille, *per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate*. Nam quid est, quod perinde obstare possit, quominus homines idem sapiant, eandem charitatem habentes, & vnanimiter idipsum sentiẽtes, ac rixosa contentio? Hæc quidem animos irritat; mentes perturbat; odia accendit; atque tantam persæpe caliginem mortalium oculis infundit; vt cæca mens, quidnam rectum, quidue à certissima regula deflectat, videre, ac discernere non posit. Idcircò hæretici, dum litigant, excæcantur, inquit Augustinus. Qui igitur *Zelum amarum habetis, & contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem. Non est enim ista sapientia desursum descendens à Patre luminum, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus, & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. Quæ autem desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordia & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione*. Qui ergò tam multa de vobis prædicatis, qui sapientes videri tantoperè optatis, qui vos magnificè iactatis, sectamini sapientiam, quæ è cælis à Patre luminum in terras demittitur. Hæc enim est pudica; quoniam castè intelligit: est pacifica; quoniam à proximo-

Ad Philip. cap. 2.

Aug. de hære. cont. Manich. lib. 1. c. 17.

Ep. Iac. c. 3.

ximorum societate propter elationem se non disiungit: est modesta, benesuada, bonis consentiens; quoniam nihil habet in se perfracti, sed facilè credit veritati. Hoc sapientiæ, & virtutum omnium columen, quod certè apud vos inueniri non potest, in Catholica Ecclesia facillimo negotio reperietis: quæ sola est, in qua superna mysteria Christiani fideles contemplantur. Sed quid ego argumentor? Quid plura disputo? Te sancte Moses appello, cùm Dominum Deum enixè obsecrabas, vt ostenderet tibi gloriam suam, quodnam ab eo responsum accepisti? Certè inquit Dominus; *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet.* Rem magnam, & quæ humanum captum omninò superat, postulasti; nempe, vt tibi liceret Naturam Diuinam, quæ oculis humanis inaccessa est, videre. Verumtamen, *Ecce,* inquit Dominus, *est locus apud me, & stabis suprà petram: cùmque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea: donec transeam, tollamque manum meam, & videbis posteriora mea.* Hoc est, quàm sim animo propensus ad salutem tuam, quàm etiam singulari amore te complectar, vt tu ipse inspicias, efficiam; Vtque posteriora mea intueri possis, idest arcana, & diuina mysteria. Nam posteriora Dei diuinas esse dispensationes, atque effectus intellexit Theodoretus: quæ intueri licet ijs, qui perinde, ac Moses, pulcherrima virtute perfecti sunt: & hæc non vbique, sed vbi collocati fuerint ab ipso Deo in loco, quem iuxtà se esse prædicauit, idest, in Catholica Ecclesia super Petrum saxum immobile & firmissimam rupem cōstructa. Petra quidem erat Christus: verùm, quæ ille, vt ait Basilius, per naturam habebat, Petrus per gratiam sortitus est. In Petra ergò, idest, Petri Sede, tanquam in solidissimo, & firmissimo fundamento Religionis nostræ nixi, in foramine petræ, hoc est, Fidei oculo, contemplamur ea, quę corporeos oculos, & humanum intellectum vndique subterfugiunt. Hanc ne igitur Catholicam Ecclesiam, quam, vt eam foueret, & amplis-

Exod. c. 33.

Theod. q. in Exo.

Basil. Homi. de pæn.

ſimis Spiritus Sancti præſidijs munitã conſeruaret, apud ſe Dominus conſtruxit, & tanquam fortiſsimum, ac tutiſsimum Aſylum nobis conſtituit, veſtris arietibus labefactandam, & euertendam ſuſcipitis? Hancne errati accuſare audetis, quæ non aliter, quàm Spiritus Sancti afflatu, Fidei, & Religionis Chriſtianæ lites, & cauſſas omnes componit? Quæ Eccleſiæ Principes, & Paſtores in vnum collecti Spiritu Sancto dictante ſanctiſsimè decreuerunt, & tam accuratè, tã diligenter ſanxerunt, criminari non veremini? An Petrũ immobilẽ Petram parui ducitis? An Spiritus Sãcti afflatũ contemnitis? An Epiſcoporum aciem cũ Petri ſucceſſoribus, cũ Petri Sede, cum petra ipſa, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia, conſociatam non timetis? Fruſtrà profectò minas iactatis, fruſtrà terrores & metus opponitis, fruſtrà pericula intenditis Epiſcoporum celeberrimis Conuentibus, in quibus ſumma Eccleſiæ authoritas collocata eſt, quæ aduerſus impetus ſæuientis maris inconcuſſo fundamento perſiſtit. Chriſtus enim ſuper maria fundauit eam, & ſuper flumina præparauit illam. Alluitur fluctibus, non innundatur; & licet elementa mundi huius illiſa magno reſultent fragore; habet tamen, in quo periclitantes excipiat, portum tutiſsimum ſalutis. Quocircà (vt tandem, quid à vobis Catholici omnes, & Orthodoxi viri exoptemus, breuiter aperiam) vos omnes, quotquot à Catholica Religione, & Orthodoxa Fide turpiter defeciſtis, appello, obteſtorq. per Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri vulnera, per ſanguinem illius in cruce profuſum, per eius clariſsimam victoriam, quam de morte ſtrenuè dimicando reportauit, per triumphum, quem inferis deuictis glorioſiſsimè egit, per ſempiternũ illum ignem, quo terras inuoluit, & quo ſuorum animos inflammauit, per ſanctiſsimum illud, & incorruptiſsimũ iudicium, quo in ſcelus omne grauiſsimè animaduertet, inuiolatam verò Fidem, & caſtam Religionem ſempiternis præmiis afficiet, vos, inquam, oro, & obſecro, vt

Pſalm. 23.

Ambro. lib. 8. epiſt. 14.

cùm

cùm ego fœdam vestram defectionem, & impietatem apertè intuendam vobis obiecerim, cùm fraudes omnes, quas ad Ecclesiasticam authoritatem violandam machinati estis, detectas facilè diluerim, cùm machinas, quas ad euertendam Sacrorum Conciliorum maiestatē fabricastis, euerterim, ne amplius vobis ipsis velitis deesse. Christum pro vobis vulneribus concisum intuemini: vos ad illius pedes abiicite; illius crucem amplectimini, sanctorū vestigiis incedite; vobis ipsimet persuadete, illam esse veram Doctrinam, & ab omni erroris suspicione liberam, quam Sancti Patres singulari sapientia, excellenti virtute, continentia admirabili, integra puritate præditi, & cum Deo amore summo cōiuncti, & ab illius Spiritu eruditi nobis traditam reliquerunt: non autem illam, quam vestri præceptores, cùm essent homines superbi, salaces, amore sui obcæcati, ingenio suo freti, fiducia præcipites, flagitiis cooperti, & ab Ecclesiæ gremio diuulsi, contrà Priscorum Patrum sententias, contrà Summorum Pontificum decreta, contrà Synodales constitutiones, contrà traditiones Apostolorum, contrà apertissima Sacræ Paginæ testimonia, sequendam & amplectendam vobis miseris tradiderunt. Cedite tādem veritati, vel saltem conuicti iam herbam porrigite: obedite Præpositis, quos Spiritus Sanctus Ecclesiæ suæ regimini præfecit, vt gaudium nostrum sit plenum, vobis vnum, idemque nobiscū sentientibus, & eandem nobiscum habentibus charitatē. Soliciti estote, vt seruare possitis in vinculo pacis vnitatē Spiritus, sine qua nullus vnquam Deum intuebitur. Non vos latet, quā similis vobis extiterit Henricus, qui Quartus huius nominis nunc Regni Galliæ gubernaculo Diuina prouidentia assidet: qui tamen, cùm animaduertisset viam, quam sequebatur, minimè tutam, imò multis infestam periculis esse, vtpote, quæ recta ad inferos ducat, ad iter, vnde, sicut vos miseri, deflexerat, citato cursu reuersus est: nec ei aliquid obstaculo fuit, quominus matrē

Gal. cap. 6.

Hebr. c. 12.

adierit,

adierit, quam mortiferis vestratium blanditiis allectus, & falsis opinionibus seductus quondam deseruerat. Gauisa est mater de filij reditu: gauisi nos quoque sumus de fratris in meliorem frugem receptione, nec ei partem hæreditatis inuidemus; sicut, neque vobis inuidebimus, si vestri Regis exemplo ad gremium matris redeatis, & eam, vt ratio postulat, nobiscum colatis. Credite vnum mihi, si nunc Christianissimum Regem Henricum conueniatis, & ex illo percontemini, quid iucundius in vita vnquam sibi obuenerit, eum vobis responsurum, se nulla ex re maiorem voluptatem percepisse, quàm ex reditu ad Ecclesiam suo, cuius beneficio sperat aliquandò forè, vt Patrem illum in cœlis videat, cuius sponsam in terris summa obseruantia nunc colit. Quis hoc vnquam putasset, vt qui tā seuerus Ecclesiæ hostis fuisset, & qui eius muros tot arietibus impetiuisset, ipsam aliquandò depositis armis esset summa obseruantia amplexurus? Quis vnquam bene sperasset de illo, qui fratres, quibus nunc adiunctus est, tam atrociter, tanquam sicarios, & parricidas persequebatur? Quis vnquam fidem illi habuisset, qui fidem in Baptismo matri datam omni contempta Religione fefellerat? Fuit quidem, fateor, maximum Dei beneficium, quod tantus Reipub. Christianæ hostis ita resipuerit, vt solùm iam id maximè nunc cupiat, quòd à Fide Catholica non discrepat. Hoc etiā beneficium Henrico Regi inuictissimo concessum Cælestis ille Pater minimè vobis negabit, si per vos non steterit, quominus eo afficiamini, cùm ille benignus sit, & liberalitatis suæ thesaurum nemini claudere consueuerit. Imitamini quæso, Regem Henricum, cuius famam nulla temporum vicissitudo obliuioni tradet: cuius nomen nullis silentij tenebris sepultum videbitur, non tam ob rei militaris scientiam, quàm ob præclarum facinus, quod ad Ecclesiam redeundo præstitit: quod quidem multò maius est, quàm si totum terrarum Orbem armis subactum Galliæ Regno adiun-

iunxiſſet: cùm hoc mortale, illud verò immortale ſit; quãtoque immortalia mortalibus præſtant, tantò illud huic ſine dubio antecellat. Sequimini nunc illius rectè iam in vijs Fidei incedentis veſtigia, quem multi veſtrum à recto tramite longè aberrantem nõ pridem ſequuti ſunt; adeò, vt nullum itineris periculum tam arduum fuerit, quòd non libenter cum illo ſubiuerint. Stultum eſt, errantem ſequi, & eundem ad rectam viam redeuntem deſerere. Quis eſt, proh Deum immortalem, qui non illum mentis incompotem appellet, & rationis expertem dicat, qui mortem cum amico oppetere volens, cum eodem vitam degere recuſet? Volebatis quondam cum Henrico millies (ſi potuiſſet fieri) obire: nunc ſi ſtolidi dici non vultis, viuite ſemel cum illo, iam Galliæ Rege, iam rectè de Fide ſentiente, atque idem nobiſcum amplectente. Si illum tanto amore proſequuti eſtis, vt quæcunque vobis imperauerit, dicto citius præſtiteritis, amate eum nunc etiam ita vehementer, vt ipſius imperata ſine vlla mora faciatis. Imperat, licet tacere videatur, vobis, qui ſibi ſubditi eſtis, vt nefarijs ſectis, quas miſeri amplectimini, relictis, ad Eccleſiam Catholicam reuertamini: Obedite Regi veſtro, tam iuſta vobis imperanti, vt ipſi non obtemperare hac in re, maximum nefas ſit. Non difficile eſt, quod imperat: Vnuſquiſque veſtrum, gratia Dei, quæ nulli, modò ex animo petat, negari ſolet, facillimè exequetur. Vos verò, qui extrà ſuam ditionem eſtis, enixè rogat, vt exemplo ſuo matrem, quam modò crudeliter inſectamini, obſeruetis, & Summo Pontifici Eccleſiæ capiti vos ſubmittatis, & ei, cùm Vicarius Chriſti ſit, obtemperetis. Si amici dici vultis, quales non ita pridem vos profitebamini, amicitiæ legem colite, quæ præcipit, vt amico non iniqua, neque difficilia roganti pareamus. Sed hæc ſatis, ſi ad Eccleſiam, ſponte veſtra, redibitis, futurum erit, vt ex hac peregrinatione ad cæleſtem Patriam feliciter euadatis, in qua cernere licebit, ſicuti eſt, illum, qui eſt pax noſtra,

ſtra, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & accipiatis hæreditatem ſempiternam, à qua Patres veſtri Lutherus, Zuinglius, Caluinus, Bucerus, cæterique homines, qui libidinibus inſeruierunt, abdicati ſunt. Da, Chriſte, da, vt aliquandò ſolutis erratorum vinculis, quibus miſeri iſti, qui adhuc ſuperſtites ſunt, conſtricti fœdè detinentur, & diſcuſſa illa caligine, per quam veluti offuſa illis ſempiterna nox eſſet, ita ruunt, omnia miſcent, omnia perturbant, diluceat, pateat, omnia videant; ne amplius fuſi per tabernacula Pſeudoprophetarum vagentur: ſed iam reſpicere incipiant, vbi habitas, vbi cubas in meridie; & ad Montem pinguem; ad tuam Sāctam Ciuitatem, ad Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam inflammatis animis adſpirēt. Tu, qui omnes ad te inuitas, & allicis, manumque illis porrigis, mentes eorum cæleſtibus inſtrue diſciplinis: ipſis denique viam monſtra, qua ad immortalem gloriam poſſint fœliciter peruenire.

DE OPTIMO REIPVB. STATV LIBRI SEXTI FINIS.


DE SACRIS APOSTOLICIS TRADITIONIBVS

Liber, qui & Apologeticus,

AVTHORE F. GREGORIO NVNNIO CORONEL LVSITANO.
Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Professore, & Sacræ Theologiæ Doctore

AD REVER^{mum}. PATREM EIVSDEM ORDINIS PRIOREM GENERALEM

MAGISTRVM FR.^{em} ANDREAM FIVIZANVM.



ROMAE,
EX TYPOGRAPHIA EXTERNARVM LINGVARVM

Apud Iacobum Lunam. Anno M. D. XCVII.
SVPERIORVM PERMISSV.

MVM

AD REVER. PATREM M^um^. FR^em^. ANDREAM FIVIZANVM ORDINIS EREMITARVM SANCTI AVGVSTINI PRIOREM GENERALEM.

Præfatio.

STANDVM esse antiquitati uniuersitati, perpetuitati, Pater Reuerendissime, standum esse Catholicæ cōsensioni, ut in Apostolica Fide esse possimus: nec alicuius, quamuis præstantissimi viri, authoritatem tantùm apud nos valere debere, ut ob eam ab antiqua Ca-

tholica doctrina, à Christo Reipub. nostræ optimo institutore, ad Apostolos, ab Apostolis ad Patres, à Patribus ad nos veluti per manus traducta desciscamus; vna est omnium Heroum nostrorum cum dignitate explicata sententia. Tutius enim esse, pluribus, quàm vni, credere: imò, neque pluribus credendum esse, si ab antiqua & perpetua Patrum institutione defecerint; ipsa Catholici nominis vis ratioq. declarat: Siquidem hoc est verè & propriè Catholicũ esse, id tenere, quod antiquitus, quod ab omnibus, quod semper creditum est. Concil. Tri. sess. 4. c. 1. *Quamobrem sacrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, hoc sibi perpetuò ante oculos proponẽs, vt, sublatis erroribus, in Christiana Repub. syncera Euangelij doctrina conseruetur, quam longè ante promissam in Scripturis Sanctis D. N. Iesus Christus Dei Filius per semetipsum primùm promulgauit, deinde per suos Apostolos,* Hier. c. 31. Psal. 109. Matt. c. 28. Marc. c. vlt. *tanquam fontem omnis & salutaris veritatis, & morum disciplinæ, cunctis populis annunciari iussit: perspiciensq. hanc veritatem & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ab ipsius Christi ore, ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictan-* Ad Thess. c. 2. 1. Cor. c. 11. 2. Timot. c. 1

ctante, quaſi per manus tradita, ad nos vſque peruenerunt; Orthodoxorum Patrum exempla ſequuta, non ſolùm noui & veteris Teſtamenti libros, ſed etiam Traditiones ipſas, tum ad Fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Chriſto, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſsione in Eccleſia Catholica conſeruatas, pari pietatis affectu, ac reuerentia ſuſcepit, & venerata eſt; nec non ſuſcipere, & venerari nobis ſtrictè præcepit. Quod quàm æquè perpenſum, quàm etiam fuerit à Tridentinis Patribus religiosè præſcriptum, facilè mente conſequi poterit, qui multis ante ſeculis ſanctiſsimi vatis oraculo nos præmonitos fuiſſe animaduertet, ne, veterem callem relinquentes, à paternis veſtigijs declinemus: nequaquam enim Chriſtianum & pium hominem decet promiſſam in ſacro regenerationis lauacro Fidem irritam facere, & in ijs rebus, quæ ad pietatem pertinẽt, omni vento doctrinæ fluctuari, & circumferri. Hæc dicit Dominus. *ait Hieremias,* State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona (*ſiue, vt ſeptuaginta viri interpretantur.* στῆτε ἐπὶ ταῖς ὁδοῖς, καὶ ἴδετε καὶ ἐρωτήσατε τρίβοις κυρίου αἰωνίοις καὶ ἴδετε, ποῖα ἐστὶν ἡ ὁδὸς, ἡ ἀγαθή. Id eſt, State in vi- Hier. cap. 6.

vijs & videte, & interrogate semitas Domini æternas, & videte, qualis est via, quæ bona.) & ambulate in ea & inuenietis refrigeriũ animabus vestris. *Quid hoc? Præclarè ille quidem: Nolite peregrinis & varijs doctrinis abduci: tenete Fidem, quam didicistis. Quòd si, dum in via mandatorum Dei ambulatis, in aliquod biuium, aut triuium incideritis, vt de vero tramite forsan subdubitari aliquandò cœptum sit, cauete, ne temerè & inconsultò vos incerto itineri detis. Nolite credere omni spiritui, sed state super vias, sistite gradum, videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona. Nouarum etenim sententiarum Magistri & ipsi quoq; proferent Scripturas Sanctas, & sese sacrosancti Euangelij præcipuos interpretes & professores iactabũt: verbi Dei strenuos vindices se esse dicent. Ecce, hic est Christus, pleno ore & buccis concrepantibus dictitabunt: cùm tamen ipsorum dogmata neque antiquitus, neque apud omnes, neque semper in Ciuitate Dei Sancta floruerint. Ut meritò & iure optimo eis poßimus exprobrare, quod Sacerdos apud Platonẽ Aegyptius Græcis obiecit,* O Solon, Solon vos Græci semper estis pueri, nullam penitus in animis per veterem

terem auditionem antiquam habentes opinionem: Ex Græcis autem nullus est senex. *Cur ita? Pulcherrimè sanè respondet Clemens Alexandrinus*. Senes, vt arbitror, dixit, qui antiquiora, hoc est, nostra nouerant: vt rursus iuuenes, qui recentiora, & quæ exercebantur à Græcis, quæ heri & nuper facta fuerant, vt vetera & antiqua referebant. *Quamobrem si Græci ab Aegyptio Sacerdote pueris similes (qui fabulas libenter sectantur) dicti sunt, quòd nouis addicti opinionibus veterem Aegyptiorum, siue (vt alij volunt) Hebræorum doctrinam non susceperint; qui nouam semper & peregrinam doctrinam à semetipsis adinuentam & temerè excogitatam, quam non tradiderunt Apostoli, non docuerunt Orthodoxi Patres, non probauit vniuersalis Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis, totis vlnis amplectuntur, & alijs sectandam proponunt, qui canam disciplinam, & antiquissimam, quæ in vera Christi Repub. viget, veritatem, non modò non retinent, sed eam potius inconsideratè reijciunt, impudenter aspernantur, & odio plusquam vatiniano execrantur, an non pueris imprudentiores? Qui nouis & peregrinis doctrinis populos in admi-*

Clem. Alex. stroma. li. 1.

rationem trahere conantur, & à via regia auertere student, an non crudeles & sæui hostes habendi? Certè habendi. Quid ergò agendum, dum noui isti Magistri atque noua opinionum portenta in Rempub. Christianam insurgunt? Dicam breuiter. Nouitati Antiquitas, Singularitati, Vniuersitas, & inconstantiæ opinionum, doctrinæ perpetuitas opponenda est. Nec aliud tenẽdum, quàm, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea. *Ea præcepta custodite, quæ Patres vestri à Maioribus suis acceperunt, & quasi per manus tradiderunt vobis. State in prima & Catholica traditione. Quod profectò sacrosanctum Cælestis sapientiæ, Euangelicæ doctrinæ, & Diuinæ veritatis depositum, vt tot seculis in Christi Repub. sartum tectum conseruatur: ita venenatis sibilis, hostilibus nunc insidijs, nunc nefarijs hæreticorum & impiorum hominum conatibus nunquam non impetitur. Experimento enim iam olim, quotquot Catholicæ veritati se se opposuerunt, apertissimè didicerunt à primis suis initijs Ecclesiam, ita aduersus pullulantes hæreses grauissimis Sacrorum virorum testimo-*

Vinc. Lirin.

monijs & Diuinis Scripturis egisse, vt potissimum inuiolata Patrum Sanctissimorum traditione & authoritate eas omnes extirpauerit, & earum authores vicerit, atque prostrauerit. Non quidem, quod Scripturæ Diuinæ Canon perfectus non sit, sibique ad omnia non satis superq; sufficiat: sed quia (vt inquit Vincentius Lirinensis, Scripturam Sacram pro ipsa sua altitudine, non vno eodemq; sensu vniuersi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur. Cum autem non de lege, sed de intelligentia legis controuersia sit, præiudicatis Patrum sententijs & Paternis Traditionibus inhærendum, & idipsum sentiendum, quod illi antiquitus, vniuersè, & perseueranter senserunt, & in ea doctrina, quam, siue sermone, siue scripto, à Maioribus nostris ritè didicimus, permanendum nobis esse ipsa Diuini Spiritus, qui vtriusque author est, vis & ratio nos monet & instruit; vtque pari pietatis affectu ac reuerentia, & in scripturam relatum Dei verbum, & per traditionem ad nos deductum, suscipiamus & veneremur, hortatur & præcipit. Nec iniuria id quidem: Scriptura enim, id est, Diuinorum librorum simplex litera, deprauari & adulterari, nec-

non in diuersam & oppositam partem, pro hominum sensu & arbitratu trahi potest; Ipsa autem viua Traditio, & ipsa vera Verbi Dei interpretatio, cùm à Catholicis Diuino afflatis Spiritu, legitimis posteris per manus tradatur, vt incorrupta & semper eadem sit necesse est. Quocircà cùm Lex Dei, siue scriptũ Dei Verbum, omnibus etiam hæreticis commune sit, diuinitus certè factum est, vt illius vera intelligentia, & syncera interpretatio, non nisi in vera Christi Ecclesia, quæ est custos & interpres veritatis, hæres & dispẽsatrix Diuinarũ Scripturarum, apud legitimos Apostolorum successores reperiatur, & longè emineat. Hoc verò quàm sit recti regiminis rationi consonum, ex ijs, quæ initio huius operis diximus, facilè colligi potest. Ita enim veteres Legumlatores duo earum genera commẽdarunt, vnum, quod scripto comprehenditur, alterum, quod sine scripto moribus vtentium & traditione Maiorum retinetur, vt, aut vtrumque genus in qualibet Repub. ponendum, aut, si alterum tantum statuendum foret, id procul dubio esset, quod sine scripto recipitur, quod id solum per se possit consistere, prudenter constituerint. Igitur, cùm hac de re eò loci pauca, prout instituti ratio postulabat,

De vera Christi Ecclesia lib. 7.

Lib. 1. c. 6.

labat, dixerimus: & aduersarij ad euertendā Ecclesiasticarum Traditionū vim, & authoritatem omnes apparatus bellicos comparent, & machinas admoueant, operæpretium nos facturos existimauimus, si huic de optimo Reipub. statu operi hunc librum Apologeticum adnecteremus, quo illarum dignitatem à nefarijs hæreticorum incursionibus, pro ingenij nostri exiguitate, vindicaremus. Hoc verò & illud nos consequuturos speramus, vt qui totum hoc de optimo Reipub. statu, quod in lucem prodit, opus, studio & diligentia nostra elaboratum, deposito odio perlegerit, & attentè contemplabitur, nihil prorsus, quod Catholicæ Reipub. nostræ decorem, & dignitatem aliqua ex parte augere possit, in ea desiderari palàm fateatur: cùm interim apud hæreticos & à Catholica fide extorres Gentes, Nationes, & Prouincias nulla sit Reipub. Ecclesiasticæ forma, nulla species, decor nullus: adeò illorum omnia turbata sunt, & confusa.

Sed ecce, dum operi huic postremam manum impono, animus hæret, sub cuiusnam Patrocinio in lucem prodire debeat. Quāuis enim ex ijs, quorum fauorem haud iniuria implorare possem, Tu primus occurristi, cui multis de

causis illud iure suo tibi deberi iudicabam, me auocabat, & à proposito deterrebat, non minus ipsius exiguitas, quàm tua Dignitas: superauit tamen difficultatem omnem ratio argumenti: &, vt, quale quale hoc sit studiorum meorum monumẽtum, Tibi ea potissimùm ratione dicarem, effecit; quòd, quanti Christianæ Reipub. intersit, non scriptis solùm, sed oratione etiam traditis legibus gubernari, & ad Patrum semitas aspicere, hic Apologeticus liber ante omnium oculos manifestè proponat. Cum enim in administranda Augustiniana familia vniuersa (quæ & pars non minima haud contemnenda Christianæ Reipub. censeri debet) eam susceperis curam & cogitationem vigilantissimo & sapientissimo Præsule dignissimam, vt quæ ad Augustiniani status felicitatem & perfectionem spectare videbantur, ea moribus Cœnobitarum & instituto vitæ penitus insita & immota permanerent: Ita antiquissimorum Patrum, qui post Augustinum omnium nostrum Parentem & Institutorem, semitas, quibus incederes, ob oculos tibi proposuisti, vt ab illis ne latum quidem vnguem deflexeris, omnem verò vitæ nostræ rationem ad illorum exemplum sapientissimè accommodaueris. Verùmenimuerò

ita

ita leges ſcriptas, prout res tulit, & temporis atque euentuum occaſio poſtulauit, condidiſti, vt oratione quoque quàm multa tradideris, quæ in conſuetudinem verſa ſtatum noſtrum mirum in modum amplificarunt, ornarunt, ditarunt. Nec tibi aliter, quàm Lycurgo, Soloni, Ariſtoteli, Platoni, Diogeni, & Zenoni, cæteriſq. qui vel de Repub. legibus ornanda, vel de legibus ipſis pertractarunt, aliud fuiſſe inſtitutum conſpicio, quàm vt ad virtutem ſectandam ij, quorum curam ſuſcepiſti, excitarentur, &, vt frugi perſeuerarent, quàm diligentiſsimè admonerentur; æquiſsimè enim perpendebas, quemadmodum vniuſcuiuſque noſtrum, ſic etiam vniuerſæ Auguſtinianæ familiæ felicitatem ex virtute effici. Quo fit, vt hac maximè de cauſa in hæc tēpora, quibus ſanctiſsimus Clemens VIII. in eam curam & cogitationem totus incumbit, vt vniuerſæ Chriſtianæ Reipub. ſtatus caſtiſſimis & ſanctiſsimis moribus illuſtris, atque omni ex parte abſolutus & perfectus reddatur, à diuina Prouidentia reſeruatus, & in Præſulem Generalem, hoc eſt, in partem ſolicitudinis illius lectus fuiſſe videaris, quo & huic operi manū admoueres. Multarum quidem in Te virtutū ſplendor elucebat, quæ Te ad hoc munus

nus obeundum, ad hanc dignitatem capessendam (dixerim proprius) ad onus subleuandæ Religionis nostræ tuis humeris sustinendum, dignissimum ostendebãt. Integritas morum ex singulari indole tua & Religiosæ vitæ instituto, quod in Augustiniana familia suscepisti puer, adolescens piè coluisti, illustrasti Doctor, concionibus & lectionibus, quas quadraginta, & eò amplius, annorum spatio, summa cum laude & animorum vtilitate ad populum habuisti: Generalis autem, in pristinum decus & candorem reuocare conatus es: Prudentia singularis, robur mentis, excellens ac præclara animi magnitudo, nec calamitate vnquã fracta, aut debilitata, nec secundis rebus insolescens, constantia optimo Præsule digna, quam nihil vnquam à recto, nihil à legum seueritate deflexit: quæ quidem omnia non dignitas hæc tua peperit, sed ostendit; quippe quæ in excelsa specula atque arce Augustinianæ Reipub. collocatum omnibus conspicuum præbuit, & maximarum virtutum choro illustrem, maioribus quasi Theatris, tuis Cœnobitis, & admirandum, & imitandum, instar Monasticæ disciplinæ exemplar singulare, proposuit. Scio equidem eo te ingenio esse, vt malis laude digna præstare,

re, quàm à quouis laudibus extolli: at, fateor, non me, non calamum, continere potui, quin, hac oblata occasione, quasi præter intentionem, ea, quæ & à pijs viris summopere commmendantur, & in te maxima commendatione digna singulis quibusque diebus proprijs oculis conspicio, literis mandarem. Non enim, quòd pudore impediaris, quominus laudes tuas agnoscas; & gloriam humanam prorsus cōtemnas: ob id à rebus à te præclarè gestis vna duntaxat breuissima periodo commemorandis, deterreri debui. Si enim gloria filiorum, *vt inquit Sapiens*, patres eorum: *an Parentem, quem per vicos, & fora in familiarium congressibus summis laudibus nobis licet extollere, scripto prosequi fas non erat? At gressum sisto. Vereor enim, ne si modestiæ tuæ terminos præterire videar, mihi, succenseas. Igitur vt ad institutum redeam, quid hic Apologeticus liber contineat, breuiter accipe.* Prou. c. 17.

Cùm hæretici, vt, quos norunt, sacrilegas voces tolerare non debere, pellicere possint, impietatem suam multo fuco obtegentes Sacras Scripturas ita extollere, vt tamen Apostolicas Traditiones nefario ausu deprimant, semper soliti fuerint: nos ex aduerso aliā esse oportere Chri- Argumentum libri.

stianæ

stianæ Fidei regulam, quàm solam Scripturã: illud, inquam, quod Apostoli à Christo Domino, eiusque Spiritu edocti Ecclesiam Christianam docuere, siue id in Scripturas fuerit relatum, siue aliter sese res habeat, ita demonstramus, vt eorum inprimis hæreticorum, qui ad Traditiones non scriptas tanquam ad Azylum, in sectæ suæ dogmatibus statuendis confugere compelluntur, suffragijs, vel ipsis etiam inuitis, comprobemus. Illud verò aduersariorum axioma: Nihil esse credendum, quod non sit scriptum, pluribus deinde rationibus confutamus. Cur etiam Apostoli quædam scripserint, nõ autem omnia Fidei nostræ decreta literis incluserint: ac denique doctrinam Apostolorum, tam scriptam, quàm non scriptam in omni ætate fuisse priscis Patribus creditam verè Euangelicam, eamque siue Epistolis, siue sermone, et viua voce in Ecclesiæ primis initijs traditam, atque aßignatam, ab ipsis Apostolis pro germano Dei verbo Euangelico fuisse habitam: ob idque Orthodoxos Patres in Concilio Nicæno, alijsque posteà Oecumenicis Synodis non tam Scripturis, quàm Traditione non scripta nixos noua hæreticorum dogmata funditus euertiße, hæreticosque profligasse edocemus. Ita quidem

dem, vt tàm in hoc argumento pertractando, quàm in aperiẽdis aduersariorum fraudibus, & eorum calumnijs refutandis, quàm multa ex veterum Orthodoxorum Patrum monumẽtis & Diuinis oraculis deprompta, quæ aliquam Lectori afferre poſſe iucunditatem rati ſumus, oratione amplificauerimus. Hoc vnum tantum nunc ſupereſſe reor, Reuerendiſſime Pater, vt, quo ſoles, benigno vultu hoc exiguũ munuſculum ſuſcipias, quod eò tibi gratius futurum ſpero, quo grati animi mei in te propenſionem ſummam manifeſtius oſtendit. Vale. Ex Muſæo noſtro, Calendis Maijs. Anno M. D. XCVII.

R^MAE. PATER^TIS. TVAE

filius addictiſſimus

Fr. Gregorius Nunnius Coronel.

Iob Cap. VIII.

Interroga generationem priſtinã, & diligenter inueſtiga Patrum memoriam: Et ipſi docebunt te: loquentur tibi, & de corde ſuo proferent eloquia.

Eccleſiaſtic. Cap. VIII.

Non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt à patribus ſuis: quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſsitatis dare reſponſum.

PERIOCHA CAPITVM LIBRI APOLOGETICI DE TRADITIONIBVS APOSTOLICIS.

CAP. I.

EO consilio hæreticos Sacras Scripturas extollere ſolitos eſſe, vt Apoſtolicas deprimant Traditiones, vtrumq. tamẽ Dei verbum, tam non ſcriptum, quam literis conſignatum, Chriſtianæ Fidei regulam cenſendam eſſe, oſtenditur.

CAP II.

Hæreticos ad Traditiones non ſcriptas confugere ſæpe & ſæpius compelli pro ſuorum dogmatum defenſione, edocetur.

CAP. III.

CVr Apoſtoli ſine vllo ſcripto cæleſtem Euangelicam doctrinam in initio creſcentis Eccleſiæ tradiderint: quo deinde conſilio ad ſcribendum ſeſe contulerint; cur etiam literis magiſtris opus fuerit Chriſtianis; ac tandem quare lex Euangelica nouum fædus dicatur, hoc caput continet.

CAP. IV.

VEterem memoriam & Maiorum authoritatem plurimum Sacris Traditionibus deferre traditur: ac primùm, ſub Lege Naturæ Dei populũ Maiorum Traditionibus vſum fuiſſe; vbi, aliquos, ſed non omnes, Deum per ſemetipſum docuiſſe quæ ad ſalutem eſſent neceſſaria, videre licet.

CAP. V.

IDem sub Lege Scripta: &, qui doceant, Mosem à Domino non modò legem, sed arcanam & veram eius intelligentiam, non quidem omnibus, sed Proceribus tradendam, accepisse: cur etiam ad discernenda Fidei dogmata & libros Canonicos Ecclesia adhibuerit traditiones, explicatur.

CAP. VI.

IDcircò hæreticos sacras traditiones execrari, quòd viuendi licentiam & scelera prohibeant, ex veterum monumentis efficaciter demonstratur.

CAP. VII.

SIc à Catholicis Sacras efferri Traditiones, vt tamẽ Sacræ Scripturæ nullo modo derogetur: & Sacrarum Traditionum authoritas Apostolorũ sententiis cõprobatur.

CAP. VIII.

IDem amplius confirmatur exẽplis Apostolorum, qui, antequam Euangelica dogmata literis essent exarata, Euangelium viua voce tradiderunt.

CAP. IX.

PAuli sententia (omnis scriptura diuinitùs inspirata &c.) accuratè expensa, aduersariorum calumnia diluitur: vbi ex ratione, quam in scribendo Paulus obseruauit, non minus ponderis inesse Traditionibus, quàm Scripturis, affirmatur.

CAP. X.

EX aduersariorum dictis noua ratio desumitur, qua Sacrarum Traditionum pondus & authoritas magis illustratur: Euerso ipsorum proprio dogmate, ij refutantur: Et Catholica sententia magis corroboratur.

CAP. XI.

EZechielis sententia (in præceptis patrum vestrorum nolite incedere) ab Aduersariorum calumnia vindicatur; & eorum dogmatibus disertè opponitur.

Prisco-

CAP. XII.

PRiscorum Patrum, Irenæi & Tertulliani, quos aduersarij suorum dogmatum authores & defensores falsò testantur, sententiæ expenduntur, & ex tanti sceleris suspicione liberantur.

CAP. XIII.

AThanasij, Basilij & Chysostomi sententiis, quas hæretici intercidunt & corrumpunt, ad proprium cardinem reductis, quid de Apostolicis censuerint Traditionibus, explicatur.

CAP. XIV.

EPiphanij & Cypriani de eadem re sententia ab hæreticis conspurcatæ expenduntur, &, quantum illi Traditionibus detulerint, declaratur.

CAP. XV.

PErperam ab hæreticis Augustinum adduci ad eneruãdam Traditionum authoritatem, & quàm rectè de ijs ille senserit, euincitur: atque omnes à Catholica disciplina extorres ad resipiscentiam excitantur.

HIEREMIAS CAP. VI.

STATE SVPER VIAS, ET VIDETE, ET INTERROGATE DE SEMITIS ANTIQVIS, QVÆ SIT VIA BONA, ET AMBVLATE IN EA: ET INVENIETIS REFRIGERIVM ANIMABVS VESTRIS.

F. GREGORII NVNNII CORONEL

ORDINIS EREMITARVM S. AVGVSTINI

De Apoſtolicis Traditionibus

Liber qui & Apologeticus.

CVM multa ſint, quæ antiquum humani generis hoſtem ſolicitant, & exagitant vehementer, duo tamen præ cæteris illum maximè cruciant, & intima veluti tabe cõficiunt: Chriſti gloria, & hominum ſalus. In eo verò illius ſtudium omne conſumitur, vt mortales in interitum animorum præcipitet; quorum ruina & Chriſti gloriam, quæ tantum eum odio inflammat, quãtum offendit euectio, aliquo modo labefactari ſperat. Nam cùm nulla re CAP. I.

magis

magis offendatur, quàm quòd ille qui propter nos & nostram omnium salutem vsque eo se demisit, vt serui speciem in se, cùm Dominus esset omnium, susceperit, & quidem nocentis serui, & haud aliter, quàm è seruis sceleratissimus quispiam, capi, alligari, flagris cædi, conspui, & ad extremum omnium maximè ignominioso, necnō acerbissimo supplicio affici dignatus sit, eò sublimitatis euectus, adeò per hanc singularem summissionem, & crucis ignominiam illustratus sit, vt ad huius Iesu consputi, verberibus cæsi, & crucifixi nomen sese flectat & submittat omne genu, non solùm eorum, qui in terris degunt, verum etiam eorum, qui vel apud inferos detinentur, vel apud Superos commorantur in cælis: nec vlla sit vsquam lingua, quæ non confiteatur Iesum omnium rerum Principem, ac Dominum à dextris assidere Deo Patri, vt Regni communis, gloriæque omnis consortem: totis viribus, & neruis in eam curam incumbit, vt hanc illius gloriam, quam sibi debitam putat, penitus infringat.

Iam verò cùm omnis nostra salus non aliundè magis pendeat, quàm ex perpetua, & grata beneficiorum Christi recordatione, qua fit, vt eius ineffabilem in nos amorem animis nostris subinde recolentes, in illius vicissim amorem rapiamur, à quo sic nos fuisse dilectos recordamur; cùm non modò, quos amaret, indigni, verùm etiam, quos æternis afficeret supplicijs, digni fuissemus. Hanc nobis felicitatem Satan inuidet, seduòque agit, vt Christi beneficia prorsus extinguat, & obliuione obruat sempiterna. Nihil enim ei molestius accidere potest, quàm nos illis sedibus, ex quibus ille criminibus suis meritò deiectus est, feliciter potiri.

Cùm ergo exploratissimum habeat, si ab eo, quod imprimis habet propositum, ipsum statim caput aggrediatur, se non facilè quicquam esse profecturum, non illicò prorumpit, quò cogitat: sed prius mortalium animos sibi præparat, vt facilius falsa dogmata & impias opiniones

illis possit inserere. Qui enim aperto Marte congredi non audet, illos, quos vincere studet, ex insidijs adoritur; & Angeli lucis formam plerumque induit, nihil minus præ se ferens, quàm quod animo inclusum gerit. Nulla enim calliditas tanta, quæ cum Satanæ posit astutia comparari, qui non aliundè, quàm ex fraudibus, dolis, & fallacijs constat: adeò, vt de eo verissimè scriptum sit; *erat autem serpens callidior cunctis animantibus*. Christi igitur gloriam vt euertat, sedulam nauat operam, vt homines assuescant nihil non agere per contentionem, atque inanem gloriã; & de quouis Doctrinæ genere iudicandi sibi potestatem arrogare, eòque audaciæ, atque amentiæ progredi, suum vt iudicium Orbis totius Christiani iudicio anteponant, & nihil apud eos Patrum, nihil Conciliorum, & Pontificum authoritas, nihil tot seculorum totius Orbis Christiani consensus valeat; neque suscipiant quicquam præter Scripturas, quas interpretandi authoritatem sibi quisque vsurpet. Priusque ab Ecclesia discessionem faciant, prius Cathedram contrà Cathedram constituant, & altare contrà altare erigant, quàm vel minimo quidem digito de sua sententia se dimoueri patiantur, quò vt ventum erit, nullum profectò tam perniciosum, tam impiũ, tamque nefarium Doctrinæ genus est, quod illis, qui se vltrò ab Ecclesia separant, persuaderi nequeat. Satanæ enim potestati subiectis ea potissimum cura esse solet, vt iussa illius capessant, & imperata exequantur. *Gen. c.3.*

Atque vt vno, & eodem ictu Satan, & Iesu Crucifixi gloriam infringeret, & humano generi infestissimus, hominibus interitũ moliretur, de Sacris Traditionibus conuellendis primùm cogitauit, quibus beneficiorum Christi recordationem mentibus hominum penitus infixam vidit. Qui enim tenebris Ethnicorum, Christianam Rempub. obscurare, & in summam calamitatem mortales miserè detrudere, atque Ecclesiæ exædificationem, in qua Christi gloria amplificatur, labefactare, & funditus euer-

tere, propriam miſeriam expertus nunquam, vel totos neruos intendēs, conari deſtitit, in Traditionum exſtirpatione, cum quibus Domus Dei ædificata fuit, totam curā & ſolicitudinem collocauit; & ſicut labefactato fundamento, quicquid ſuperſtruxeris, corruit, ſic ratus Sacris Traditionibus labefactatis (quibus conſtructa fuit Eccleſia Dei, priuſquam vlla exſtaret ſcriptura) nihil firmum in Fide, nihil fixum, & ſtabile permanſurum, de illis euertendis Satan ſummo ſtudio cogitans, nihil aliud profectò quàm æternam Eccleſię internecionem, vt & Chriſti gloriam eneruaret, & animis moliretur interitum, præmeditatus mihi videtur. Neque enim vllus vnquam Traditionum hoſtis fuit, qui non Eccleſiæ quoque ipſe, & Chriſtianæ Religioni, Chriſti denique gloriæ & ſublimitati bellum indixerit. Nam cùm Eccleſiæ iudicium, & Traditionum authoritas, Fidei ſint muri, Religioniſque propugnacula firmiſſima, nemo ſanè, niſi illis euerſis, Euangelij lucem obſcurare, Chriſti gloriam imminuere, & caliginem piorum animis offundere valebit.

Eccleſiæ igitur firmiſſimam ſtructuram vt oppugnet; Chriſti laudem vt obterat, & gloriæ, atque amplitudini officiat; mortalibus vt vnicam viam obſtruat, qua eò aſcēdere poſſumus, vnde propter nos ipſos Dei filius deſcendere dignatus eſt, gratam profectò Chriſti beneficiorum recordationem obliuione obruere ſempiterna molitur. Id verò tantò ſibi difficilius eſſe intelligit, quantò magis ea non modò monumentis literarum conſignata, verùm etiam prædicatione, dierum obſeruatione, ſignis, imaginibus, geſtu, habitu, varioque ritu, & cærimoniis, ſic auribus inculcata, ſic oculis ingeſta, ſic mentibus hominum impreſſa videt, vt ſine magno negotio, quod præmeditatur, præſtare non poſſit. Quid igitur? Callidè, vt mos illi eſt, fingit ſe maieſtatem Diuinorum Oraculorum quæ literis mandata ſunt, tueri velle, cui per Traditiones plurimum detrahi diuulgat. Hinc ad decipiendos homi-

nes,

nes, laqueos, & viscum confectum ex commixtione syllabarum nominis Dei,& Domini nostri Iesu Christi,& Paracleti Spiritus Sancti,hæreticorum ori admouit,qui homines cùm sint miserè delirantes (inquit B. P.Augustinus, Manichæorum insaniam, & dementiam redarguēs,quos summa cum authoritate obiurgare decreuerat) voluptatibus nimis addicti, & loquaces, Christi gloriam, Euangelij dignitatem, Religionisque instaurationem sermonibus crebris vsurpant,piorum hominum aures Sirenum cantu demulcent, & quos sacrilegas voces tolerare haudquaquam debere optimè norunt, splendidissimis castissimisque nominibus pellicere nituntur. Impietatem verò suam pigmentis, fucoque obtegentes, ac nouis & recenter excogitatis sententiis Christianam aggrediuntur simulare pietatem.Quantam enim cupiditatem hisce hominibus iniiciat nouitas, neminem latere existimo.Quod onus vt Aetna grauius cū suscepissent, ac plusquam pars virilis postulet, muneris se profiteri intelligant, opprimi nihilominus onere malunt, quàm id, quod temerè susceperunt, vel à maioribus suis impositum impudenter sustinent, aut propter Fidem Christianamque Religionem prudenter abiicere, aut propter infirmitatem animi deponere: & tamen, vt rem ad optatum finem perducere queant, confidenti astutia, callidaque audacia ecce repente erumpunt, sacram extollunt Scripturam, in Apostolicas verò Traditiones atrociter inuadunt.Illam quidē extollunt, vt ad prauos sensus torqueant, profanent, & corrumpant;in has verò insurgunt, ne quas excogitarint, fraudes, fallaciæque, detegi, & proculcari, atque sacrilega temeritas & impietas condemnari, radicitusque ex hominum mentibus euelli vllo modo possit. Hinc Montanus (vt author est Eusebius) simulatque aditum Cacodæmoni ad se patefecit, Spiritu quodam tetro abripi, & furore ac mentis insania exagitatus bachari, atque mox non temerè solùm garrire,sed peregrinas quasdam voces

Lib. 5. Conf. cap. 6.

Euseb. lib. 5. c. 15.

fundere, & contrà quam Ecclesiæ consuetudo tum traditione, tum successione antiquitùs ab Apostolorum temporibus eousque deriuata postulabat, vaticinari coepit. Qua etiam fallendi arte Eunomiani (vt testis est Diuus Basilius) Apostolicas irridebant Traditiones & conuitijs prosequebantur, vt Spiritus Sancti Diuinitatem, quam manifestis Sacræ Paginæ testimonijs probari non posse dicebant, audacter & temerè negarent. Quod Arianis quoque familiare fuisse Epiphanius tradit. Quam enim vocem, homousion, scilicet, in Diuinis Scripturis nó reperiebant, damnandam reijciendamque asserebant, quasi quod ita credendum est, ait Ambrosius, cùm scriptum non sit, non ita sit profitendum, quòd non sic Scripturæ Diuinæ referant. Verùm illi sui prorsus immemores, cùm timerent dicere substantiæ vocabulum, quia scriptum non esset, Deum ex Deo, lumen ex lumine in Scripturis minimè contentum liberè profitebantur. Tertullianus etiam & Irenæus Valentinum & Marcionem, cuius acerrimus propugnator vnus extitit Vicleff, in eundem lapsos fuisse errorem referunt. Quod D. Bernardus ætate sua aliquibus excœcatis hæreticis commune fuisse prudenter aduertit. Hinc Lutherus, Zuinglius, Caluinus, quiq; horum vestigijs insistunt hæretici, Religionis Christianæ pestes, & Fidei lues, veterum errorem suscitantes, vt omnem de Purgatorio, satisfactione, Indulgentijs, & plurium aliorum Christianæ Religionis dogmatum doctrinam omnem reijcerent, & exterminarent, nos quidem irridentes, conuitijs ac sibilis prosequentes, Sacras Traditiones, vt certas, ita firmas, indubitatas, & necessarias, ac modis omnibus amplectendas, excludere, funditus euertere, ac prorsus extinguere moliti sunt. Idque non aliter sanè se consequuturos esse sperarunt, quàm Sacram Scripturam summè efferendo, pódus illius & dignitatem amplificando, adeò, vt quicquid in illa non apertè contineatur, æquo iure recipiendum non esse, non minus audacter, quàm

Basil. ad Amphiloquiũ.

Ambr. li. de Fide contra Aria. c. 3.

Tertul. lib. de præscrip.
Irenæ lib. 3. c. 2.
Tho. Vuald. lib. 2. de antiq. Fidei. c. 19.
Bernar ser. 66 sup. Cantica.

quàm temerè profiteantur, solet siquidem falsitas, cùm apertè non audet contrà veritatem insurgere, ne illius mox iaculis prosternatur, ipsius faciem, & effigiem assimulando, contrà eandem dimicare. Sic sanè hæretici, vt Ecclesiasticam Euangelicamque doctrinam labefactare queant, tanquam pro aris, & focis, pro Euangelio se pugnare, & contrà hominum traditiones futiles, & vanas, in certamen se prædicant descendere, & Sacram Scripturã, quam lacertis viribusque oppugnant, multo orationis fuco amplificant. Ecclesiæ dignitatem vt disrumpant, firmam & stabilem de rebus Diuinis persuasionem conuellant, certam, atque penitus insitam fidem prosternant, apud eos, quos pietate, & Religione verè Christiana imbutos esse certò sciunt, ne omni sua spe frustrentur, pro Religione, pro Fide, pro Diuinis Oraculis, ac denique pro Deo ipso pugnare se fingunt. Hinc quondam contrà verbum Dei non scriptum, sed traditum, vnanimi totius Ecclesiæ consensu receptum, & Apostolica authoritate firmatum, falsissimum illud dogma obortum fuit, quod ex veteri, (vt plerumque istorum omnia) priscarum hæreseon lacuna, ad imperitæ multitudinis callidam deceptionem, nostri temporis hauserunt hæretici. Quod quantum non Euangelicæ solùm veritati, sed humanæ etiam rationi aduersetur, qui animum diligenter aduertat, vel minimo negotio cognoscere valebit.

CAP. II.

Fingamus iam aliquem ex Anabaptistis cautè ab istis sciscitari, cur quatuor Christi Euangelia cum Catholica potius Ecclesia, quàm cum Ebionitis vnicum D. Matthæi recipiãt? Aut quare cum Marcionistis vnicum D. Lucæ, seu potius cum Nazaræis vnicum illud secundùm Hebræos dictum minimè venerentur? Cur non tantùm duo, Marci, & Lucæ cum alijs, repudiato Ioanne & Matthæo? Aut, si mauis, cur non tantũ tria venerentur, Ioannis Euãgelio reiecto, vt Alogos imitentur? Cur, inquam, nobis potius assentiantur, dum quatuor dumtaxat Christianæ histo-

1. Tertul. cõtra Marcio.
2. Nicepho. lib. 3. c. 13.
3. Vide Philast.
4 Epiphan. in Alogos.
5. Epiphan. in Valẽtin.
6 Concil. 2. Nicæn.

historiæ suscipiant codices; quàm aut Gnosticis, etiam illud D. Philippi, & aliorum aliquot discipulorum Euangelium, vel Manichæis, illud secundùm Thomam suscipientibus, annuant, & assimilari studeant. Hæc quæso, quæque his similia cuiuis in promptu esse possunt, si percontatus aliquis nouæ opinionis, sed antiquæ hæresis, fautores vrgeat, quonam scripto Dei verbo (quo, quicquid credendum sit, confirmari volunt) ad quæstionem dirimendam in medium prodibunt?

Verùm eis concedamus quatuor illas rotas, quas Propheta Ezechiel vidit, quatuor adumbrasse Christianæ doctrinæ Euangelia. Cui tamen Scripturæ consentaneum esse dicent, Matthæi potius Euangelium, quàm Matthiæ suscipiendum esse? Quo Argumento Lucæ & Marci Euãgelia potius, quàm illa, quæ duodecim Apostolorum, ac Petri adeò, & Pauli, Iacobi, & Bartholomæi nomine circumferebantur inscripta, admittenda esse persuadent? Numquid hęc Euangelij volumina ad vllam Scripturam, quam Hæretici solùm Ecclesiæ & Fidei certissimam regulam amplectuntur, exacta fuisse credemus? Quid ad hæc responsuri sunt? Qua declinatione tela subterfugiẽt; telorum ictus deuitabunt; Caput, ne telis cõfodiatur, quo clypeo protegent? Quis enim tam cœcus in obseruanda & contemplanda Euangelici Verbi Dei natura, origine, & propagatione vnquam fuit, qui citrà vllam Scripturam, Christianam degisse Ecclesiam, octo saltem annis, priusquam Matthæus scribere cœpisset Euangelicã historiam, non aduertat, quod Eusebius ait Cæsariensis; ne quindecim, vt Nicephorus testatur: pluresue dixerim, quod voluit Irenæus, Petro, scilicet, & Paulo in Vrbe Roma Euangelizantibus? Sed ad quam Scripturam Matthęi fuit relatum Euangelium? D. Ioannis Euangelium anno Christi sexagesimo sexto conscriptum, ad quam, obsecro, Euangelicam, & Diuinam exigebatur Scripturam? Sanè, qui non rationibus conuicti, sed in Ecclesiam inuetera-

Ezech. c. 1.

terato odio concitati cuncta Ecclesiasticæ doctrinæ dogmata ad Sacram Scripturam adducenda esse, nec aliquid credendum, aut tenendum fidelibus, quod apertis Diuinis oraculis, non quidem traditione, sed charta contentis, non comprobetur, temerè attestantur, quibus, hæc vera esse Euangelicæ doctrinæ, & Christianæ historiæ volumina, commonstrentur, scripturas nullas adducere poterũt. Quare nos rem iam à primis fundamentis educamus, & controuersiæ huius veritatem omnem ex ipsis Diuinis oraculis, priscorum Patrum doctrina, atque ab exordio nascentis Ecclesiæ, in omni ætate vnanimi fidelium consensione firmata consuetudine aperiamus.

ILlud igitur, vt hinc exordium sumamus, Paracletus ille Spiritus, cùm se Christianæ Fidei, & pietatis custodem, atque defensorem constituit, & in suam tutelam, & clientelam fideles recepit, persuasum esse voluit; non literarum monumentis, non hominum vigiliis, non solertiæ atque ingenio, sed Christi Domini beneficio fidem esse tribuendam. Cuius prouidentia vt apertius cerneretùr, cum Apostoli à Christo noui Testamenti authore edocti, cœlestem doctrinam sine vllo scripto in Orbem sparsissent, Euangelij conseruationem, non ex Scriptorum studio & diligentia, sed ex Spiritus Sancti procuratione pendere manifestò significauerunt. Verùm posteà hominum fragilitati & imbecillitati inseruientes cœlesti quidem afflatu impulsi, quamplurima, quæ sola oratione tradiderant, literis consignarunt. CAP. III.

Non tamen vlli suspicari, nedum credere fas est (quod aduersarij obtinere indefesso labore moliuntur) eo consilio Apostolos sese ad scribendum contulisse, vt vniuersam Euangelij doctrinam scriptis suis complectenrentur, aut totius Christianę Fidei summam conscriberent, sed vt historiæ rerum à Christo gestarum compendium hominibus iampridem Christiana Fide imbutis contexerẽt. Vnde verissimè à D. Chrysostomo obseruatum est, puram

ram adeò oportere hominum fuiſſe vitam, vt literarum auxilio ad veritatem diſcendam opus habuerint nihil, ſed earum loco Spiritus Sancti gratia vſi ſint, vt quemadmodum libri atramento inſcribuntur, ita hominum corda cœleſti illius vnctione delibuta, claris ſalutarium rerum notionibus depingerentur. *Oportebat quidem,* inquit ille, *nihil nos indigere auxilio literarum; ſed tam mundam in omnibus exhibere vitam, vt librorum vice gratia Spiritus Sancti vterentur: & ſicut atramento illi, ita corda noſtra inſcriberentur à Spiritu,* quibus de hac Scripturarum Sacrarum neceſſitate, qua Dei benignitas improbæ noſtræ ignauiæ, & torpidæ oſcitantiæ conſulere eſt dignata, iuſtiſſima profectò conqueſtionis verba addidit. *Quia verò,* ait, *hāc à nobis excuſſimus gratiam, age, vel ad ſecundam nauigationem animum adijciamus.* Poſtquam enim nos familiari & aſſiduo Spiritus Sancti alloquio fecimus per flagitia indignos, noſtri tamen ſtudium, atque curam, quæ ipſius eſt in nos pietas, non abiecit, ſed alteram quaſi nauiculam, qua vecti ad priſtinū ſalutis portum rediremus incolumes, nobis præparauit. *Quod* tamen, inquit, *primum illud fuerit profectò ſublimius, & ex verbis ſuis Deus, & ex operibus oſtendit. Nam & Noe & Abrahæ, eiuſque poſteris, & Iob, & Moſi, non per literas, ſed per ſemetipſum loquutus eſt: quia ſcilicet munda eorum corda repererat. Poſtquam verò omnis populus Iudæorum in vitiorum ima delapſus eſt, neceſſariò iam inde literæ dantur, ac tabulæ, & ea, quæ per has adminiſtratur, admonitio.* Sicut ergo primi illi veræ in Deum pietatis cultores, & ijdem mundi recens creati incolæ abundè ſatis de indubitata Dei voluntate, Spiritu Sancto ſua corda vnctionis ſuæ penicillo confirmāte, inſtituebantur, tantiſper dum Iudaico populo in vitiorum ſentinam delapſo ſcribebantur tabulæ, quæ Dei Legem docerent, & de pietate in Deum admonerent: ita ſanè alterius illius à Prophetis adeò prædicati Orbis, per Chriſtum inſtaurati, & renouati, cultores, atque incolæ primi non legem vllam accepere ſcriptam; verùm pro literis Spiritus Sancti

Chryſoſto. Præfat. in Matthæ.

gratia,

gratia eis vitæ dux promittebatur, vt veritatis omnis magistra. quod disertè Chrysostomus. *Et hoc* quidem, inquit, *non tantùm Veteris Testamenti Sanctis, sed etiam Noui accidisse perspicimus. Siquidem nec Apostolis scriptum aliquid tradidit Christus, sed pro literis Sancti Spiritus se illis daturum gratiam repromisit. Ille,* inquit, *docebit vos omnia.* Quorum certè temporum gloriã & vbertatem eleganti, & luculenta oratione amplificat Esaias. Nam cùm Deus plebem suam abiectam omniũq. pedibus proculcatam intueretur, quippè quam Gentes propter illius tenuitatem & imbecillitatem contemnebant, atque despiciebant, tanta miseria commotus, ei subsidio præsens occurrere statuit: vt quam Barbaræ Nationes non pluris, quàm vermiculum faciebant, is, qui Summus rerum omnium Dominus, conditor, atque moderator est, cuius nec potentia frangi, nec fides vacillare potest, inuicto præsidio tegeret, numineque suo confirmaret, &, viribus Diuinis iam stabilita omnes aduersarios suos comminueret. Sic enim inquit: *Noli timere vermis Iacob, qui mortui estis ex Israel; ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus, & Redemptor tuus Sanctus Israel. Ego posui te, quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia, triturabis montes, & comminues, & colles quasi puluerem pones. Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo disperget eos: & tu exultabis in Domino, in Sancto Israel lætaberis.* Quæ alia, oro, ab intellectu vllo creato vnquam excogitari potuit vis, quę abiectos, & omnium pedibus, tanquam vermiculos, proculcatos homines, ita corroboret, vt tribulæ nouæ comparetur, in qua sint frequentes & validi dentes inclusi, quibus montes conterat, colles editos comminuat, omnemq. hostium tyrannidem, vt comminutam aristam dispellat, nisi Spiritus Sancti inuictum robur, Christi sanguine ac meritis, animis nostris impressum, quod mentes ignorantiæ tenebris sepultas illustrat; nimia peccandi cõsuetudine inueteratas renouat: ærumnis fractas reficit; seruili metu debilitatas recreat; vniuersumque Orbem senectute languentem erigit; & singulari vir-

Ioan. c. 5.

Esai. c. 41.

ri virtute confirmat? Iam verò, qui mente aſſequi maximè cupiat, quanta illorum fuerit temporum felicitas, quibus inexhauſtis Diuini Spiritus opibus, & Chriſti Ieſu ampliſſimis beneficijs perfruebantur mortales, ad ſitus amœnitatem, & mirabilem arborum diſpoſitionem, ad ſoli vbertatem,& agrorum latitudinem,atque in vniuerſas terrarum oras diffuſam amplitudinem contemplandam,quibus,tanquam Paradiſus voluptatis, ab ipſo Deo exornanda erat Eccleſia, cum eodem Propheta animum pauliſper appellat. *Egeni* ergò, *& pauperes*, ait ille; *quærunt aquas, & non ſunt: lingua eorum ſiti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Iſrael non derelinquam eos. Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. Dabo in ſolitudinē cedrum,& ſpinam & myrtum,& lignum oliuæ:Ponam in deſerto abietem,vlmum,& buxum ſimul: vt videant, & ſciant, & recogitent, & intelligant pariter,quia manus Domini fecit hoc, & Sāctus Iſrael creauit illud.* Quas Diuini Spiritus opes, & Chriſti in humanum genus beneficia apud eundem Prophetam mirum in modum amplificat Deus,neque præteritorum temporum gloriam cum illis eſſe aliqua ex parte conferendam optimè demonſtrat. *Ecce ego*, inquit, *creo cælos nouos, & terram nouam; & non erunt in memoria priora, & non aſcendent ſuper eos. Sed gaudebitis & exultabitis vſque in ſempiternum in ijs, quæ ego creo; quia ecce ego creo Hieruſalem exultationem, & populum eius gaudium.* Cæleſti enim illa,atque admirabili vi Chriſti ſanguine mentibus hominū impreſſa, ita antiquus ille Legis, Naturęq. ſplendor obſcuratus eſt; vt nihil non recens, nihil non eximiæ cuiuſdam gloriæ atq. Diuinitatis liceat iam in Chriſti Eccleſia intueri. Hieroſolymā verò, in qua domicilium ſibi omnipotens Deus conſtituerat, vt inde vitæ,ſalutiſque documenta efflagitarent omnes, nouam à ſe fieri dicit; quia nouis erant mortales Spiritus Sancti præſidiis firmandi, vt debitum ei honorem officioſè tribuerent. *Cùm venerit*, inquiebat Chriſtus, *ille Spiritus veritatis,*

Margin notes: *Eſai.c.41.* (beside "mum pauliſper appellat"); *Eſai.c.65.* (beside "optimè demonſtrat"); *Ioan.c.16.* (beside "buerent").

tatis, docebit vos omnem veritatem. Non, quod nouas tabellas lapideas, aut libros atramento inſcriptos exhibiturus eſſet; ſed quoniam in viſceribus, & cordibus eorum Legem Diuinam erat ſcripturus. Ad hanc ergo eximiam temporum noſtrorum fœlicitatem, & Eccleſiæ dignitatem reſpiciens egregius ille nouæ legis præco Paulus ſe legem accepiſſe gloriabatur, non in tabulis, ſed in corde exaratam. *Chyſoſt. Homilia 5. in Matthæ.*

Cæterum, quia temporis lapſu quidam propter dogmata, alij propter morum improbitatem impegerunt grauiter, iteratò literis opus fuit, mutis magiſtris, quæ homines ſui admonerent officij. Ita tamen plurima literis conſignarunt Apoſtoli primi verbi Dei præcones, vt à ratione tradendi Euangelium minimè receſſerint; cùm alia etiam non parua animis inſcripta relinquenda duxerint. Adeò, vt cùm Chryſoſtomus, Theophilactus, Oecumenius, Primaſius, & plures alij ex antiquis Patribus, Pauli Epiſtolam ad Hebræos explanantes, in illud Hieremiæ vaticinium incidiſſent, quod ad veterem Legem deprimẽdam adducit Paulus, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Iuda Teſtamentum nouum. Poſt dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas*, In eo dixerint illi antiquæ legi nouam plurimum præſtare, quòd illa in tabulis, hæc verò in cordibus ſit conſignata. *Quæ eſt autem alia differentia, quàm iſta? Si autem differentiam eſſe quis dicat ſecundũ quod datur in cordibus eorum, is non iam præceptorum* (inquit Chryſoſtomus) *inducit differentiam; ſed modum dandi oſtendit. Non iam in literis erit teſtamentum, ſed in cordibus: oſtendat hoc factum quis fuiſſe aliquandò Iudæis, ſed non inueniet: Iterum in literis factum eſt poſt regreſſionem ex Babylonia: ego autem oſtendam Apoſtolos, qui nullum ſcriptum, ſed in cordibus acceperunt Spiritum Sãctum.* Et Primaſius, qui D. P. Auguſtinum Doctorem habuit, *hoc*, inquit, *quod dicit, dabo leges meas in mente eorum, & in cordibus eorum ſcribam eas, ſpecialiter ad Sanctos Apoſtolos pertinet, qui gratiam noui Teſtamenti non in tabulis lapideis, neque in membranis, ſed in mente*

Hebr. c. 8.
Hiere. c. 31.
Chryſoſt. Homil. 13 in Epi. ad Hebræ. c. 8.
Primaſ. in c. 8. Epiſt. ad Hebr.

& in cordibus suis diuinitus habuerunt exaratam. Et paulò post. *Nos autem*, inquit idem, *partim in cordibus, plenius autem in membranis scriptum habemus ab illis nobis relictum, vt in ijs meditando exerceamur*. Quorum sententia adeò est. D. Ioannis Apostoli testimonio firmata, & omni ex parte munita: vt nullus iam aduersarijs dubitādi relinquatur locus. Ait enim: *Charissimi, non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio*, ab ipsis scilicet Naturæ incunabulis. Si enim priscorum temporum gesta, si viuendi normam Patriarcharum, ac Prophetarum instituta attentis animis perpendamus, & cum nostris diligenter conferamus, ipsa sane luce manifestius innotescet, eam, quam veteres olim obseruarunt, & quam illi, qui lege carent (vt inquit Paulus) in cordibus inscriptam habent, legem, à Christo maxima ex parte traditam fuisse: Priscorum verò, & clarissimorum virorum, Abrahami, Isaaci, Iacobi, Iosephi, & cæterorum, quos tantis Obedientiæ, Fidei, Castitatis, Patientiæque nominibus perillustres Sacra Scriptura commemorat, vt tantis virtutum luminibus illucerent, vegetantem illum Spiritum, qui sub nouo Testamento Ecclesiæ familiaris exstitit, animis insedisse. Vnde non ideò fœdus hoc ab Hieremia nouum dicitur, nec à Christo Domino mandatum nouum nuncupatur, quòd præcepta in illo, ab ipso consignata, nuper allata fuerint; sed quia vetera, noua ab eo collata ratione, explicata, & instituta, & nouo quodam & admirabili modo fidelium animis sint insculpta.

1. Ioan. c. 2.

Rom. c. 2.

Sed et nouum fœdus dicitur: quia constans, firmum, perpetuumque sit futurum. Etenim pactum illud, quod olim inter Deum, & Iudæorum populum institutum fuit (quamuis vituli cæsi, ac diuisi partes transiuissent, & sibi defectionem, si fœdus vnquam violarent, imprecati essent) sceleribus suis filij Israelis sæpè irritum fecerunt, & veluti pedibus calcarunt. Quibus Dominus apud Hieremiam acerbam punitionem, & supplicium dirum minabatur.

batur. *Dabo viros*, inquiebat, *qui præuaricantur fœdus meum, & non obseruauerunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo: vitulum, quem consciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius*, hoc est, quando vitulum consciderunt (quod vt fœderis icti firmitudinem & perpetuitatem demonstrarent, in more olim positum fuit) & inter partes vituli trāsierunt, *Principes Iuda, & Principes Hierusalem, Eunuchi, & Sacerdotes, & omnis populus terræ, qui transierunt inter diuisiones vituli, & dabo eos in manus inimicorum suorum.* Verùm cùm tanta Diuini amoris vis fuerit, vt ex grauissimorum scelerum pelago (in quod propter generosam animi sui magnitudinem, tanquam equus effrenatus, nimium sibi, suisque viribus præfidens, extrà rectam viam impetu agitatus, frena etiam acriter præmordens, procliuius sese præcipitauerat) hominem potuerit educere, & nouis gratiæ dotibus, noua quadam, & eximia pulchritudine, & noui fœderis ineundi ratione exornandum duxerit: Huius profectò, cum hominibus noui fęderis feriendi perpetuitatem non humanæ fidei, non mortalium promissionibus (quorum genij ingenijque esse pacta rescindere sua gesta testabantur) sed verbo suo, quod nunquā excidit, futurorum præscius Deus concredidit. Hoc verò cū Abrahamo fędus & pactum initum firmare properans non obscurè certè indicauit. Illi namque præceperat, vt capram trimam, arietemque eiusdem ætatis, turturem quoque & columbam sumeret, & cuncta hæc animalia media scinderet, ac eorum partes sibi aduersas collocaret. *Cùm ergò occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa. Et apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas. In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham, dicens; semini tuo dabo terram hanc.* Non quidem Abrahamus, qui, homo cùm esset, fidem poterat violare, sed Deus ipse, qui dictis, & promissionibus suis stare nunquam non potest, inter animalium diuisiones sub caligine transiuit. Quòd si Deus in caligine inter diuisas animalium occisorum partes pertransiens fœdus pepigit Gen. c. 15.

git cum Abrahamo, quod firmum, constans, & æternum nequiret non esse: quippe cuius stabilitas non humanis, sed Diuinis promissionibus nitebatur, fœdus hoc nouum & admirabile, quod non hostiarum cruore, sed Christi Iesu sanguine, qui seipsum pro omnium nostrum salute hostiam immolauit, initiari, & firmari voluit, qua constantia, qua firmitudine, qua denique perpetuitate stabilitum esse credendum est? An non iure optimo nouum fędus illud dicitur, ad quod ineundum & firmandum non humana, vt olim, spectatur promissio, nec hostiarum cædes præcipiuntur, nec hominum est, victimarum diuisas partes transire, & veterum ritum obseruare, sed Deo ex summi sui amoris imperio (qui gloriosum tũc de eo triumphum reportauit) sub caligine inter vulnera Christi filij sui mirabili quodam modo latenti, & tanquam lampadi igneæ transeunti incumbebat, illud ea ratione instituere, vt violari nunquam posset? Sanè quemadmodum inter Deum & Israeliticum populum vetus illud fœdus hostiarum cruore stabilitum est; ita nouum hoc (cuius ratio, vt in admirationem magnam homines adducantur, quasi iure suo postulat) non nisi Christi sanguine, qui Sacerdos secundùm ordinem Melchisedechis constitutus, verè seipsum hostiam obtulit immolandam Deo Patri, firmandũ fuit; cuius quidem ratio primis temporibus, non ita omnibus nota, & explicata erat; quamuis singulari Dei beneficio apud nonnullos (qui agnum à mundi origine occisum fide intuebantur, in quem & omnes vitæ suæ rationes referebant) eadem, quæ nobis Christi merito, & gratia concessa est, mentium nouitas viguisset. In eo enim summæ ipsius bonitatis, & munificentiæ splendor maximè emicuit; quòd quantis gratiæ opibus homines exornaturus esset in illis mirificè declarauit, *qui iuxtà fidem defuncti sunt, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes: quia peregrini & hospites sunt super terram.* Ab eius enim in carne aduentu quamuis longissimè

Hebr.c. 11.

dista-

diſtarent, firma tamen ſpe complectebantur, quam Fidei fuerant beneficio ſalutem aſſequuti; *de qua exquæſierunt* (inquit Petrus) *atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in nobis gratia prophetauerunt, ſcrutantes, in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti prænuncians eas, quæ in Chriſto ſunt, paſſiones, & poſteriores glorias.* Poſtquam tamen ex Chriſti Domini pectore ſummi amoris pleno, tanquam ex puriſſimo fonte, in plures, abundantia gratiæ, riuulos diuiſo, ſanguis emanauit, & in terram ſparſus hominum animis inauditam gratiæ fœcunditatem attulit, & cæleſtes opes, quas ex peculiari beneficio ſub veteri Teſtamento degentes Patres conſequuti fuerant, communes & quodammodò vulgares effecit; nouum cum mortalibus fœdus, teſte Eſaia, iniuit, illi cum filiis Iſraelis quondam icto, & grauiſſimis ipſorum ſceleribus reſciſſo, valdè diſſimile. Quod quia ea lege, & conditione conſtitutum fuit, vt longè latèque diffuſum, conſtans eſſet, & ſempiternum, neque frangi vnquam poſſet, meritò profectò, & iure optimo nouum fędus appellatum eſt. *Hoc*, ait Eſaias Propheta, *fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui in te eſt, verba mea, quæ poſui in ore tuo non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui à modo & vſque in ſempiternum.* Quonam autem pacto fœdus hoc cum hominibus ineundum, tanta ſtabilitate firmandum, tanto robore muniendum, tam altis radicibus figendum eſſet, vt nulla vi frangi euelliue poſſet, quin in ſempiternum duraret, apud Hieremiam explicauit idem Dominus, *Dabo*, inquit, *legem meam in viſceribus eorum, & in corde illorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum, & non docebit vir vltrà proximum ſuum, dicens: Cognoſce Dominum: omnes enim* (qui ſcilicet ad gratiam noui Teſtamenti acciti ſunt) *cognoſcent me à minimo eorum vſque ad maximum.* Admirabilis enim ille ſapientiæ Spiritus, qui micante quodam & cœleſti lumine, virtute ſua hominum mentes colluſtrat, ita mortalium animos erudiendos per ſe ipſum ſuſcepit, vt quamuis

Epiſt. 1. P. cap. 2.

Hiere. c. 31.

uis plurimi, atque præstantissimi sint Euangelij præcones, & arcanorum Sacramentorum interpretes, qui multis viis ad pietatem homines adducant, & ad veram Religionem, atque veri Dei cultum prouocent, ipse tamen præcipuus atque peculiaris sit mortalium institutor; idq. ex vi & conditione icti fœderis cum illis, qui veri forent Israelitæ. Adeò, vt nullus ita hebeti ingenio reperiatur, qui non, quæ ab Ecclesiæ ministris traduntur, ab Spiritu veritatis intus in animo insculpi manifestè cognoscat.

Cùm ergò Paracletus ille Spiritus, Christianæ Fidei, & pietatis custodem & defensorem se constituerit, nec literarum subsidijs, sed vitali suo rori illam adscribēdam esse cunctis persuasum, notumque esse voluerit; quid agūt? quid tentant? quid contrà moliuntur aduersarij? linguam tandem coerceant maleuoli isti, & scelesti homines, atque obmutescant, iuri suo, (quod nullum est) vltrò cedāt, & Ecclesiæ dignitatem ac Traditionum pōdus authoritate Spiritus Sancti munitum stabilitumq. nobiscum agnoscant, & venerentur, ac pro dignitate extollant & amplificent. Quod si aliquādò fecerint, quemadmodum Arianos olim, cùm vocem homousion, quòd in Scripturis nusquam reperiētur, reijcerent, Athanasius, & qui partes eius tuebantur, Episcopi Catholici, Patrum testimonio, qui hanc ab Apostolis acceperant doctrinam, prudenter confutarunt; Et Hieronymus Eluidium Christi Domini Matris Mariæ perpetuam virginitatem impugnantem; & Donatistas paruulorum Baptismum negantes Ecclesiæ Traditionibus Augustinus refellit; sic sanè huius nostræ ætatis hæretici, si paulisper animum aduertant, antiquis Ecclesiæ Traditionibus (quas meritò prisci Patres magni semper fecerunt) à nobis iure optimo se refelli, & quā longissimè exterminari non poterunt non videre. Iustinus autem, Origenes, Tertullianus, Athanasius, Basilius, Hieronymus, Augustinus, omnes denique Patres apertè docent multa, quæ neque in literis Apostolorum, neque

in po-

in posterorum Conciliis contenta reperiuntur, non nisi ab ipsis Apostolis tradita, & commendata credi oportere, vel eo solùm, quòd per vniuersam seruantur Ecclesiã.

IAm quidem vel hac breuissima oratione, si ad Catholicos duntaxat noster hic dirigeretur sermo, planum fecisse existimarem, nõ minus virium Traditionibus Apostolicis, quàm Diuinis Scripturis ad veritatem confirmãdam inesse; atque ita causam vicisse mihi persuaderem. Verùm ne viris inani argutia, & superbo iudicio elatis, qui sese nobis aduersarios constituerunt, sermonis breuitate iniuriam intulisse videar, quasi vnica tantùm ratione silentium illis imposuerim, pluribus eos confutare, & quod vniuersali quodam sermone properatum nunc nunc penè absolueram opusculum, pleniore iam oratione perficere operæ pretium erit. Quid enim? Si Maiorum inuestigabimus antiquitatem, & vetera memoria recolamus, nonnè eos cõfutare, & cum maximo dedecore procul à finibus nostris expellere poterimus? Ita sane. Nam qui veram Ecclesiæ rationem tenet, vim eius, & conditionem, recta in Deum fide contineri ita necesse est agnoscat, vt non aliter Fidei sanctitas, atque Ecclesiæ vocabulum, tam illi, quæ præteritis seculis exstitit, quàm huic, cuius sinu nunc fouemur, & cuius lacte nutrimur, compe tat. Iam verò, qui Ecclesiam ab exordio mundi (ab humani generis primo parente sumpto principio) contemplabitur, per omnes, qui vbique fidem & pietatem vnius veri Dei coluerunt, continuatam ad nos vnam, atq. eandem peruenisse reperiet. Hanc autem & Catholicam dici videbit, tam, quia per omnes, quotquot fuerunt ætates, & Nationes, atque Prouincias, & Regiones sese (vt suo loco, sicuti res tulit demonstrauimus) vna semper, eademque diffudit; quàm quia pari Fidei integritate perpetuò exhornata fuit, quamuis maioribus indies incrementis aucta, luminibusque illustrata, longè alia à se ipsa visa fuerit. Hanc etiam Christi maximè fuisse antequam hu

CAP. IV.

In lib de vera Christ. Eccles.

manam naturam ſibi copulaſset, ea ratione tradidimus; quia omnium extitit piorum vertex, finis, atque fundamentum; omneſque inter ſeſe illi eodem fuerunt angulari lapide colligati, per eundem Saluatorem à dæmonis tyrannide liberati, eodemque vitali ſpiritu excitati. Quare ſi quid vetus Synagoga (quæ vera fuit olim Eccleſia Dei) vbique & ſemper per Traditionem in myſteriis habuit; non minori id illa pietate & fide proſequi debuit, quàm ſi ſacris eſset literis contentum. Nec enim vnquam de Dei Eccleſia citrà impietatem ſuſpicari fas, nedum credi æquum fuit illam, quæ errorum nebula & caligine obuoluta erant, pro liquidis propoſuiſse, dubia pro indubitatis habuiſse, profana pro ſacris veneratam fuiſse: falſa pro veris, commentitia pro Fidei myſterijs coluiſſe, & ſumma Maiorum conſenſione credidiſse, cùm Spiritum Sanctum Patronum, Directorem, & Magiſtrum ſemper habuerit ab infantia, & pueritia ſua, hoc eſt ſub Naturæ lege conſtituta, ad adoleſcentiam vſque (tantiſper enim ſcripta lege recepta adoleuit) inde ad Chriſtū, cuius ſanguine irrigata, cuius doctrina inſtructa, longè lateque diffuſa, eximia quadam pulchritudine decorata, ad perfectionem peruenit, atque eius chariſſima ſponſa facta eſt. Hæretici igitur (iam animum aduertere maximè opus eſt) qui dicunt Dei populum in omni ætate, ea tantùm, quæ Diuinis Literis continentur, non autem pleraq. alia Fidei & Religionis dogmata à Patribus tradita, ac diuinitus quidem accepta, firma, certa, & indubitata amplexatum fuiſse, ſe Diuinarum Traditionum antiquitatem, & authoritatem non æqua lance perpendiſse, ſed inueterato odio proſequutos fuiſse Eccleſiæ dignitatem manifeſtè ſignificant, & proprio ore ſacrilegi animi ſui impietatem produnt.

Cùm enim populus ſub lege Naturæ erat, nō ad Sacra volumina, quæ tunc minimè exſtabant, ſe conferebat, vt quæ ad Fidem & Religionem ſpectarent, perſpicuè cogno-

gnoſceret; ſed ad eam, quam commendarat antiquitas, conſuetudinem recurrebat. Quocirca ſtatus ille Naturæ appellabatur; quia non ſcripto contenta, ſed fidelium cordibus inſita erant, quæ ad Fidem & Dei cultum maximè attinebant; idque, vt Scholaſtici loquuntur, per modũ Naturæ. In quibus non immeritò primum illud potiſſimumque computabimus, quod ad Hebræos Paulus ſcribens baſim dicit, & fundamentum totius iuſtificationis nempe, accedentem ad Deum oportere credere, eum eſſe, & inquirentibus ſe remuneratorem exiſtere. Quo loco *Hebr. c. 11.* Sacroſanctæ Trinitatis, & miræ & ſingularis vnionis humanæ naturæ cum verbo Diuino myſterium neceſſariò credendum, etſi non æquè omnibus (vt ſuprà inculcauimus) ex eo maximè conſtare poteſt, quòd fœdata generis humani maſſa execrabili illo primi parentis peccato, naturæ neceſſitate in poſteros traducto, nulli vnquam niſi per Fidem Chriſti mediatoris ad iuſtificationem patuit via; quæ & eiuſdem ſceleris, & peccati Originalis cognitionem neceſſariò exigebat. Qui enim fieri potuiſſet, vt ij, quos filiorum maxima miſeria latebat, eoſdem à miſeria liberaſſent, ſi vindicandi eos cura & ſolicitudine nullo modo premebantur? Quomodo expiandi liberos, quos genuerant, ſtudium illos incẽdiſſet? Qua pietate paternis commotis viſceribus, pro eis ſacrificiũ obtuliſſent; quos miſeros penitus ignorabant? Hæc ergò ſi cognoſcere opus erat, quæ nulla lege ſcripta cõtinebantur, diuinis profectò Traditionibus firmata fuiſſe cunctis fatendũ eſt. Nec ego inficior, inficiaborue vnquam, ſuggerẽte Spiritu Sãcto, & mentes interius illuſtrãte hæc nonnullis innoteſcere quidẽ potuiſſe: Patriarchas enim & populi Magnates citrà omnem perſuaſionem externã docuit Deus, vt ſibi placuit, tam naturæ ſuæ ſimplicitatem, quàm myſteria quædam diuina, quæ aliis incognita eſſe voluit. At cùm mortalium conditionem, quam idem Dominus euertere, aut prorſus immutare noluit, ſpectamus, ad prouidentiæ

diuinæ ordinem attinere, quis non videt, vt non quotquot lege Naturæ obstricti tenebantur, interius edocerentur; sed sensuum ministerio æternam istam & sacram compararent doctrinam? Quibus adde citrà maximam Protoplasti iniuriam, quam primis parentibus inferre, impiũ scelus esse ducimus, in dubium reuocari non posse, an ille filios suos, quos diuinitus instructus optimè noueràt, naturæ necessitate, sceleris maculam, qua totam generis humani propaginẽ infecerat, origine cõtraxisse, nec illam aliter, quàm per Fidem Christi, qui est agnus ille ab origine mundi occisus, abolendam fuisse, culpam, & certissimum illius remedium docuerit. Qui si à parente suo apprimè edocti, vtriusq. cognitionem compararunt (vt comparasse certissimè tenendum est) similiter ab illis posteros instructos, atque hanc peccati Originalis cognitionem, & Christi intercessoris, & supernorum mysteriorum ad salutem conducentium notitiam, non scripto, sed traditione à reliqua posteritate receptam, asseruatamque fuisse omnes fateri oportet. Si verò rationem, quam expiandi à peccato Originali infantes, cùm fœminas, tùm masculos dies octo nondum natos, tradiderat antiquitas, diligenter expendamus, cùm nulla ea de re sacrificia, cæremoniæ nullæ in lege decretæ fuissent, ad veterum morem, atque sententiam, quæ non, nisi traditione constare poterat, recurrendum necessariò fuisse quis ambigit? Nec tamen, si hoc diligentius accuratiusq. considerèmus, certum vllum exstitisse Religionis signum, quo infantes vtriusque sexus ante Abrahami ætatem à peccato originis mundarentur, apud priscos illos reperiemus. Quod verò à quibusdam vsurpatum fuit, id singulari magis Religionis studio, quàm necessitate inuentum videtur. Nam cùm mortales vel Natura duce acceptam prolem Deo referre, atque pro singulari illo in se collato beneficio gratias agere teneantur; summa profectò eiusdem Numinis clementia factum est, vt ea fide, atque

Soto. in 4. d. 2. q. 1. art. 4. solut. 2. arg. iuxtà mentẽ S. Tho. in 4. d. 1. q. 2. art. 6. quæstiũcula 2.

atque pietate, qua sibi Deo Optimo Max. cunctorum Domino, bonorumque omnium largitori clementissimo à parentibus efferebantur, infantes ad iustitiam peruenerint: cùm idem apud veteres parẽtum fidem, quod apud nos Baptismi aquam, vt asserit Diuus Gregorius, valuisse certum sit. Quid enim aliud de munificentia Dei mortalibus sperandum fuit, quàm eum, qui ad iustitiam & cælestem vitam aditum omnibus patere voluit, præstantissimum & maximè eximium remedium peccati, & sceleris illius (in cuius expiatione animorum salus, & vita, sita & collocata semper fuit) in ea Fide, quam non vtilem tantùm, sed hominibus cunctis prorsus necessariam cum Paulo docuimus, & in egregiis ipsius Naturæ impulsionibus collocasse? Nec me latet Augustinum Theologorum omnium facilè Principem (quem & Patrem & Doctorem nunquam pœnitendum mihi contigisse gaudeo, & de eo gratias sempiterno Parenti ingentes ago) contrà Iulianum, minimè credendum, dixisse, etiam ante datum & præceptum Circumcisionis signum, famulos Dei, quandoquidem sibi inerat Mediatoris nostri fides in carne venturi, nullo eius Sacramento infantibus suis opitulatos fuisse: quamuis, quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluisset. Non enim cærimonias externas ad infantium iustificationem necessarias, sed ritum illum, siue mente ipsa inclusum, siue qui sensu percipi potuisset, intellexit, quo à parentibus singulari Fidei & Religionis officio filij Deo offerebantur: aptissimè quidem Sacramẽtum ex eo dictum, quod Sacramenti erat vi atque virtute præditus.

Grego. li 4. moral. c. 2.

Augu. cont. Iulian. li. 5. cap. 9.

Iam verò, quemadmodum à sanctissimo Abrahamo, quod sibi & posteritati suæ Circumcisionis signum acceperat filios edoctos fuisse ratio ipsa demonstrat; à quibus & tota posteritas instructa fuit, quamdiu per Mosen lex scripta non exstitit; vnde & Christus Dominus Circumcisionem non ex Lege Mosis, sed à Patribus fuisse dixit: sic

ſic profectò, (vt pleraque alia omittamus) quicunque extremi Iudicij notitiam per Traditionem ea tempeſtate acceptam negabit, rem, ſuo quaſi iure, nullo modò probabilem, ſibi aſſumet: cùm Iudas Apoſtolus Epiſtola ſua Canonica iuſtum Henoch poſtremum Iudicij diem prędixiſſe apertiſſimè narrauerit. Si igitur hoc, vt vtile, ita prorſus ad ſalutem neceſſarium Fidei dogma nō ſcriptis contentum, ſed à Patribus acceptum priſci illi fideliter conſeruabant: Si illam Fidei parentum applicationem, (ſic liceat dicere) quod in filios beneficium, cùm Naturæ ductu, tùm ſingulari Dei munere conferebant, non minoris extitiſſe virtutis ad expiationem peccati Originalis, quàm Circumciſionem, non verbo ſcripto, ſed Traditione, tot anteactis ſeculis obſeruata, cognitum fuit: quæ tanta hæreticorum dementia? quæ temeritas? quod inueteratum odium? Quæ canum rabies, qua Diuinas Traditiones inuidiosè rodere, inſolenter carpere, & temerè inceſſere nunquam deſiſtunt? Si non aliter cæleſtis Spiritus Traditionibus, quam Sacris Voluminibus ad Fidem ſartam, tectamque conſeruandam vtitur; quæ tanta hominum iſtorum audacia, vt pleraque Sacris Literis contraria illis contineri inconſultè & temerè, iactare non vereantur? Si non minor Spiritus Sancti procurationis vis in his, ac in illis perpetuò eluxit: quæ tam effrenata aduerſariorum loquacitas, vt Phariſæorum nobis inſaniam obijciant (qui multa ad auaritiam alendam diuinis oraculis repugnantia impudentiſſimè tradebant) cùm & Catholica Euangelica Doctrina, & Catholici omnes ab opinionibus Sacræ Paginæ aduerſis non minus, quàm à Sathanæ commentis abhorreant, & eas piorum omnium aures execrentur, & Traditionum nomine indignas eſſe cenſeant? Nihil igitur nos, qui Spiritum Sanctum ſecum pugnare poſſe nullo modo, vel ſi ad inſaniam redigamur, arbitrabimur, ſumma Maiorum conſenſione traditum eſſe confirmamus, quod Diuinis Scripturis vel minima ex

Canon. epiſ. Iud. Apoſt.

parte

parte aduersetur; quamuis multa, quæ Sacris Literis non sunt contenta, Traditione accepta colimus, atque veneramur, & non soli Dei verbo scripto (quod in ijs libris cõtinetur, quos Canonicos vocamus) vt hæretici, sed omni & soli Dei verbo fidem deberi profitemur; siue scriptum illud sit, siue Traditione acceptum, & fideli vnanimique Ecclesiæ consensione seruatum. Hæc Fides illa est, quæ fidelium nomine nos dignos efficit, hæc, cui falsum inesse non potest. Hac sententia nihil verius, nihil homine Christiano dignius dici potest, Dominus enim Deus non solũ verax est; sed ipsa potius veritas: omnis autem homo mendax. Quare soli & omni verbo Dei, qui fallere, vel mentiri nescit, fidem eam debemus, quæ Catholica vocatur: vt non dubitanter illud verum esse, nec ei subesse falsi quicquam credamus, quod à Deo, qui veritas est, proficiscitur.

Cæterum, qui hoc solum Dei verbũ esse putant, quod in ijs libris, quos Canonicos dicimus, scriptum est, nihil, quod magis sit à veritate alienum, dici posse certò sciant: nisi forte aut inficiari velint, aut potius nescire fateantur, multis ante seculis Dei verbum fuisse, quàm vlla, non modò, sacra, verùm etiam, vt quibusdam placet, profana fuit scriptura. Primus enim, qui Dei verbum literis mandauit, Moses fuisse creditur: quem primum literas inuenisse, nec ante ipsum vllum earum vsum exstitisse, Ethnicorum etiam testimonio probare conatur Eusebius. Inter Mosem autẽ, & primum hominẽ conditum intercesserunt anni, forte, suprà duo millia; quo tempore præter Naturæ Legem nulla alia exstitit lex; cùm scripta, à Mose; à Christo, Lex gratiæ exordium sumpserit. Iam quis tot ante seculis, quàm natus fuit Moses, à quo primo illud est literarum monumentis consignatum, Dei verbum fuisse negabit? Quis verbum illud, quod Dominus Deus locutus est Adamo, Abeli, Setho, Enocho, Noæ, Abrahæ, & Melchisedechi, quod etiam pluribus aliis sanctisimis viris & Patriarchis notum fecit, sola traditione ad posteros

Euseb. lib. 9. c. 4. & li. 10. c. 3. præparationis Euangelicæ.

ros

ros peruenisse inficias ibit? Aduertant, amabo, si qui sunt, qui proteruo adhuc impetu, & insano furore in Sacras feruntur Traditiones; diligenterque perpendant, quæ Moses Dominum dixisse testetur, *Scio*, inquit Deus, *quod* Abraham *præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iustitiam*. Cuius obsecro doctrinæ hoc loco mentio facta est? Scriptæne? Minimè quidem. Traditæne igitur (iam à longo tempore in Sacras Traditiones conceptum deponant odium) doctrinæ meminit? Quis de hoc dubitat? Si ergò duobus annorum millibus, aut eò amplius, antequam sacer Moses scribere cœpisset, veri Dei cultum, Religionemque Traditione commendatam, ac conseruatam fuisse hinc liquidò apparet; & verbum profectò non scriptum (de quo nobis quæstio orta est) Dei verbum esse apertè constat: quod inde etiam tempestate illa qua Naturæ Lege homines in officio contineri, & à vero aberrantes ad viam reduci veritatis tantùm poterant, valde necessarium fuisse colligimus, plenius adhuc & perfectius in cæteris Ecclesiæ ætatibus id ipsum ostensuri.

Gen. c. 18.

CAP. V.

AD legem ergò scriptam vt deueniam, vellem equidem vt aduersarij, qui in Traditiones Diuinas insultant, me docerent, quo scripto Dei verbo à Mose Legem traditam non humanum inuentum, sed ab ipso Deo summo Legislatore acceptam demonstrare possent: aut quinq. illos libros, in quibus illa tota continetur sigillatim explicata, eos esse, quos absque dubio ipse sacer Moses prophetico spiritu conscripsit. Hoc autem cùm præstare nequeant, Maiorum Traditionem nos illis exhibemus, qua hæc & ad Fidem & ad Religionem spectantia Israeliticus populus agnouit; necnon inter potissima Religionis capita æquo iure computanda censuit, multaque alia certissima fide tenuit, quæ non adeò perspicuè & manifestè in ipsis scripturis continebantur. Quinimò, vt D. Hilarius, & Origenes inquiunt, multi Hebræorum doctissimi viri

Hilar. super Psal. 2. Orig. hom. 5. super Num.

cius

eius fuerunt ſententiæ, vt exiſtimauerint à Deo Moſem non legem ſolùm, ſed arcanam & reconditam ipſius expoſitionem accepiſſe, illam, vt vniuerſo populo traderet, hanc verò, vt ſoli Ioſuæ fideli ſibi miniſtro conſeruandã, & Primoribus Sacerdotum cuſtodiẽdam aperiret. Quod Eſdras apertiſſimè ſignificauit; cùm Dominum ſibi dixiſſe refert, à ſe Moſem, quẽ ex rubo alloquutus fuerat, cùm populus Iſraelis ſeruiebat Aegyptiis, in monte Syna multis diebus detentum fuiſſe, ſeq. ei mirabilia multa enarraſſe, arcana, & recondita temporum myſteria, & abſcondita ſacramenta aperuiſſe: quorum quædam vniuerſo populo fideliter annuncianda, quædam tamen fideliſsimè ſub ſecreti ſigillo retinenda erant. *Hæc enim* (inquit Dominus apud Eſdram) *palam facies verba, & hæc abſcondes. Et nunc tibi dico; ſigna, quæ demonſtraui, & ſomnia, quæ vidiſti, & interpretationes, quas tu vidiſti, in corde tuo repone ea.* Et inferius cum eodem Eſdra de inſtauratione Legis agens; *Et tunc,* inquit, *perfectis quædam palàm facies, quædam ſapientibus abſconsè trades.* Huc ſpectare videntur, quæ filij Iſraelis admirabundi dicebant: *Vbi ſunt mirabilia, quæ narrauerunt nobis Patres noſtri?* & quæ Pſalmographus Propheta, *Deus,* ait, *auribus noſtris audiuimus, Patres noſtri annunciauerunt nobis.* & alibi. *Quanta mãdauit Patribus noſtris, nota facere ea filijs ſuis?* Eapropter & Euſebius ex Anatholio refert, ſeptuaginta Interpretes Regi Ptolomæo multa ex Traditionibus aperuiſſe Legis arcana; & abſcondita Sacramenta Moſaicis ſcriptis contenta explicaſſe. Nec D. Ambroſius aliter ſenſiſſe videtur, qui tradit ſapientiſsimos Hebręorum ſecretiorem, & diuiniorem quandam (ſic dicere fas ſit) legis mentem ex Maiorum traditionibus accepiſſe; quibus cæleſtem ſpiritum ad Fidei conſeruationem, non aliter ac voluminibus ſacris vſum fuiſſe, nec minorem in illis, quam in his conſeruandis Prouidentiæ Diuinæ virtutem & patrocinium eluxiſſe, vel ex eo liquidò conſtabit, quòd, quemadmodum non humanæ, ſed Diuinæ Prouidẽtiæ (cuius eſt Scripturæ

Li. 4. Eſdræ. c. 14.

Iudicum. c. 6

Pſalm 43.

Pſal. 77.

Li. 7 Eccleſ. Hiſtor. cap. vltimo.

D. Ambroſ. Epiſt. 72.

Sacræ, ſicut & Fidei rationem & integritatem illæſam conſeruare) adſcribendum eſt, quòd nec populi Iſraelitici exilia, clades, & cœdes, nec hæreticorum, qui Eccleſiam Dei diu vexarunt, funeſtum inueteratumque in Sacram Paginam odium atque inuidia ſacros libros corrũpere potuerint; ſic ſanè qui mente fideliter recolet dirum illud bellum, quod Fidei Catholicæ Simon Magus, Marcion, Manichæus, Petrus Adelhardus, Ioannes VVicleff, hæreſeos tandem dux & præfectus impius Lutherus, quique eorum ſequuti ſunt veſtigia, Caluinus, Brentius, Petrus Martyr, & plures alij huius factionis homines (ſi homines, non monſtra appellari debent) intulerunt, nunc perperàm Sacram Paginam interpretando, nunc Sacras Traditiones irridendo, vt falſi dogmatis doctrinam obtruderent, nec tamen illos omnibus appoſitis machinis, tot fraudibus, tot ſtratagematibus, tanta induſtria, tanto ſtudio, toties tandem adhibito indefeſſo labore, quicquã paucis deluſis profeciſſe contrà Fidei arcana hominum memoria commendata, quin incorrupta ſemper, caſtaq. cuſtodita ſint; Diuinæ quidem procurationi, non humano ingenio id tribuendũ, cùm dixerit, eandem Dei prouidentiam, quæ in Sacris Voluminibus aſſeruandis vſque adeò enitet, in tutela & defenſione Sacrarum Traditionum elucere fateatur, neceſſe eſt, aliumque præter ſolam Scripturam Chriſtianæ Fidei canonem, atque regulam meritò ſemper, & Latinos, & Græcos Theologos veneratos fuiſſe.

Quis ergò Sacram Traditionum regulam diuina æternæ Prouidentiæ protectione munitam eſſe inficiabitur, quam incorruptam ſemper & inuiolatam antiquitas agnouit? Quis Sacrarum Traditionum Canonem non vtilem tantùm, ſed etiam neceſſarium non proclamabit, quo, veluti Lydio lapillo aurum, ſic dogmatum, & librorum Catholicæ Eccleſiæ germana veritas eſt exploranda, vniuerſa verò adulterina, atque commentitia, adulterij, men-

mendaciique sui conuicta reprobanda? Age verò, quicunque ille sit, qui pleniorem nostri huius axiomatis demonstrationem desiderabit paulisper nos audiat. Quod si fecerit, & ab opinione non destiterit, id eius temeritati adscribendum iudicabimus. Nec tamen mirabimur, si palato non sano cibus sit amarus, qui sano est suauis: cùm & ægris oculis lux sit odiosa, quæ sanis est charissima.

Cùm, omni dubio procul, iustissimis de causis, tã Græcis, quàm Latinis Theologis omnibus Apostolica doctrina, siue Ecclesiastica Traditio semper fuerit credita; qua eam perpetuò ratione, non solùm in agnoscendis genuinis Ecclesiæ nostræ dogmatibus, sed etiam illis libris, quos Canonicos & Sacros agnoscimus & veneramur, ab ipsis statim nostri Christianismi incunabulis semper adhibuerit Christiana Respub. in mediũ proferamus. Quod vel tunc dilucidius præstabimus, cùm Sacrorum Vatum scrutabimur sententias, non omnium quidem, ne lõgius, quàm fas sit, nostrum protrahamus sermonem, sed vnius Dauidis, qui nobis erit instar omnium.

Quid est precor, quod Regius Psaltes Iudæos præmonere tanto studio, & diligentia desiderabat, cùm, vt se attentis animis audirent, cunctis suadere studuit, dicens; *Attendite popule meus legem meam; inclinate aurẽ vestram in verba oris mei, aperiam in Parabolis os meum; loquar propositiones* (seu Problemata, sic enim LXX vertunt) *ab initio*: Hoc est: *Eructabo abscondita à primordio mundi*; vt est apud Matthæum; Quæ, inquam, mirabilia annunciare cunctis properat Dauid? Sane, quæ abscondita nimis atque occulta Christus populo Israelitico eloquuturus, & fideliter annunciaturus erat. Quid? dum inquit; *Annunciabitur Domino generatio ventura, & annunciabunt iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit Dominus*: & rursus, dum inquit: *Quanta mandauit Patribus nostris nota facere ea filijs suis, vt cognoscat generatio altera; & filij, qui nascentur, narrabunt ea filijs suis*; an non, quod euentus comprobauit, ostendit fore, vt Christus Dominus nouus Le-

Psal. 77. *Matth. c. 13* *Psal. 21.* *Psal. 77.*

gislator, nouum populum ſuum recenti Euangelica doctrina informaturus, eam viuæ vocis oraculo proponeret, atque cunctis obſeruandam promulgaret; vt omnes in Deo ſperarent, memoreſque illius beneficiorum, quæ plurima contulerat, mandata officioſè obſeruarent, atque ſedulò imperata facerent? Hoc profectò ipſa etiam meridiana luce clarius apparet. Vndè Chriſtianus populus de noua Chriſti lege admirabundus; ita loquens inducitur: *Quanta audiuimus, & cognouimus ea, & patres noſtri narrauerunt nobis.* Apoſtoli enim, qui ſoli inter omnes mortales Euangelicæ Fidei teſtes à Deo electi fuerant, quæ à Legislatore noſtro viua voce edocti didicerant, & ipſi viua voce nobis ſic tradiderunt, vt *non ſit occulta à filijs eorum in generatione altera.* Ideſt, eorum poſteros ea ipſa Fidei dogmata, nequaquam latuerunt: quippè quæ non vni tantùm vt cæteris traderentur, ſed concionatoribus multis concredita ſunt. *Dominus*, enim (inquit idem vates) *dabit verbum*

Pſal. 68. *Euangelizantibus virtute multa;* ſeu cum magno quodam præconum numero (vt ſermonis Hebraici peritiſſimi quique exponendum liberè fatebuntur: ſic enim, ſi rectè legas, habet textus Hebraicus: אֲדֹנָי יִתֶּן אֹמֶר הַמְבַשְּׂרוֹת צָבָא רָב ׃ quæ, verbũ ex verbo, ſic vertit Arias Montanus: *Dominus dabit ſermonẽ: annunciatricum exercitus multus.* Quorum omnium Principibus Apoſtolis, ea, quæ rudi populorũ turbæ obſcurè in parabolis, & ſub velamine quodam proponebat, peculiari, & priuata inſtitutione Chriſtus aperuit: eoſque ad legis ſuæ cognitionem ſublimius prouexit, & omni denique Euãgelica doctrina plenius inſtituit. *Quid enim aliud poſt aſſiduum illud trium annorum cum diſcipulis ſuis* familiare colloquium, *dierum quadraginta mora geſtum eſt*, ait Leo Magnus, *quàm vt Fidei noſtræ integritas ab omni caligine mũdaretur? Ideò & clauſis ad diſcipulos ianuis introibat, & flatu ſuo Spiritum Sanctum dabat; & donato intelligentiæ lumine Sanctarum Scripturarum occulta pandebat.* Namque & hoc eſt, quod pruden-

ter

ter Sanctus Lucas annotauit Christum per totos quadraginta, à resurrectione sua, dies Apostolis se videndum præbuisse, ac de Regno Dei cum illis loquutum fuisse; seu, vt Græca sonare vidētur, de ijs colloquutū fuisse, quæ Regni Dei sunt. (καὶ λέγων τὰ περί τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ. *Et dicēs, quæ Regni Dei,* scilicet *sunt,* siue *quæ ad Regnū Dei spectant*: hoc est, de cūctis noui huius Testamenti mysterijs, quæ ad perficiendā Christianorum salutem conducunt, sermonem fecisse. Dum autem eis Euangelij doctrinam Christus tradidit, certissimam Fidei suæ regulam præscripsit; quam & illi partim scripto, partim viuæ vocis oraculo perpetuò conseruandam posteris reliquerunt. Hanc verò, vt Dei verbum à Deo commendatum, sequuti, cùm in Orbem missi profecti sunt, iuxtà illam suas formare conciones, populosque ad Euangelium vocandos instituere cōsueuerunt. *Euntes,* inquiebat enim Legislator noster, *docete omnes Gentes,* Matth.c.28. *& prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos, docentes eos* Marci.c.16. *seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* Hanc etiam docendę Fidei, & Euangelicæ doctrinæ tradendæ normam post Apostolorum tempora successores eorum sequuti, tum in docendis Gentibus de Regno Dei, tum in exstirpandis erroribus, & propulsandis hæreticis sartam tectamque conseruarunt. Hoc ergò vt liquidò cunctis innotescat, ipsorum Apostolorum sententias obsecrò paulisper perpendamus.

Primo loco consulendus occurrat Apostolus Petrus, qui, vt inter cæteros singulari Dei beneficio Princeps exstitit, cui vniuersæ Ecclesiæ cura demandata sit, ita profectò omni studio, & animi solicitudine de Verbo Dei, quo ad immortalitatem renascuntur Christiani, disertius, elegantius, & apertius disseruisse mihi videtur, vtpotè is, cui ex munere hoc incumbebat. Ille igitur, ne quis amplius hæsitare posset, aut temerè in dubium reuocare, quodnā illud esset (cuius beneficio istud post hominum memoriā nobis contigit maximum donum, quod tam ipse, quàm

cæte-

cæteri Apostoli, siue à Christo Domino, siue à Spiritu Sācto instructi docuerunt) Dei verbum, definiuit, siue posteà literis fuisset mandatum, siue viua tantùm voce Ecclesiæ
1. Petr. c. 1. commendatum esset. *Propter quod*, inquit ille, *succincti lumbos mentis vestræ, sobrij, perfecti, sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam in reuelatione Iesu Christi* (& quæ sequuntur) *renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum. Verbum enim Domini manet in æternum. Hoc est autem verbum, quod Euangelizatum est in vos*: Siue, hoc est autem illud verbum, (sic enim Græca plenius explicare possumus,) quod vobis, per Euangelij prædicationem, est annunciatum. Quidquid igitur ea tempestate Apostoli, eorumque discipuli fideliter Ecclesiæ tradiderunt, Euangelicum Dei verbum ex Petri sententia sine dubio habitum
Ad Philippens. c. 2. fuit. Quam credendi normam Philippēsibus Paulus præscripsit, quos pseudoapostolorum fraude circumuentos, & à prima Fidei regula nonnihil aberrantes ad doctrinæ concordiam reuocat, inquiens; *Si qua ergò consolatio in Christo; Si quod solatium Charitatis; Si qua societas Spiritus, Si qua viscera miserationis; implete gaudium meum: vt idem sapiatis, eam*
Ad Philippens. c. 3. *Charitatem habentes, vnanimes id ipsum sentientes*. Quid verò illud esset, quod tutò sequendum foret, vt nullus non agnosceret, sic manifestè ostendit. *Verumtamen, ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula, imitatores, mei estote fratres, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Hanc ille profectò docendi, proficiendi, & in via Euangelicæ veritatis progrediendi, Normam, Canonem, & Regulam, qua Paulus Philippenses hortabatur, vt idem secum sentientes, ad destinatum, & cognitum supernæ vocationis brauium pergerent, & velocioribus gressibus currerent, prædicationem Euangelicam proculdubiò appellat; quod & Theodoreto placet, & Photio apud Oecumenium, qui Canonem, siue Regulam à Paulo dictam, Fidem esse tradit: A qua siue quid temerè detrahas, siue ei quid audacter & superbè addere

con-

contendas, te totam labefactasse, & euertisse constructionem, non secus, ac si Canonem & Regulam immutasses, firmo & indubitato assensu tenendum est. Nullus enim, si vel parùm, ad huiusce rei veritatem indagandam, animũ appellat, inficiari poterit, vniuersa Fidei dogmata dissoluta esse ab eo, qui eorum aliquid immutauit. Quamobrẽ non possum non vehementer mirari eorum temeritatem, qui sic in Sacras Apostolorum Traditiones irruunt, vt non, nisi ad verbum scriptum, recurrendum esse pertinaciter asseuerent. Nam qui negare moliuntur Euangelicum Dei verbum, quod in scriptis non continetur, esse certissimam Fidei dogmatum Regulam, & doctrinæ Euangelicę Canonem, Petrum profectò Apostolorum Principem, & Paulum Gentium Doctorem sacrilegis conuitiis afficiũt, & criminantur, & quasi à vero recesserint, in iudicium vocant; quorum ille eos, qui ex Israelitis, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia dispersis, Iesu Christi fidem susceperant, hic verò Philippenses, & Galatas, *1. Petr. c. 1.* cum de Fidei regula quæstio oritur, deque sequendo Canone, litis omnis & controuersiæ dirimendæ offertur occasio, non ad scripturas noui Testamenti, non ad verbum Dei Euangelicũ literis exaratum, sed ad viuę vocis oraculum, ad verbum Euangelicum pridem à se annunciatum, prouocat, recurrendumque docet ad certissimam Fidei Regulam, quã ab Apostolis sine vlla etiam scriptura acceperant. *Ad Gal. c. 1.* *Licet nos*, ait Paulus, *aut Angelus de cœlo Euangelizet vobis, præterquam quod Euangelizatum est vobis, anathema sit.*

Illud verò nemo admiretur, quonam pacto Apostolus, qui feritatem morum mansuefaciebat, sic commoueatur. Non enim aliqua animi perturbatione, sed eorum, qui parum in Fide stabiles erant, miseriis commouebatur, disciplinæ Christianæ inimicis succensens, pro Galatarum salute, qui Iudaizantium Christianorum corruptela vitiati, hunc credendi Canonem violare cœperant, atque contraria docendo penitus deprauare conabantur. In

quos

quos dum ita acribus verbis insurgit, illud, ipsa Solis luce clarius, pro certissima Fidei norma pręscribit, quod eis fuerat sacris concionibus annunciatum; siue, quod ab Apostolis acceperant, quod firmum adeò, & ratum esse asserit, vt etiam seipsos, idest, Apostolos, si immutati fortè aliter docerent, non audiendos suadeat (quorum vtique fama, quia discipuli Christi erant, omnem locum peragrauerat) & si Angelus è cælo elapsus aliter annunciaret tenendum, quàm iam acceperant, nullo prorsus modo ei fidem adhibendam esse testetur. Nec semel in eos sententiam protulisse contentus (vt confirmaret illos, quos in prima Euangelij Traditione corroborare quàm diligentissimè curabat) *Iterum dico*, ait, *si quis vobis Euangelizauerit præterquàm quod accepistis, anathema sit. Admonitio*, inquit D. P. Augustinus, *beatissimi Apostoli de vestris cordibus non recedat; si quis vobis euangelizauerit, præterquàm quod accepistis, anathema sit. Non ait, plusquàm accepistis, sed, præterquàm quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipsi præiudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, vt suppleret, quæ eorum fidei deerant, sed qui supplet, quod minus erat, addit; non, quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam Fidei, non accedit in via, sed recedit de via. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Adijcienda illis fuerant, quæ nesciebant; non, quæ didicerant, euertenda.* Non ergò his, quæ à se tradita & annunciata fuerant, nihil adiiciendum existimauit Paulus; sed hoc tantùm cauere voluit, cùm hæc scriberet, ne quid Galatæ contrariũ illis reciperent, quæ prius à se didicerant, licet à seipso, aut ab Angelo aliquo id inculcaretur. Non enim, qui Euangelicam doctrinam tradat, sed quæ annuncientur, obseruari voluit Paulus: cùm non ille, qui seruata Fidei regula, adhuc alia docet, vel magis explicatè illustrando, quæ obscura fuerant, vel etiã addendo, quod prius ignoratum erat; sed is, qui Fidei regulam prætergreditur, & Canonem Euangelicæ doctrinæ euertit, contraria Fidei docendo, Augustini iudicio, Euangelium tradit, præter id quod

August. tract. 48. in Ioan.

quod accepimus. Qui ſanè ex illorum numero mihi eſſe videtur, quos Paulus, vt cunctam dubitandi occaſionem amoueret, & manifeſtò mentem ſuam aperiret, Galatis turbas intuliſſe, & operam dediſſe, vt in aliud euangeliũ transferrentur, dicebat. Quem locum adducens Augustinus contrà Manichæos, illud hæreticis familiare ſemper fuiſſe eleganter docet. Nam exponens, quod Regius vates inquit, *Inter medium montium pertranſibunt aquæ*, ideſt, inter medium Apoſtolorum, ſiue in communi Apoſtolorum doctrina pertranſibunt annunciatores verbi, vt ſit pacifica & communis talis annunciatio, non turbulenta, non priuata, ſapienter addit: *Vide quemadmodum Apoſtolus noluerit de monte præſumi, ne forte mons diſcedat ab aquis per medium currentibus, & aliquid proprium velit influere. Licet nos, inquit. Et quantus mons dixit hoc? Quàm vberrimæ aquæ fluebant de conualle eius? Tamen volebat, vt medius inter montes curreret, & ibi eſſet fides recta populorum; quod inter ſe medium atque commune Apoſtoli retinebant. Sed audi, quod ſequitur: licet nos, aut Angelus de cælo annunciauerit vobis, præterquam quod accepiſtis, anathema ſit. Si veniat mons, aliud euangelizans, anathematizetur, Si veniat Angelus aliud euangelizans, anathematizetur. Vnde hoc? quia de priuato vult fluere, non de medio.* Damnantur ergò ab Apoſtolo priuati ſpiritus, & noui Magiſtri, aliud, & diuerſum à doctrina ſemel tradita afferentes; non autem Eccleſia, alia, & plura, quàm quæ in ſcripturas relata ſunt, euulgans, & ex traditione communi omnium conſenſione recepta docens. Non enim ait, pluſquàm accepiſtis, ſed præterquàm quod accepiſtis. Quocircà Beatus Ambroſius ad Valentinum de Auxentio ſic loquitur. *Non eſt neceſſe propter vnum tot Epiſcopos fatigari, qui, etiam ſi Angelus de cælo eſſet, paci Eccleſiarum non deberet præferri*, vbi per pacem Eccleſiarum Fidei dogmata abſque dubio intelligit, quæ vnanimi Nicæni Concilij Patrum conſenſione conſtituta fuerant; quibus ſine magno perfidiæ crimine à nemine contradici poſſe affirmat; etiamſi Angelus de cælo aliter doceret. Illud

Cont. Fauſt. lib. 32. c. 17.

In Pſ. 103. Concio. 2.

Ambroſ. ad Valentinũ.

igitur: *præterquàm quod accepiſtis*, dubio procul ſignificat, contrà quàm quod vobis traditum, à vobiſque acceptum eſt: ita vt non noua dogmata & præcepta, ſi conſona iam traditis; ſed contraria prohibeat & execretur. Nam poſt hanc Epiſtolam D. Ioannes Apocalypſim, & Euangelium ſuum ſcripſit; & idem Paulus multa poſteà docuit; & quos comperit induxiſſe turbas obſeruationi Legalium, contrà id, quod Epiſtola ſua, & viua voce tradiderat, acri-
Rom. c. vlt. ter increpuit: & ad Romanos ſcribens cautè dixit: *Obſeruate eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam accepiſtis faciunt*. Quo loco Græci ſermonis peritiſſimi quique ita illud, præter, pro contrà, poni aiunt, vt nonnulli contrà, vertant. Quare Ambroſius exponit, ſi contrà. Hieronymus, ſi aliter. Atque vtrobique eadem eſt vox Græca *παρ'*. Chryſoſtomus verò, Oecumenius, & Theophylactus Apoſtolum, non dixiſſe, aiunt, ſi contraria, ſed ſi præterquam quod accepiſtis; vt non ſolum illos anathemate percuti innueret, qui apertè contraria toti doctrinæ docent, ſed etiam eos, qui ſiue apertè, ſiue obliquè quidlibet ex doctrina tradita labefactare moliuntur. *Ideo ſi quis*, ait, *vobis euangelizauerit, præterquàm quod accepiſtis, anathema ſit*. Si ergò Apoſtolos Chriſti, quorum exiſtimatio in ſignis & prodigiis edendis tam præclara erat, & Angelum cæleſtem, quem poterat ſpiritualis conditionis ratio commendare, aliter docentes, quàm Paulus tradiderat, Apoſtolus anathematis vinculo aſtringi iubet; cur iſti nebulones, quos non morum compoſitio, & efformatio, & vitæ integritas commendant, ſed effrenata libido, ſtupra, adulteria, inceſta, dira ſanguinis innocentis effuſio, omnis denique impietas, & corruptiſſimi mores non modò accuſant, ſed etiam damnant, & piorum corda in eos commouent, & iram incitant, ad ſeducendum tam ingentes ſibi animos addunt? Qua authoritate Sanctorum Apoſtolorum Traditionibus, quas ipſi toties commendarunt, refragari non erubeſcunt?

Dicant

Dicant mihi, amabo, qui Sacris Traditionibus bellum inferre indies nouis fraudibus moliuntur, & improbo labore tanquam fortissimis arietibus illas quatere nunquã desinunt, quid, quod sibi displiceat, in illis repererint, cur illas euellendas & exstirpandas esse contendant, liberè patefaciant. Si illæ criminis alicuius impunè perpetrandi licentiam concedunt; Si pro veris falsa tradunt; Si impietatem præcipiunt, hoc in medium non cunctanter proferant; hac tamen lege, vt missa faciant solita conuicia. Non enim, qui literis & prudentia plurimùm valent, qui pietate præstant, & animis sunt integerrimis, & maximè generosis præditi, contumeliosis verbis, & turpibus opprobriis, sed vera ratione & firma authoritate agere consueuerunt; si quid ibi reperiunt, quod suæ vitæ puritatem, & morum integritatem grauiter offendat, ne dicere vereantur. Non est tamen, (id cautè diligenterque velim aduertant) cur Chami & Iapheti deliramenta, Thalmudicaue præcepta nobis opponant: cur post Apostolorum tempora apocryphas historias, vel etiam eas, quas præstantissimi & doctissimi viri scripserunt, non tamen tota suscepit Ecclesia, nobis obiiciant: cùrue ea, quæ in mysteriis Religionis ipsa vniuersa Dei Ecclesia non habuit, sed à quibusdam tantummodò, ad superstitionem alendã, & adumbratam cuiusdam doctrinæ & sanctitatis opinionem adinuenta fuere, contrà nos adducant. Illa etiam, quæ nonnullos inter sanctissimos nostros Heroas asseuerasse minus cautè reperimus (Irenæum scilicet, qui refert Ioannem in Asia, cæterosque Apostolos tradidisse, Christum quadragesimum iam annum egisse, cùm mortem pro hominum salute oppetiuit: & Basilium, qui certissimæ tribuit traditioni Zachariam filium Barachiæ inter templum & altare occisum, Ioannis Baptistæ parentem fuisse, (quem omnium in se odio concitato, quod Deiparæ Mariæ virginitatem audacter defendisset, neci datum commemorat) nunquam fuerunt communi Eccle-

Irenæ. lib. 2 c. 39. & 40.

Basil. homil. in die Epip.

ſiæ conſenſu approbata. Iam verò inter ea, quæ Maiorum conſenſus approbauit, illa ſolummodò ſunt referenda, quæ in vniuerſa Eccleſia Catholica continua ſucceſſione aſſeruata ſunt, & Maioribus cunctis annuentibus accepta referuntur, non autem, quæ vnus, alterue, Maiorum authoritate, minus prouidè commendauit. Vnde ſapienter B. P. Auguſtinus; *Quod vniuerſa* inquit, *tenet Eccleſia, neque Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur*. Quare nonnulla, quæ Papias, vt author eſt Euſebius, vir antiquitate clarus, quaſi traditione non ſcripta ad ſe perueniſſe commonſtrat, quæ peregrinas quaſdam Saluatoris parabolas, & nouam eius doctrinam, aliaque nonnulla commentitiis fabulis referta continent, facilè reiicimus, Quorum id non infimum eſt, quod ille de Regno Chriſti aſſerit, dicens illud poſt vniuerſæ carnis à mortuis reſurrectionem mille annos humano, & corporeo more in terra hac continuādum, & ſtabiliendum eſſe; Vnde Chiliaſtarum ſecta originem duxit, qui hoc nomen ideò adepti ſunt, quia vox Græca, χίλιαι, idem ſonat, quod Latinè, mille: & inde Chiliaſtæ, quaſi millenarij appellantur, ex eo, quòd mille annorum poſt mortuorum reſurrectionem fore dixerint Chriſti Regnum, corporaliter in hac terra producēdum, ſanctoſq. corporaliter cū Chriſto epulaturos. Non quia vir iſte hæc ab Apoſtolis tradita retulit, ſeq. ea ab Apoſtolorū auditoribus accepiſſe teſtatus eſt, illicò, tanquā Apoſtolicæ Traditiones, habenda ſunt. Nec nos eius Authoritas mouere debet, cùm pleriſq. Eccleſiaſticis viris, qui hominis antiquitatē pro ſuarum partiū defenſione citabant, perſimilis erroris author exſtiterit, adeò vt Irenæus eadē cum illo ſentire videatur. Quapropter minimè ſufficit, vel vnū, aut alterum, etiam eximiæ cuiuſdā authoritatis virum, dixiſſe illa, & quæ ſunt ſimilia, ab Apoſtolis tradita eſſe, vt ſtatim inter Traditiones referātur: ſed quæ vnanimi conſenſu Eccleſia ſucceſsione cōtinua conſeruaſſe in-

uio

Auguſt. de Bapt. contr. Donat. lib. 4. c. 14.

Euſeb. lib. 3. c. vltimo.

uiolata ſemper teſtatur, & ab Apoſtolis, veluti per manus deducta, & ab ipſis accepta, atq. à noſtris Heroibus integrè cuſtodita manifeſtè oſtendit, illa ſola Traditiones appellari oportet; cùm Traditionum pondus cũ eius dignitate indiſſolubili nexu colligatũ ſit. Nec mirũ (inquit Euſebius) ſi vir iſte ob antiquitatẽ perilluſtris, ita deceptus deluſuſque fuerit; qui præterquam quod ſe ſanctorum Apoſtolorum vel auditorem fuiſſe, vel eoſdem propriis oculis aſpexiſſe in exordio operis ſui negat, homo erat ingenij pertenuis, qui, cùm viros aliquos, quos Apoſtolis notos & familiares fuiſſe compertum habebat, ſæpe conueniret, & ſtudioſè de doctrina & fide Chriſti percunctaretur, nec interpretationes Apoſtolicas caperet, quæ ab illis arcanis figuris & ſubobſcuris parabolis expoſitæ eſſent; facilè dogmata illa falſa potuit imbibere: quod in ijs, quæ ab vniuerſali Eccleſiæ vnanimi conſenſu excepta traditaque ſunt, vſu venire nequit: cùm eam Spiritus Sanctus regat, protegat, tueatur. Quare, ne hoc, aut illud hominum genus aduerſarij nobis obiiciendum putent, ego quidem vellem in animum illi ſuum inducerent, non iſtã vel illam diſciplinam, & paucorum inſtitutionem nobis opponendam eſſe, ſed ſi aliquod myſterium, vel olim vetus illa Synagoga, vel poſt Chriſti aduentum & Euangelij promulgationem tota Catholica Eccleſia, tanquam à Maioribus acceptum, obſeruandum tradidit, aliqua id erroris labe reſperſum proderent, & in medium producerent, & nobis obiicerent, vt Traditionum authoritatem eſſe eneruatã & extenuatam fateri vel inuiti cogeremur. Hoc verò cùm præſtare nequeant, nos illis oſtendamus, cur Sacras Traditiones tam capitali odio proſequantur. *Euſeb. ibid.*

CAP. VI.

SAnè adeò eſſe ſcelera cum impietate arctiſsimo adſtricta vinculo vetus hiſtoria docet, vt præceptorum Dei contemptores cultum etiam, & ipſius veri Dei venerationem deſerendam facilè ſibi perſuadeant. Nec enim ſacrilegas & omni impietatis genere infectas opiniones, ſi ad

pro-

proprium fontem & ſcaturiginem reuoces, aliunde ortas, quàm ex effenata libidine & viuendi licentia (quæ proculdubiò quicquid pietatis, quicquid religionis, quicquid denique in vita eſt ſanctitatis, euellere & exſtirpare funditus poteſt) facilè comperiet. Nam Venus, (vt hinc exordium ſumamus, etſi iam alibi hac de re tractauimus) quam profuſæ fuiſse libidinis fœminam adeò eſt peruulgatum apud omnes, vt inde nomen etiam omnis traxerit obſcœnitas & libido, prima exſtitiſse dicitur in Cypro author mulieribus, vt vulgò quæſtum corpore facerent. Quod ideò ſcribit Lactantius Firmianus ab ea præceptũ, ne ſola præter alias mulieres impudica & virorum appetens videretur; Qua tamen re minimè obſtante eam inter numina ſua Gentes retulerunt, & ei honores maximos & ſacrificia decreuerunt. Vnde Magnus ille Gregorius Nazianzenus falſorum & inanium Deorum portenta, non tam ex rerum Diuinarum ignoratione, quàm ex morum corruptione profluxiſſe appoſitè tradit. Cùm enim ſcelerum conſcientia mentes flagitiis depreſſas torquere & excruciare ſoleat; Deos excogitarunt eiſdem ſceleribus contaminatos, vt liberius ea perpetrarent, quæ Deorum eſſent exemplo approbata. Hinc, vt author eſt D. P. Auguſtinus, fœda & impura ſacra, funeſtas cærimonias, inceſta ſacrificia, vota nefaria adinuenit Antiquitas, quibus, cùm inanes Deos coleret, placari illis ſceleribus Numina cenſebat, quæ iram potius incitare poterant. Quamobrẽ, cùm delicta ipſa, vt ait Cyprianus, miſeris ſint religioſa, ſcelerati homines, qui Deos ſimili viciorum fæditate & turpitudine coinquinatos venerabantur, (quos in iudicium vocare auderet nemo) tanta impietate hoc ſunt aſſequuti, vt ob viuendi licentiam & morum corruptionem, non ſolùm non damnari, ſed ne accuſari quidẽ potuerint.

Gregor. Nazian. orat. in ſanct. Pent.

De Ciuitate Dei lib. 2. c. 4. 5.

Huic viuendi licentiæ dum aduerſarij noſtri inuident, impietatemque graſſari maximè cupiunt, Sacra Oracula ſumma diligentia literis conſignata corrumpere, adulterari

rari ac peruerſis opinionibus deprauare totis viribus nunquam non moliuntur. Sed cùm tantum ſcelus liberè implere nequeant, ſi antiquæ Apoſtolicæ Traditiones ſuſcipiantur, (vt ab omni viro Catholico vltrò recipiuntur) quæ & genuinam ipſorum oraculorum interpretationē, & Diuina Myſteria, arcanaque ſacramenta indicant, explanant, & adamuſſim obſeruanda incorrupta inuiolabiliaque tradunt: in Sacras Traditiones audacter inſurrexerunt. Videbant enim, quod prudenter Tertullianus aduertit ad hæreſeon expulſionem non minus Traditiones quàm Scripturas conducere, quia Scripturæ in varios ſenſus facilè diſtrahuntur, Traditiones verò non item. Vnde & Ignatius ea maximè ratione docet poſſe hæreticorum contagia vitari, ſi firmiter ac tenaciter Apoſtolorum Traditionibus inhęreatur. Quamobrem ardentiori furore illi indies in Apoſtolicas Traditiones bellum mouentes, eas inanes & commenticias hominum opiniones vbique terrarum prædicant, & nos, qui eas, vt par eſt, ſuſcipimus, ludibrio habent, conuiciis & opprobriis laceſſere numquā deſinūt, & ſolum Dei verbum ſcriptum, Fidei & Religionis normam eſſe iactitant, ac Traditionum infirmitati ſuperiorum temporum impietatem adſcribendam ducunt. Verùm ſi Eſaiæ, Hieremiæ, Oſeæ, & aliorum Prophetarum ſacra vaticinia percurramus facilè profectò colligemus execrabilem morum turpitudinem, & fœdam vitæ deprauationem ſummamque viuendi licentiam, non ſolùm olim Iſraeliticis cauſam ſuperſtitionis, inaniſque Deorum cultus fuiſſe; verùm etiam poſt Chriſti ad Patrē reditum, Simoniacorum, Menandrinorum, & Ebionitarum inſaniam, Nicolaitarum turpitudinem, Saturninorū demētiam, Baſilidianorum turpiſſimum errorem, Gnoſticorum fœda vitæ præcepta, Nazaræorum ſuperſtitionem, & Tatianorum furorem (quorum omnium errores partim cum ipſis Euangeliſtarum & Apoſtolorum ſcriptis exorti ſunt, partim poſt Euangeliſtas & Apoſtolos

Tertull. lib. de præſcri. c. 16.

Euſeb. lib. 3. c. 30.

tan-

tanquam è baratro, emerſerunt) ex eodem fonte, licentioſa, ſcilicet, viuendi libertate, profluxiſſe, ab ipſa ſacra & Eccleſiaſtica hiſtoria paſſim memoria proditum reperiemus.

Nam ſi vetera repetamus, cùm, poſteaquàm à Tirannis in Chriſtianos ſæuitum eſt, communis pietatis & Religionis noſtræ aduerſarius & hoſtis quietus eſſe non potuiſſet, hæreticorum fraude & verſutia Euangelium de medio tollere aggreſſus, primùm contrà nos excitauit Simonem hæreſeon omnium Ducem & Principem: à quo, qui talem ſectam amplectuntur, Simoniaci vel Simoniani appellantur. Quorum turpiſſima geſta ſtuporem & mentis cõſternationem quibuslibet hominibus afferunt: quippè quæ talia ſunt, vt rectè ſcriptis non dicam mandari, ſed ne patefieri quidem poſſint, propter immenſæ fœditatis horrorem. Quicquid enim exſtare, aut cogitatione concipi poteſt, quod turpitudine quauis ſit impurius, id omne hæc hæreſis omniũ ſceleratiſſima & maximè impia lõgè ſuperauit; miſeroſq. homines, & mulierculas peccatorum labe pollutas affectata verborum impoſtura ſeduxit. Hunc ſacrilegum atque impium virum, aduerſarium magnis Chriſti diſcipulis, non multò poſt humanæ ſalutis reparationem, inſidiatrix illa vis conſtituit: Deinde eduxit Menandrum, quem eius fuiſſe diſcipulum ex impoſturis, carminum præſtigijs, & ſcelerum fœditate facilè quiſquam cognoſcet. Hunc ſequutus Cerinthus in tantam prolapſus eſt inſaniam & impietatem, vt, ſi eum præceptoribus ſuis ſuperiorem dicere non audeas; æqualem tamen non ineptè dicas, cùm ipſe ſceleſtus & nefarius homo, ita temerarius & inſanus fuerit, vt Chriſti Regnum poſt Reſurrectionem terrenum futurum eſſe, & homines in carne libidinibus ſubiecta vitam acturos prædicauerit. Nam, (quod Nicephorus tradit) eadem ætate (hoc eſt, Nerone imperante, & Menandro atque Ebione ſuas hæreſes propagantibus) Cerinthum quondam

Exſtitit Simon Magus Apoſtolorũ tempore. Niceph Eccleſiaſt. hiſt. lib. 2. c. 14.

Menander ſuam plantauit hæreſim Veſpaſ. Imp. & Line Sum. Põtif.

Cerinthus. Neron. Imp.

Niceph. lib. 3. hiſto. Eccleſiſ. c. 14.

alterius

alterius hæresis ducem fuisse, Scriptor Ecclesiasticus Caius commemorat, dicens: *Cerinthus, qui per adumbratas reuelationum, tanquam à magno quodam Apostolo conscriptarum, species, absurda portenta, præstigiasque, quasi per Angelos ipsi ostentatas, nobis falsò comminiscebatur, hæc asseueranter introducit: post resurrectionem carnis humanæ, Regnum Christi terrestre futurum; & apud Hierusalem, homines in carne cupiditatum & voluptatum blanditijs inseruituros. Qui cùm sacrosanctis Dei eloquijs hostis esset infensus, numerum mille annorum in nuptiarum festis & celebritate dicebat consumptum iri.* Ab hoc tam impio & tam deliro homine nomen accepit hæresis Cerinthinia, vt testatur Dionysius Alexandrinus, qui tradit illum sibi dignum figmento suo nomen arrogare voluisse (Scholæ quippè eius illa fuit doctrina, Regnum Dei terrenum fore) eumque, vtpotè corporis voluptatibus, & carnis illecebris penitus deditum, in illis rebus, quarum cupiditate incendebatur, Regnum Christi futurum somniasse; hoc est, non in illis solùm, quæ ventri & partibus, quæ ad venerem explendam pertinent, inseruiunt, (vt in esculentis, & poculentis, & nuptijs:) verùm etiam in festis, sacrificiis, hostiarum cæde, & alijs denique rebus, à quibus libidinem affluentius posse suppeditari existimabat.

Niceph. lib. 3. hist. c. 14.

Dionysius li. 2. de promissionib.

Quid Nicolaum Antiochenum aduenam, quem hæretici Nicolaitæ suæ sectæ authorem fuisse iactitabant, commemorem? qui quanta fuerit dementia, & temeritate insignis, vel factum illud, dictumque in media Apostolorum frequentia satis mihi demonstrasse visum est: cùm vxorem honestam & liberali facie in medium à se productam, quòd ab Apostolis esset Zelotypiæ accusatus, cuilibet cupienti ducere permisit; dicens carne abuti oportere. Nec me latet Clementem Alexandrinum verba Nicolai aliter, quàm ab hæreticis accepta sunt, exponenda dixisse; factumque eius excusare voluisse: quia is fuit, qui propriam vxorem propter Zelotypiæ crimen sibi obiectum publicauerit, magnam hoc facto

Clemen. lib. 3. Stromatũ

libidinis aspernationem & contemptum ostendens. Cuius etiam continentia in voluptatum depulsione (ad quas conquirendas plerique nimio studio incitabantur) perspicuè docebat, carne abuti oportere, vt sic ille suam libidinem frenaret. Verùm cùm Nicolaus vnus fuerit, ex Diaconis, qui ab Apostolis ad curam egentium suscipiendam vnà cum Stephano delecti sunt, posteà verò ab eis, atque ab eorũ sana doctrina recesserit; & diuersis erroribus ac fallaciis pessundatus sit; non est, cur sententiam eius, aut patratum facinus, tanquam si præter animi intentionem accidisset, à tanti criminis labe liberare velimus: præcipuè cùm eum D. Hieronymus ita immundum exstitisse prædicet, vt etiam in præsepi Domini Venereũ flagitium perpetrarit; & ad Cresiphontem scribens, eum omnis obscœnitatis authorem & repertorem fuisse testetur. Hæc quidem teterrimus generis humani hostis, initio nascentis Ecclesiæ, in filios simul & matrem, excitauit monstra, alia posteà ex antris & cauernis, locisque abditissimis educturus, quæ Catholico Christi populo aduersarentur. Semen enim viperinum ambiguæ bicipitisque contagionis, à Menandro exortum, duarum hęreseon progenuit duces (in quibus non minorem vitæ turpitudinem & morum fœditatem, quàm in parente viguisse intueri licet) Saturninum & Basilidem; quorum hunc Alexandria, illum Antiochia produxit: vnusque in Aegypto, in Syria verò alter inuisas Deo aperuit Scholas. Scribitque Irenæus Saturninum maxima ex parte eadem cum Menandro falsò commentum fuisse; Basilidem verò sub prætextu mysticæ doctrinæ, in immensum tetendisse mentis impiæ cogitatum: dum prodigiosis fabularum figmentis delectaretur. Et D. Hieronymus. *Quadringenti* (inquit) *ferè anni sunt, quòd Christi prædicatio fulget in mundo; ex quo innumerabiles hæreses tunicam illius consciderunt. Vniuersus pænè error de Chaldæo & Syro & Græco sermone processerat. Basilides Magister luxuriæ & turpissimorum complexuum, post tot annos ita in Iouinianum,*

Act. c. 6.

Hierony. in epis. de Fabiano lapso.

Hiero. lib. 2. aduers. Iouinianum circa finem.

num, quasi in Euphorbum transformatus est, vt Latina quoque lingua haberet hæresim suam. Eusebius post Menandrum, qui Simoni successit, Saturninum, & Basilidem, velut quandam bestiam bino ore sibilantem, binisque linguis Diabolica venena vibrantem ponit; quorum vterque suis in Regionibus, vt diximus, officinas impiæ ac Deo exosæ instituit disciplinæ. Erupere Gnostici, ab eo dicti, quòd se omnium rerum cognitionem habere iactabant, qui Basilidem habuere authorem, vt Hieronymo placet: siue vt Philastrius & D. P. Augustinus volunt, à Nicolao Diacono duxere originem; seu, quod magis arridet, à Carpocrate exorti sunt, & quibusuis aliis hæreticis vaniores & turpiores fuerunt: adeò quidem, vt cùm à multis per diuersas terrarum partes aliter atque aliter nuncupentur, nonnulli eos Βορβορίτας vocitent, quasi cœnosos, ob nimiam vtique illam, quam in suis Sacris dicebantur exercere, fœditatem, atque turpitudinem. Huius sententiæ est Irenæus, qui Carpocratem Basilidi æqualem faciens, eum Gnosticorum constituit authorem & ducem: quem non puduit propalàm artem Magicam exercere, quam ipsius pater Simon clàm professus fuerat. Gloriam is aucupabatur, & se se efferebat artibus curiosis per eos, quos ipse excitabat amores, per somniorum visiones, & per tartareos assessores. Docebat quoque omnem oportere perpetrare turpitudinem, qui ad perfectionem arcanorum suorum, quæ ipse Sacra appellabat, peruenire vellent: neque fieri posse, vt quisquam illos effugeret, qui mundi Principes dicebantur, nisi omnibus infandæ fœditatis generibus satisfecisset. Horum, quos nominaui, vestigia sequuti sunt, Nazaræi, qui Christum Filium quidem Dei confitebantur, Leges & Prophetas recipiebant, libidinosè tamen viuẽdum affirmabant. At Tatianus, à quo Tatiani sunt appellati (dum Iustinus eius Magister martyrij palmam adepturus & sempiternam vitam feliciter inchoaturus, huius temporariæ vltimum diem obiuit) à veritate adeò aberrauit,

Euseb. lib. 4. cap. 6.

Hiero. de uiris illustrib. Aug. lib. de hæresibus in principio. Adriano Imperat. & Sixt. I. Sum. Pontif.

Irenæus lib. 1. c. 21.

Niceph. lib. 4. c. 2.

Adria. Imp. & Sixto I. Sum. Pont. Anno 133. Tatian. vixit. M. Aurelio Imper. & Aniceto. Su. Põt. Anno 174.

rauit, vt, cùm Doctoris nomen omni ambiret ratione, maluerit Magiſter fieri erroris, quàm veritatis diſcipulus perſeuerare. Nam quemadmodum cæcus, vt inquit Epiphanius, ſi manu dimittatur, à qua ducitur, in præcipitia ſe ipſum det, ipſa cæcitas iure ſuo exigit; ſic ille à conſcientiæ ſuæ prauitate tractus & deluſus, dum ſanctitatis & continentiæ venatur auram, in eam labitur hypocriſim, vt nuptias, ſacrilego ore ſcortationem & corruptionem appellet, nec ab ſcortatione matrimonium differre dicat; Continentiam verò ſimulans (Deus bone) quam nequiſſimam vitam duxit? Quid Aquilæ audaciam & vipeream linguam in Chriſtum optimum & maximum commemorem? Quid Valentini Pythagorę potius quàm Chriſti ſectatoris dicendo proſequar vaniſſimam doctrinam? quem impoſturarum ſerpentem ex intimis obſcuræ etroribus plenæ & seductricis ſyluæ ſpeluncis vbi diu abſtruſus latuerat, Irenęus extraxit, & nudum in apricum produxit? Quid Marcionis temeritatem, & immodicam libidinem? Quid deliria, quid ſomnia potius, quàm Religionis dogmata? Quid ſuperſtitionem illam baptizandi eos, qui ſine Baptiſmi lauacro diſceſſerant, in medium producam? Abeat quidem in malam rem tam impius homo, qui, vt teſtatur Irenæus, Chriſti ſanctiſſimam Diuinitatem negauit, ob idque præter D. Lucæ aliud non recepit Euangelium: & Pauli Epiſtolas peruertit & adulteratus eſt. Quid tyrannicum, ac prorſus ſanguinarium dogma perfidi Donati in memoriam reuocem; quem paternæ pietatis aduerſarium, Cyprianus & Ambroſius diſerto elegantique confutarunt ſermone? Non enim ſicut Sacerdos, vel Leuita, vulneratum præterire, ſed noua quadam & inaudita crudelitate & ſęuitia, ſauciatum potius occidere ſibi perſuaſit, omnem prorſus ſalutis ſpem lapſis, licet de peccatis dolerent, adimens. Quid Sabellij inſaniam, quid Arrij deſcribam audaciam & furorem, à quo (cùm perſequutionū ceſſatione pax Catholicis Chriſtianis

Antonino Pio Imp. & Hygin. Sum. Pont. Ann. 150.
Nicheph. lib. 4 c. 3.
Vixit Antonin. Pio Imper. & Pio S. Pont. anno 155.
Irenæ. lib. 1. c. 29. & lib. 4 ca. 57. & Euſeb. lib. 4.
Cont. Donat. ſcripſit Ambroſ. libros de Pænitēt. vixit Gal. et Voluſ. Imp. & Corne. S. Pont. Anno 255.

ſtianis eſſet, atque gloria Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ præſtantibus confeſſorum meritis vbique gauderet) proſperitas rerum noſtrarum, domeſtica contentione turbari cœpit? Nam generis humani peſtis, improbuſque prorſus, & exitioſus hoſtis nauem Eccleſiaſticam ab huius vniuerſitatis Deo gubernari, & tam placidè ſecundis ventis ferri videns, ignauiæ magnæ ſibi vertendum putauit, ſi non eam ſubmergendam curaret, quæ tam ſecurum ſine prauorum dogmatum fluctibus & procellis curſum teneret. Dolebat perfidus, Græcæ ſuperſtitionis præſtigias proculcari, doloſos laqueos, quos hominibus tendebat, ita patefieri, vt inſidiæ nulli non apparerent; dolebat creaturam (vt ante illud tempus) amplius non coli; Creatorem verò, ſicut conuenit, laudibus ingentibus euehi, & ſummo cultu tam frequenter obſeruari. His de cauſſis ſacrilegos ventos, & crudeles tempeſtates in Chriſti nauem excitauit, vt eam inſanis fluctibus ſubmergeret: bellum, Dei militibus, non tamen id apertum, quia ſæpe ab illis victus fuerat, ſed ex inſidiis nimis fraudulenter, intulit. Nam cùm multi eius fraudibus & dolis apertis viriliter dimicarent, & victoriam ducis auxilio, cui militabant, ſumma cum gloria reportarent, illis relictis, aggreſſus eſt nonnullos alios, qui veri exercitus Chriſti milites non erant; eoſque ita facili negotio ſuperauit, vt primo cōgreſſu ſe victos liberè faſſi fuerint, & manus in vincula hoſtilia tradiderint. Inter hos fuit ille ſceleſtus, & exſecrabilis Arrius, apud Alexandriam Presbyter; qui ita ſe fidelem victori ſuo præbuit, vt ab illo, ſui exercitus Imperator fuerit creatus, ſimul ac tantum, vt ſibi videbatur, munus adeptus eſt, bellum Chriſto, ò facinus nefandum, indixit, praua quædam de eius Fide protulit, & quæ anteà in quæſtionem nunquam venerant, cœpit in litem vocare: ab illaque æterna, & ineffabili Dei Patris ſubſtantia, vel natura Flium abſcindere ac ſeparare adorſus eſt. Et, vt Sabellius Diuinas perſonas confundens, ſic ille

Niceph. lib. 8. Eccleſiaſ. hiſt. cap. 4.

Emerſit Sabellius Galieno Imp. & Sixto. 1. Sum. Pont. anno. 260. Baro. Ann. tom. 2.

Arius verò Const. Imp. & Syluest. Sum. Pont. Anno. 315. Photin. Constãtino Cæs. & Iulio S. Pont. anno. 348. Histor. tripartit. lib. 5. cap. 5. Constantio. Impe. & Liberio Sum. Pont. anno. 358. Anno eodẽ.

ille Diuinam Naturam diuidens, in Deum totius vniuersi authorem telis impiis insurrexit. Quid Photini (qui Ebionis, Sabellij, atque Pauli Samosateni perfidiam fouit, ac tutatus est, furorem & temeritatem sermone complectar, in quem in Concilio Sirmij congregato, Patres vnanimi consensu, Spiritus Sancti suasione, æquissimam sententiã protulerunt? Quid mea hac oratione ostendam immensum Donati sacrilegium, qui intrà Aphricanos terminos, Christi Ecclesiam, veluti cancellis quibusdam, sepire enixè curauit: cùm sacrilegum hominem iam D. P. Augustinus sublimi ingenio, prudenti consilio, singulari prudentia, & inclyta virtute, vicerit, prostrauerit, exciderit, vtque decuit, exstinxerit? Quid Eunomij non minus ineptam, quàm improbam vaniloquentiam, summa fultam impietate, declarandam assumam? Quid Macedonij & Eunomij, qui crudeles Spiritus Sancti hostes exstiterunt, insanum furorem verbis prosequar? Quid Prisciliani? Quid Pelagij? Quid Fausti Manichæi? Quid Nestorij? Quid Dioscori impietatem oculis videndam obiiciam? Quid iterum in iudicium adducam Berengarij versuti hominis, & eius sectatorum fraudes? Quid fallacias? Quid errores toties damnatos? quos Lutherus, Zuinglius, Caluinus, aliique propè omnes nostri temporis hæretici ab orco reuocarunt, & alieno toxico infecti, proprio deinde veneno vniuersos mortales neci dare, omni nisu, omni labore, omni denique animi affectu elaborarunt; & indies magis magisque illi, qui illorum vestigiis insistunt, de totius Christianæ Reipub. pernicie & exitio cogitant? Quod vnum cum hæreticis omnibus potissimum caput fuerit, nihilque magis in votis habuerint (quanquam diuersa illorum dogmata, diuersa variis scholis nomina indiderũt) vel in eo maximè vna omnium exstitit doctrina, quòd pudicitiam, temperantiam, & admirabilem illam morum compositionem, quam Catholica Ecclesia ex vtroque Dei verbi genere, tum scripto, tum viua voce à Patribus,

veluti per manus ad nos deducta docet & præscribit, execrati sint. Quare, qui omnium eorum corruptissimos mores, summam dominandi cupiditatem, supremam auaritiam, impudicissimas scortationes, fœdissima stupra, turpissima adulteria, innumeras rapinas, inaudita sacrilegia, crudelissimas cœdes paulisper animo contemplabitur, quamuis pertenuis sit ingenij, fieri non poterit, quin manifestè agnoscat, tum prioris, tum posterioris seculi impietatem, non Traditionum imbecillitati (vt quidam illorum clamitant) quas Diuina Spiritus Sancti virtute sartas tectasque conseruari docuimus, sed fædæ morum corruptioni, & immodicæ viuendi licentiæ, quam nunquam non adamarunt aduersarij, adscribendam esse.

CAP. VII.

NOn tamen sic nos Sacras efferimus Traditiones, vt Diuinam Scripturam deprimere (sicut aduersarij petulanter nobis obiiciunt) velimus: cùm neque nobis neque alicui Catholicorum hoc vnquam in mentem venerit. Nam quis esset ita demens, qui, dum Sacris Traditionibus faueret, Diuinam Scripturam, in qua tam multa sunt ad salutem nostram omninò necessaria, contemneret? Nos quidem quamplurima, quæ Sacris Literis non continentur, traditione, ad nos venisse prædicamus; nihil tamen Maiorum consensione traditum esse affirmamus, quod Diuinæ Paginæ aliqua ex parte aduersetur. Cùm enim de re quauis quæstio oritur, non id, quod Sacris Literis repugnat, sed quod admirabili totius Ecclesiæ consensu, multis ante seculis, approbatum fuisse intelligimus, ab Apostolis traditum, Diuinaque authoritate firmatum dicimus. Hoc si quis inficiabitur, Diuinam etiam Spiritus Sancti protectionem, Ecclesiæ denegare cogetur: quod vt ab instituto nostro longè alienũ liberè fatemur: sic Sacras Traditiones Diuina virtute munitas, in Ecclesia conseruari affirmamus, tenemus & credimus, easque suspicimus & colimus, & debita obseruãtia prosequimur; iuxtà Pauli præceptum; qui ad Thessalonicenses scribẽs,

quos

quos recens natos Christo compararat, & aduersus pseudoapostolorum insidias munire cupiebat. *State* (inquit) *fratres, & tenete Traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.* Quibus verbis manifestè ostendit, se præter ea, quæ scripserat, non minus præclara solo sermone, imò præclariora docuisse; cùm sermonem, priusquam Epistolam nominet. Id quidem vel ex eo magis etiam liquet, quòd qua ratione Dominicæ Cænæ memoria celebrari debeat, verbo videtur tradidisse. Ita enim ad Corinthios, cùm sermoni, de Sacramento Eucharistiæ instituto, finem imposuisset, scribit; *Cætera, cùm venero, disponam.* Ex quo loco eleganter Augustinus ad Ianuarium scribens, colligit totum illum ordinem agendi, quem vniuersa tenet Ecclesia, à Paulo institutum fuisse; quia nulla morum diuersitate variatur. *Laudo vos* (inquit eandem Corinthiorum Ecclesiam alloquens) *quod per omnia mei memores estis; & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Rursus Timotheo: *Quæ audisti*, inquit, *à me, per multos testes hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Hinc, quod ab Irenæo scriptum est, liceat intelligere, recentem illam Ecclesiam, de multis, quæ literis mandata non erant edoctam ab Apostolis fuisse; quæ eorum successores Episcopi per manus ab ipsis tradita, suis vicissim successoribus Ecclesiisque tradiderunt. Ideò nos Sacram Scripturam controuersiarum iudicem constituimus; non quod cuncta, quæ in litem vocari possunt, sint in ea manifestè definita; sed quod illa omnia, nefaria sacrilegaque sint iudicanda, quæ illi quoquo modo aduersari videbuntur. Iam verò cũ ea Sacræ Paginæ repugnare nequeant, quæ vniuersa Ecclesia vera semper & vbique existimauit, (quippè quam in Charissimam Sponsam Christus Dominus sibi accepit, & eximia quadã pulchritudine decorauit; adeò, vt Paulus veros Christianos, non ob aliud, lucem in Domino appellauerit, quàm quia eius matris lacte nutriti & doctrina instructi fuerant; à qua ipsorum animi nulla er-

2. ad Thessal. c. 2.

1. Cor. c. 11.

August. Epist. 118.

1. Cor. c. 11.

2. ad Timo. c. 5.

Irenæ. lib. 3. c. 4.

rorum nebula occupari, nullaque perfidia inuolui poterant; cùm nec dubia pro certis, nec ſacrilega pro religioſis, nec falſa & commentitia pro veris credenda tradere poſſit) non eſt profectò, cur Sacras Traditiones non obuijs amplectamur vlnis, &, quanta poſſumus, veneratione proſequamur. Hominis enim non ſolidam exquirentis veritatem, ſed erroribus perfugium obſeruantis eſt, præteritorum iudicium pertimeſcere: quod Antiquitas adeò commendauit, vt tam libros omnes, quàm dogmata ad Eccleſiaſticam doctrinam Chriſtianorum mentibus per Spiritum Sanctum viua Apoſtolorum voce inſcriptam, tanquam aurum ad Lydium lapidem, mutuo quodam inter ſe conſenſu, aut probauerit aut reiecerit; & quod illi congruere cõſonareque videretur, illud verum; quod autem ab ea diſſentire appareret, id ſuppoſititium iudicarit. Vnde Tertullianus Latinorum omnium, vt inquit Vincentius Lirinenſis, facilè princeps, cuius authoritas apud ipſos hæreticos tanti ſemper eſt habita, vt vel etiam inuiti illum venerati ſint, dum ſe intrà tutiſſima Catholicæ Chriſti Eccleſiæ caſtra continebat, non alia ſibi ſupereſſe exiſtimauit principia, poſt quæ à varijs hæreticorum oppugnationibus tutus deliteſceret, præter vnam hanc doctrinam Eccleſiaſticam ab exordio Chriſtianorũ per Apoſtolos traditam. Hãc ille ſolam aduerſus ingruẽtes ingenti vi & numero ſui ſeculi hæreſeon catervas, tanquam validiſſimam & inuictiſſimam ducem, ſub qua certa erat victoria, ſectabatur. Quare reiecturus Euangelium illud, quod à Marcione pro Dei verbo Chriſtianis obtruſum fuerat, ad iudicium maiorum recurrendum ſibi arbitratus eſt. Cùmque illud ab eorum doctrina maximè diſſentire comperiſſet, ſeductionem, non Euangelium appellandum duxit. *Conſtituimus*, inquit, *in primis Euangelicum inſtrumentum Apoſtolos authores habere, quibus hoc munus promulgandi ab ipſo Domino ſit impoſitum; ſed & Apoſtolos non tamen ſolos, ſed cum Apoſtolis & poſt Apoſtolos: quoniam prædicatio Diſcipulorum*

Tertull. contra Marcio. lib. 4.

ddd *ſuſpe-*

ſuſpecta fieri poſſet de gloriæ ſtudio, ſi non aſsiſtat illi authoritas Magiſtrorum; imo & Chriſti, qui Apoſtolos Magiſtros fecit. Et paucis interiectis: *Etſi ſub ipſius Pauli nomine Euangelium Marcion intuliſſet, non ſufficeret ad fidem, ſingularitas inſtrumenti, deſtituta patrocinio anteceſſorum. Exigeretur enim id quoque Euangelium quod Paulus inuenit, cui fidem dedit; cui mox ſuum congruere geſtijt. Siquidem propterea Hieroſolymam aſcendit ad cognoſcendos Apoſtolos, & conſulendos, ne forte in vanum cucurriſſet*, id eſt, ne labor, quem ſuſceperat, inanis videretur, ſi ab ijs, qui Chriſtum audierant, in tradenda doctrina Euangelica, aliqua ex parte diſſentiret. *Igitur ſi illuminator Lucæ Paulus* (ait idem) *authoritatem anteceſſorũ & Fidei & prædicationi ſuæ optauit; quantò magis eam Euangelio Lucæ expoſtulem, quæ Euangelio Magiſtri eius fuit neceſſaria?*

Denique vt authoritatem inconcuſſam & perpetuam Eccleſiaſticæ Traditioni eſſe oſtenderet, negabat idem Tertullianus cum hæreticis ex Scripturis agendum eſſe: *Ne nobis illi falsò* (vt ille aiebat) *quos nos illis veriſſimè, impingant, à nobis adulteria Scripturarum, & expoſitionum mendacia afferri. Non ergò ad Scripturas prouocandum, nec in his conſtituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta eſt victoria, aut parum certa; ſed initio diſputandum, à quo, per quos, & quibus ſit tradita diſciplina, qua ſumus Chriſtiani.* Quam ea ratione procul dubio deprehendi poſſe demonſtrat; ſi, vt à Chriſto in Apoſtolos, ab Apoſtolis in Eccleſias, quibus illi Chriſtum viua voce annunciarunt, & ab ijs ad Colonias, quæ inde deductæ ſunt, deſcendit Fides Chriſtiana: ita eodem gradu, ſed retroacto ab Eccleſiis recentioribus ad antiquas illas Eccleſias, & ab ijs ad Apoſtolos, & ab illis ad Chriſtum, certiſſimum puriſſimumque veritatis fontem conſcendatur. Hinc rituum & cærimoniarum Chriſtianarum rationem non ſemper ex ſcripturis, ſed ex viuis veterum Traditionibus petendum eſſe prudẽter tradit, luculenterque demõſtrat: cum frondeam coronam Chriſtianis geſtandam non eſſe ea ratione nixus aſſerit, quod ita Antiquitas obſeruauerit.

Tertull. lib. de præſcrip. hæreticor.

rit. *Omnes,*inquit, *ita obseruant, à Catechumenis vsque ad Confessores, vsque ad Martyres vel negatores. Viderint, vnde authoritas moris, de qua nunc maximè quæritur. Hanc si nulla Scriptura determinauit, certè consuetudo corroborauit; quæ sine dubio de Traditione manauit. Quomodo enim vsurpari quid potest, si prius traditum non est? Etiam in traditionis obtentu exigenda est* (inquis) *authoritas scripta? Ergò quæramus, an & Traditio non scripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam; si vlla exempla præiudicent aliarum obseruationum, quas sine vllius Scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vendicamus.* Quo in loco cùm varias sacrorum rituum enumerasset species, vt sunt abrenunciatio in Baptismo & amplior, dum baptizamur, responsio, quàm Dominus in Euangelio instituit, & antelucana Eucharistia, & oblationes anniuersariæ pro defunctis, pro Natalitijs, alijsque id genus non scriptis, ita demum colligit. *Harum & similium disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix & fides obseruatrix: rationem traditioni, consuetudini, Fidei, patrocinaturam aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexerit disces.* Quam sententiam cùm sæpè aliàs & maximè contrà Marcionem & eo libro, quem de velandis virginibus scripsit, tenuerit; se quidem semper in proposito susceptoq. consilio permãsisse liquidò ostẽdit.

Libro de corona militis.

Tertul. li. 1. cont. Marc. lib. 2. ad vxo. li. de veland. virgi. & libr. de præscr. hær.

Nec verò pubescens Ecclesia in Asia aliter sensit, vt vnus instar omnium Serapion, vir doctrina & pietate clarissimus à D. Petro Antiochenæ Ecclesiæ Præsul creatus, suo demonstrauit exemplo. Cùm enim nonnulli Marciani acribus aduersus Catholicos furijs agitati, Euangeliũ, quod D. Petri dicebatur vrgerent; non alia ope illud reijciendum, exauthorandumque putauit pius Pastor, quàm Traditionis non scriptæ vi & firmitudine & certissima authoritate; cui illud haudquaquam cõcordare videbatur. *Nos enim fratres* (inquit ille) *& Petri & aliorum doctrinam Apostolorum recipimus, sicut & Christi: sed libros quosdam eorum nominibus falsò inscriptos, vtpotè eius rei satis experti, omninò repudiamus.*

Dion. Ecclesiast. Hier. li. 5. c. 5. Clemens lib. 7. Strom. sub fin. quem refert Euseb. lib. 5. c. 11. Chrysost. homil. de Adam & Eua. Iusti. q. 118. à Gent. posi. Irenæ. lib. 3. c. 3. et 4. quē citat Euseb. lib. 4. c. 14. & lib. 5 c. 6 Epipha. plurib. in locis, sed præcipuè circà hæresim. 79 Cyprian. de ablutione pedum. Hieron. aduers. Luciferian. Aug. lib. 2. de Baptism. cōtrà Donatist. ca. 7. & lib. 4. c. 24. Damas. li 4. de orthodo. fide. c. 13. & 17. Basil. lib. de Spir. Sancto c. 27. & 29.

diamus, idque pro certò cognoscentes nos eiusmodi non aliquando ab illis accepisse.

Quid Diuos referam, Dionysium, Clementem Alexandrinum, Chrysostomum, Iustinum Martyrem, Irenæum, Epiphanium, Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, Damascenum, Basilium, quorum nullus extitit, qui Diuinas, Apostolicas, Ecclesiasticasque Traditiones non summa prosequutus sit obseruantia? Nec mirum, si hi, quorum authoritatum ipsa Antiquitas euehit & extollit, quorum diligentiam & assiduum laborem in Ecclesiarum ministratione, atque in hæreticorum dogmatum extirpatione susceptum iure optimo posteri cōmendant, & quotquot Catholici vnquam erunt, maximè commēdabunt, Sacras Apostolorum Traditiones tanti fecerint, vt tanquam manifestum Dei verbum habendas prædicarint: & eas fidei normam, & certam Religionis regulam appellarint, ac omnibus tanquam Diuinas ipsas Scripturas credendas & obseruandas proposuerint: cùm & Apostoli totius Orbis Magistri constituti, & Spiritus Sancti, cuius primitias accepisse ipsi sæpius testantur, tantis dotibus locupletati & Christi Spiritu magistro freti suam vbique Gentium doctrinam pro verbo Dei tradiderint; adeò vt Cathecumenos atque Neophitos non alia re in suscepta semel Euangelica Fide confirmauerint, corroborauerint, ac munierint aduersus pseudoapostolorum fraudes; quàm tradita à se dudum doctrina. Ad hanc enim veluti Euangelicæ Fidei normam, inuiolatam, incorruptā, atque indeflexam semper retinendam suos quisque summa animi contentione frequenter hortabatur.

Hoc antidotum aduersus grassantia errorum venena à D. Ioanne Christianis exhibitum est. *Nunc*, inquit, *Antichristi facti sunt multi; vnde scimus, quia nouissima hora est. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum; sed vt manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis; sed vos vnctionem habetis à Sancto, & nostis omnia.*

Non

Non scripsi nobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam. Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat: quia si in vobis permanserit, quod audistis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis. Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos, & vos vnctionē, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis, vt aliquis doceat vos; sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus. Ecce quomodo Ioannes Christianos Catholicos aduersus hæreticos originali illa, atque pura, puta principio tradita, doctrina corroborauit, muniuit, & in veritate confirmauit, necnon iisdem armis impios Ebionitas & impuros Gnosticos à Christianorum finibus amouit, expulit, & exterminauit. Quos tamen quanquam sine scripto Dei verbo refellit, non sine Dei verbo docuit. *Quod audistis* (inquit) *ab initio in vobis permaneat; quia si in vobis permanserit, quod audistis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis.* Idest pristinam Euangelicæ Fidei doctrinam firmissimè retinete; & quemadmodum Patris æterni Diuinitatem fidei assensu constanter fatemini: sic & Filium Deum esse verum credetis: & hoc tanquam rem certam & exploratam, in qua dubitatio nulla esse possit, tenendum nunciabitis.

Eodem etiam antidoto Iudæorum animos ad Christū iam pridem conuersorum ab omni fœditate, turpitudine & peccatorum sordibus liberare & mundos custodire, pro sua etiam virili parte Iacobus Apostolus curauit. *Propter quod*, ait, *abijcientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.* Idest, verbum illud, quod potest animis vestris salutem adferre, iampridem non stylo insculptum aut typis impressum, sed à Spiritu Sancto per Apostolorum ora, in vestris cordibus, plantatum, retinete inconuulsum, inuiolatum seruate, saluum & incolume custodite. *Epist. Cano. cap. 1.*

Hinc est illud Pauli ad Timotheum; *Tu permane in ijs, quæ didicisti, quæ credita sunt tibi, sciens, à quo didiceris. Permane* (inquit) *in ijs, quæ didicisti*, hoc est, iterum atque iterum te moneo, vt constans firmusque sis in ea Euangelica doctrina, *2. ad Timot. cap. 3.*

trina, quam Christianis omnibus omninò necessariam didicisti. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & dilectione, in Christo Iesu*, sed & *permane in ijs quæ credita sunt tibi, sciens, à quo didiceris.* Ac si diceret: Recondita illa ac occulta mysteriorum Fidei doctrina, quæ tibi concredita est, tibi fideliter sit conseruanda. *Tu ergo fili mi confortare in gratiâ, quæ est in Christo Iesu, & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Ecce Apostolus hunc egregium virum constantem & robustum esse iubet in edocenda gratia Dei, quæ data est in Christo Iesu, & non solùm gratiam, sed etiam, quæ de Christo sunt arcana & recondita mysteria non nisi fidelibus dignisq. Antistitibus, & Ecclesiarum Primatibus, qui alios docere valeant, tradenda esse cautè significat, diligentissimèque monet, quia non ea passim quibuslibet hominibus & imperitæ plebeculæ fidenda arbitratur. Hæc ergò secretiora mysteria ne in vulgus profer, sed commêda (vt est apud Chrysostomum) veluti Regium Thesaurum, qui tutissimum locum, in quo reconditus seruetur, quasi iure suo expostulat. *Commenda* (inquam) *hæc fidelibus hominibus*, idest Episcopis & Presbyteris. *Bonum depositum, custodi per Spiritum Sanctum qui habitat in vobis.* Hoc depositum, inquit Tertullianus, Traditiones sunt Ecclesiasticę doctrinæ, per viuam vocem traductæ, & per Spiritum Sanctum conseruatæ. Si igitur D. Petrus D. Ioannes, D. Iacobus, & D Paulus non ad Scripturas, sed ad Euangelicæ doctrinæ Traditionem grassantibus hæresibus Christianos confugere voluerunt, ad Apostolicam, inquam, doctrinam, Ecclesijs ab exordio traditam, (quam ipsi licet non charta contentam, attamen in animis fidelium inscriptam & exaratam pro verbo Dei tum habendam, tum credendam Christianis populis proposuerant, quęque semper ea fuit, ad quam Euangelia, etiam Apostolorum nominibus inscripta, fuerunt explorata; nec nisi quæ cum illa omninò consentirent, approbata sunt) eam iam hæretici verbum esse

2. ad Timot. c. 1.

2. ad Timot. c. 2.

2. ad Timot. c. 1.

Tertull. lib. de præscr.

esse Dei, quod non totum Sacris Literis inclusum est, & Fidei Canonem atque certissimam Euangelicæ doctrinæ regulam vel inuiti agnoscant, fateantur & recipiant.

CAP. VIII

SEd neque hic nobis sistendum, quamuis beneuolus Lector tœdio fortasse afficiatur, sed vlterius progrediendum arbitramur: vt & aduersarijs elabendi omnem eripiamus locum, & Euangelicæ veritatis studiosis fructus iucundissimos, eosdemque vtilissimos iuxtà ac vberrimos doctrinæ proculdubiò Euangelicæ colligendos præbeamus. Cùm Apostoli prouinciam sanè grandem Euangelij Dominici, vniuerso mundo annunciandi suscepissent (quæ cunctorum mortalium humeris longè impar, nec vllis sustinenda erat, qui eiusdem Christi beneficio corroborati non essent Spiritus Sancti virtute, cuius primitijs acceptis Apostoli suo munere optimè perfuncti sunt) non in Iudæa perpetuò constiterunt; sed postquam vndique oues domus Israelis Christo vero Pastori congregarunt, ad Gentes Christo etiam colligendas ex imperio Spiritus Sancti commigrarunt; & post magistri sui ad cælos reditum, priusquā Euangelistarum aliquis Euangelica dogmata literis exarasset, duodecim annis, vt Apollonio Senatori Romano apud Eusebium placet, aut quindecim, quod Nicephoro magis arridet, Sacrosanctum Christi Euangelium sola viuæ vocis insitione, innumerorum mortalium cordibus inseuerunt: Nam ab his Iudæorum plurimi Euangelicam suscipiunt doctrinam; suscipiunt Samaritani, suscipiunt toto deinde Orbe Gentes, nec tamen illi Gentes, nec illi Samaritanos, nec illi Iudæos diuturna librorum lectione, sed assidua Diuinorum arcanorum expositione, Euangeliique viua voce annunciatione (in qua esse aliquid latentis energiæ agnouit Hieronymus) ad Christi Ecclesiam adducere conati sunt. Huiusmodi enim annūciationis assertionem non argumento humani sermonis, sed Diuinæ virtutis astipulatione indigere optimè cognouerant. Quare etiam hi tam admira-

Eusebius.
Nicephorus

Hierony. ad Paulin.

mirabiles viri & reipſa tantas primitias Spiritus Sancti habentes, & tam caſtæ vitæ integritate ac morum commendatione eximij, & vniuerſo virtutis genere tam inſigniter exornati, atque ita diuina & admirabili potentia à Saluatore accepta cōdecorati, non exquiſita verborum fabricatorum ſolertia, non artis humanæ adminiculo doctrinam Magiſtri ſui, ac pręcepta exponere vnquam tentarunt: ſed aperta & manifeſta docendi ratione à Sacroſancto Spiritu ſibi ipſis opem ferente infuſa, & præſtanti Chriſti virtute tot miraculorum effectrice vtentes, regiam viam ad veram & ſempiternam felicitatem conſequendā, oſtenderunt cunctis Gentibus per vniuerſum Orbem longè diſperſis, quas viua voce docere nunquam non ſoliti ſunt. Nec verò, qui ad ſcribendum animum appulerunt Apoſtoli, Sancti Spiritus afflatu impulſi, vniuerſam Euāgelicam doctrinam literis, (vt ex ſcriptis, quæ nunc etiā extant, manifeſtè patet) complecti voluerunt, quippe qui in animo habentes hominibus iampridem Chriſtiana fide imbutis ſummatim narrare, quæ à Chriſto geſta fuerant, iuxtà temporis exigentiam & neceſſitatem, ſcribendi ſtudio operam nauarunt. Quo facto ipſi hæretici, vel coacti, non poſſunt non fateri, ab Apoſtolis declaratum eſſe, ita Religionis noſtræ fundamenta literarum monumentis fuiſſe conſignanda, vt non omnia illis eſſent neceſſariò commendanda. Paulus enim, qui inter omnes verborum elegantia ac ſententiarum grauitate maximè pollebat, quamuis infinita propè arcana myſteria teneret animo, vt qui ad tertium vſque cœlum ſublatus diuinarum rerum contemplationem guſtarat, & ad verba ſecreta & myſterij plena audienda admiſſus fuerat, præter quaſdam & eas pauciſſimas Epiſtolas, nihil amplius monumentis mandauit; quæ verò ſecretiora erant, homini ea loqui non licere, apertè teſtatus eſt. Quod & reliqui pænè innumeri ſibi diuinitus datum conſilium ſequuti ſunt; qui cùm eiuſmodi arcanorum nec expertes nec ignari

ri fuissent, vt cæteri Apostoli & Discipuli, aliique quamplurimi, quos numerare nō est necesse, multa, quæ à Deo didicerant, non sine mirabili eiusdem Dei prouidentia relinquere fideliū animis insculpta, & Ecclesiæ concredita viuæ vocis attestatione, ex hac vita migraturi maluerunt, quàm ea literis exarata posteritati commendare. Non enim, vt aliquam methodum constituerent, aut vt totam Christianam Fidem complecterentur, ad scribendum sese contulerunt, sed vt singuli suos, sicut Paulus ante annos quindecim Ephesios & Colossenses, Petrus Ethnicos in Ponto & Bithynia ante vigintiquinque annos ad Christum conuersos, Iacobus Iudæos in dispersione agentes Christiana Fide multò ante imbutos, Iudas Iacobi frater omnium nouissimus Christianos in vniuersum omnes aduersus pullulantem passim hæreseon pestem quasi celeberrimo antidoto præmunirent: & inter grassantia adulterinæ doctrinæ venena agentes, tanquam porrecta Theriaca conseruarent, infectosue sanitati restituerent, deuios & ab Euangelij scopo valdè aberrantes ad verum iter & ad veram Catholicæ veritatis cognitionem reducerent, Hoc verò nullus, qui sacra perlegerit volumina, nisi omninò rationis expers sit, inficiari poterit; cùm ex ipso orationis filo id liquidò appareat. Illi enim ad fortem in suscepta dudum Euangelica doctrina constantiam homines adhortantur; & seductoribus, ac hæreticis interdùm obliquè, interdum verò directè bellum summa animorum fortitudine inferunt. Quod ne leui aliqua ducti coniectura asserere videamur, ipsum Apostolorum Principem audiamus: Sic enim ait: *Hanc ecce, vobis, charissimi, secundam scribo Epistolam, in quibus vestram excito in commonitione synceram mentem, vt memores sitis eorum, quæ prædixi, verborū, à Sanctis Prophetis, & Apostolorū vestrorum, præceptorū Domini, & Saluatoris, hoc primū scientes, quod venient in nouissimis diebus in deceptione illusores iuxtà proprias consci entias ambulantes.* Quod si ad D. Pauli Epistolas mentes nostras referamus, nemo à natura hu- 2. Petr. c. 3.

mana tam remotus erit, nemo tam duræ ceruicis, & obstinati animi, qui ipsa verborum serie & sententiarum pondere conuictus non cogatur fateri, Paulum ea dumtaxat, quæ in Religione Christiana sunt potissima, & ad reliqua cognoscenda viam muniunt, paucis illis Epistolis disserendo explicasse. Dum enim quosdam ab errore reuocat; aliorum fidem confirmat; pietate suos informat; Religione imbuit; & ad virtutis incendit studium; dum pseudoapostolorum petulantiam retundit; perfidiam coercet; atque à fidelium animis prauas & impias opiniones extrahit, easque funditus euertit; plurima quidem, eaque amplissima mysteria, & quæ sunt tum ad salutem magis necessaria, tum cognitu digniora, scribendo illustrauit.

Vtramque ad Corinthios Epistolam attentè perlegamus, & quauis luce clarius apparebit eo animo Paulum scripsisse Corinthiis, vt in doctrinæ præceptis dudum sibi traditis confirmarentur, & tanquam sibi acribus additis calcaribus ad Religionis Christianæ studium & amorem denuò incitati prouocarentur; nec alium tandem sibi finem & scopum proposuisse, quàm domesticas turbas, & Christianorum inter sese lites excitatas sedare, & eos ad persistendum in officio exhortari, ac denique aduersus pseudoapostolos armare; quod & ad Titum ac Timotheum scribens diligentissimè obseruauit. Eos verò dum exhortatur, vt fidem, quam à seipso acceperant, conseruent, & vt nullius persuasionibus, nullius authoritate, nullo verborum fuco, nullo orationis pondere ab ea recedant, iterum atque iterum monet; ipsarum Traditionum pondus & efficaciam optimè demonstrat. Quòd si eas euertere, & Ecclesiæ veram ac integram Euangelij doctrinam exactè scriptis contentam tradere studuisset, quicquid profectò ipse docuerat, literis consignasset. Hoc autem tantùm abest, vt præstiterit, vt potius omnem à se traditam doctrinam breui commendarit oratione; eamque

Tra-

Traditione obſignatam,& contrà omnes pullulantes hæ reſes,& pſeudoapoſtolorum commentitia dogmata munitam reliquerit. Hoc illud eſt ad Theſſalonicenſes: *Rogamus vos fratres per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt non citò moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per Spiritum, neque per ſermonem, neque per Epiſtolam tanquam per nos miſſam.* Ideſt; Perfidiam illorum, qui noſtram adulterari doctrinam moliuntur, prudenter obſeruate, &, ne ab illis decipiamini, mementote eorum, quæ à nobis accepiſtis; ita, vt ſi aliter quis doceat, ei conſtanter Fidei dogmata, quæ tradidi vobis, opponatis: vt eorum recordatione omniũ perditorum hominum furorem & audaciam comprimere poſſitis. Quare & ſubdidit: *Itaque fratres, ſtate, & tenete Traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram.* Similiter Timotheo ac Tito traditam dudum doctrinam commendauit;& vt ſanorum verborum, quæ à ſe audierant, nunquam non recordarentur, breui quadam ſuaſit oratione. Nec enim fieri poſſet, vt breuiſſimis illis li teris, quibus non omnia comprehendebantur, Timotheus ac Titus ſuam ad omnia ſtabilirent doctrinam; ſi nihil eſſe in Traditionibus momenti Paulus arbitraretur. De qua procul dubio certiſſima veritate ipſe etiam D. Pe trus teſtimonium perhibuit, qui ſuos ad laborum toleran tiam, & pręmij futuri firmiſſimam ſpem, ac aduerſus hæreticos inſtruens, ait: *Propter quod hæc expectantes ſatagite immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace; & Domini noſtri longanimitatem ſalutem arbitremini, ſicut & chariſsimus frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem.* Idipſum etiam à B. Ioanne obſeruatum eſſe in Canonica ſua Epiſtola nullus ambigit: cùm & ipſe ſuis hæc dicat: *Scripſi vobis de his, qui vos ſeducunt.* Iam verò Paulus, cùm ad Romanos ſcribendi ſtylum conuertiſset, qui decem annis ad minus per Petrum alioſque

2. ad Theſſal. c. 2.

2. Petr. c. 3.

1. Ioan. c. 2.

Euangelicis mysteriis instructi fuerant, superuacaneum duxit totam Euangelicæ doctrinæ summam literis complecti: sed cùm grauissimam illam de Iustificatione disputationem exactissimè absoluisset, an scilicet per operū merita, an verò per Fidem potius in Christum Iesum animis iustitia contingat, difficilesque Iudaicæ reprobationis explicationes compleuisset, fusiorem adhibuit exhortationem, vt homines induceret, ad obedientiam magistratui ciuili præstandam, vitamque Christiano homine dignam instruendam; vtpotè qui vniuersa Fidei dogmata & totam Christianam doctrinam monumentis mandare minimè decreuerat, sed quædam tantùm in memoriam Romanis reuocare. *Certus sum*, inquit ille, *fratres mei & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita vt possitis alterutrum monere. Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tanquam in memoriam vos reducens.*

Rom. c. 15.

CAP. IX.

2. ad Timoth. 3.

Nec verò est, cur Pauli ad Timotheum scribentis sententiam callidè mihi obiiciant aduersarij: non enim me latet, Paulum in posteriore Epistola, quam illi iam iam morti propinquus scripserat, vt eum ad Scripturæ Sacræ lectionem ac meditationem magis alliceret, addidisse, ab ea Dei hominem ad omne opus bonum instructum & perfectum reddi. Qua quidem priorem alteram ad Thessalonicenses sententiam, *State fratres, & tenete Traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram*, euersam esse arbitrantur, & multo id verborum fuco suadere moliuntur. Adeò enim à mente Pauli alienum fuit, ita Euangelij doctrinam scriptis alligare, vt nihil, quod non esset scripto memoriæ proditum, credendum proposuerit: vt potius satis Ecclesiæ (quam à Spiritu Sancto foueri optimè nouerat) consultum existimauerit, si quædam monumentis literarum comprehensa, alia verò animis consignata reliquisset. Quamobrem non possumus non liberè asserere, nebulones istos in votis habuisse, splēdidissimum Orbis lumen Paulum tetra negligentiæ & tarditatis

2. ad Thessal. c. 2.

tis

tis macula in procuranda animorum ſalute aſpergere: quod, vt impium, ita prorſus Chriſtiano viro indignum eſſe prædicamus. Si enim doctiſſimus Irenæus, qui paulò poſt Apoſtolorum Petri & Pauli mortem floruit, memoriæ prodit: Ioannem Senatuſconſultò ab exilio cum reliquis, quos Domitianus abſque vlla cauſſa relegauerat, reuocatum ſub Imperatore Nerua Euangelium, quod toto triennio ſine ſcriptura annunciauerat, Epheſi ſcripſiſſe, in quo tot, ac tanta Religionis noſtræ myſteria ab aliis prætermiſſa continentur: qui fieri poteſt, vt Paulus, qui nullam à ſe diuinorum cõſiliorum partem prætermiſſam aſſeruit (vnde & illum abſcondita & arcana myſteria à Ioanne poſteà ſcriptis mandata enumeraſſe certiſſime tenendum eſt) voluiſſet ſic literis comprehenſa omnia, quæ ad Fidem & Religionem ſpectant, & neceſſariò ſunt credenda, vt nihil, quod ſcriptum non eſſet, recipiendum foret? Nos igitur rectius de Paulo ſentientes ab eo vniuerſos mortales admonitos dicamus: ne Sacrarum Literarum finibus Chriſtianam Fidem contractam eſſe ducerent. Ita enim in ipſo ſcribendi initio Traditiones extulit & commendauit, vt ſcribendi ſtudio ac munere ſimul cum vita defunctus quamplurima, quæ viua voce docuerat, non minori diligentia conſeruanda reliquerit, quàm ea, quæ literis exarauerat.

Euſeb. lib 3. cap. 15.

Hierony. & Beda lib. de ſex mundi ætatib.

Quamobrem, quamuis longè aliter loquendum nobis eſſe arbitrentur hæretici de Teſtamenti noui doctrina, quando vnica tantùm à Paulo ſcripta erat Epiſtola: ac cùm tot libris, & Epiſtolis tradita & explicata eſt: ratio tamen, quam in ſcribendo Paulus ſemper obſeruauit, nos optimè docet, ita aptè Fidei integritatem Traditionum præſidiis conſeruari, tantumque in illarum Eccleſiæque authoritate ineſſe ponderis, & momenti, vt æquè Traditiones ac Scripturas (vtræque enim ſunt Dei verbum) ab ipſo commendatas fuiſſe exploratum compertumque ſit, vti præter multos noſtræ ætatis pietate & doctrina cla-

clarissimos viros, Chrysostomus, Theophilactus, & Oecumenius, quos omni reprehensione immunes ac liberos sanctitatis splendor, ac vetustatis maiestas tuetur & conseruat, prudenter aduertunt. Ex quibus Chrysostomus, *Traditio* (inquit) *est, nihil quæras amplius.* Quam sententiam Hieronymum, & Primasium sequutos fuisse facilè agnoscet, qui eorum volumina legendo contrectauerit.

Chrysost. in ep. ad Thes. 2. c. 2. ho. 4.

Iam verò, vt ad Pauli sentētiam nostra reducatur oratio, si Chrysostomi & Anselmi authoritas apud hæreticos alicuius momenti est, quæ apud nos plurimùm valet, ipsorum hac de re iudicium, litem omnem dirimere, & controuersiam sedare facilè poterit: qui de solis veteris Testamenti scriptis, quæ Timotheum dixerat ab infantia didicisse, Paulum egisse meritò arbitrantur. Quorum vim vt ostenderet & discipulum studiis eorum à pueritia deditum ad officium colendum magis ac magis excitaret, miris laudibus Scripturam Sacram extulit. Lex enim & Prophetę Christum Dei filium veluti digito ostendūt: præceptis ad morum efformationem accōmodatissimis redundant, quibus cùm Christiana Religio veluti cardine suo vertatur, idcircò hominem Dei lectione eorum effici perfectum, & ad omne opus bonum instructum docuit Paulus.

Chrysost. in epist. ad Timot. hom. 8.

Ex hac autem Testamenti veteris commendatione, quantum in nouo, quod veteri longissimè antecellit, opū & splendoris insit, cum Chrysostomo quiuis nullo negotio poterit colligere. An verò hinc idonea illatione educi queat, omnia cognitu necessaria Sacra Pagina ita esse comprehensa, vt Sacras Apostolorum Traditiones obseruare superuacaneum sit, qui sanum sapis, iudex esto.

Verum quis adeò hebeti ingenio esse poterit, vt ex eo quod Ecclesiæ ministris vtile sit Scripturam Diuinam, diu attentisque animis meditari, vt ea ad omne opus bonum (quod Paulus ait) instruantur, & perfecti reddantur, nihil in illa mysteriorum desiderari iudicet? Nulla

Diuinæ

Diuinæ Scripturæ vel breuissima pars, quæ tantis his Spiritus Sancti dotibus non affluat, signari poterit. Si enim secundam D. Ioannis Epistolam, quæ omnium librorum, quos sacros vocamus, breuissima est, attentis animis contemplemur, in ea Christum verum Dei filium dici (quod potissimum Fidei dogma est) & proximi dilectionem non commendari tantùm, verùm & necessariā omninò prædicari apertissimè comperiemus: quod sanè ad Christianorum animos salutaribus documentis imbuendos maximè spectat. Cùm verò ille inquit, *hoc est mandatum, vt quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis: quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum uenisse in carne*; ad confutandos profectò hæreticos muniri Ecclesię ministros manifestè apparet, sicut & ad morum efformationem & correptionē instrui. Monet enim, vt qui hanc non afferat doctrinam, nequaquam domi excipiatur; nec illi aue, dicatur; quia quicunque dicit illi, aue, communicat cum eo, vt ille ait, in operibus malignis. Ad hoc igitur omnis illa, cuius Deus author ostenditur, Scriptura data est, vt proficiat imperitis, & vitiis deformes venustet, adducens iniquos ad iustitiam; vt homo Dei in omni opere bono perfectus sit. Non tamē proptereà Ecclesiæ maiestas, pondus, & authoritas imminuenda est; quin potius, quò omnis Scriptura diuinitus in lucem edita vtilior est ad perficiendum hominem Dei, eundemq. omni ex parte absolutum reddere potentior existit, vt alios doceat, & in veritate confirmet; eò profectò magis vel ipsis Sacris Literis testantibus, Christi Ecclesia tantis Spiritus Sancti præsidiis munitur, vt nec erroribus subiici, nec ignorantiæ caligine tegi, nec tandem corrupta aliqua opinione infici posit Quòd si ita Ecclesiæ dignitatem & integritatem Sacræ Literæ efferunt: si ita manifestè illam à vero deflectere nunquam posse demonstrāt, eæ profectò Sacras Traditiones vnanimi totius Ecclesiæ consensione receptas, eximiæ cuiusdam dignitatis esse,

2.Ioan.epist. c.vnico.

quin-

quinimò idem pondus & eandem authoritatem ſecum habere oſtendunt & confirmant. Non poſſunt enim Traditionum authoritatem non extollere, quæ Eccleſiæ eas tradentis dignitatem adeò amplificant.

Hiero. in c. 23. Matth. ſententia. expenditur.

Quare, qui illa D. Hieronymi ſententia, *Quicquid de Scripturis Sacris authoritatem non habet, eadem facilitate contemnendum, qua probatur,* deluſi in eum, quem reiicimus, &, vt par eſt, confutamus errorem præcipites ſe dederunt, ſententiæ noſtræ refragari deſinant. Hieronymus enim non ait, Quicquid de Scripturis authoritatem non habet; ſed quod quidam temerè ex Apocrypho libro probare nitebantur, Zachariam ſcilicet, quem Iudæi occiderunt inter templũ & altare, fuiſſe patrem Ioannis Baptiſtæ, hoc, inquit, quia de ſcripturis authoritatem non habet (erant enim ἀπόκρυφα monumenta, quæ adducebantur) eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Intelligant prætereà aduerſarij, hæc duo, nempe Euangelij miniſtros ad docendũ perfectiſsimos Scriptura diuinitus dictata effici, & Traditionum exactiſsimam cognitionem eſſe illis maximè neceſſariam, ita inter ſe ſe cohærerere; vt, qua ratione Eccleſiæ dignitas effertur, & Traditiones eius extolli oporteat. Illud ergò cùm Sacræ Scripturæ præſtent, & hoc eas perficere liquidius, quàm vt longiori oratione dem onſtrandum, cunctis iam conſtet, nullus non exploratum & compertum habeat.

Non eſt autem, cur Paulum ſibi patronum aſſumant aduerſarij; niſi nobiſcum ſententiæ eius adhærere, Sacras recipere Traditiones & colere & venerari, obſeruantia denique ſumma omnia illa proſequi velint, quæ ab Apoſtolis profecta ad nos veluti per manus deueniſſe certo certius apparet. Hoc ſanè modo omnis de Traditionibus quæſtio finem capiet, omnis controuerſia ſopietur: firmiſſima inter nos pax conſtituetur, ſempiternoque Fidei & Religionis fœdere deuinciemur. Et tunc illi videbunt ſe nihil D. Pauli menti magis conſonum, ſibi verò vtilius,

ac

ac nobis gratius præstare potuisse: tunc omni procul caligine remota conspicient, nihil aliud Paulum, quàm immemorabiles vtilitates, quæ ex Sacrarum Scripturarum lectione scaturiunt, & copiosissimè profluunt, vnica eaq. breuissima oratione complecti voluisse. Quid enim maius, quid sublimius mente comprehendi, nedum verbis exprimi, potest; quidue Sacræ Paginæ dignitatem magis amplificat, quàm eam vtilem dici ad hominem Dei perfectum efficiendum, & ad omne opus bonum instructum reddendum, hoc est, ad Euangelij ministrum apprimè instruendum ad muneris sui functionem? Hoc autem Traditiones Sacras minimè excludit: quippe quòd non ideò Diuinis Literis contineri, quicquid opus est ad perfectionem illam habendam colligit, sed vtilem tantùm Scripturam dicit ad doctrinam, ad correctionem, ad redintegrationem, ad eruditionem, quæ est in ipsa iustitia; vt paratus sit homo Dei, & ad omne opus bonum consummatus: sic enim vertit Ambrosius. Quamobrem idem Paulus (quia Ecclesiarum, quas instituerat, minimè intererat, omnia, quæ docuerat, literis explicari) ne illi, qui, dum plurima (quorum partem Apostolorum alij scripserunt, partem nos Traditione conseruata tenemus) in illis desiderari posse intuerentur, temerè sibi persuaderent aliquid Diuinorum consiliorum prætermissum fuisse, quod sibi non esset annunciatum, ad Hebræos scribens ait; *Quapropter intermittentes incboationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, non rursus iacientes fundamentum Pænitentiæ ab operibus mortuis, & Fidei ad Deum, Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac Resurrectionis mortuorum, & Iudicij æterni.* Quæ certè Fidei rudimenta ad salutem prorsus necessaria cùm ille arbitratus esset fusioris sermonis explicatione minimè egere apud Christianos Euangelica doctrina iamdiu instructos, ad perfectiora Fidei dogmata transire operæ pretium duxit. Nec iam elementarem doctrinam, qua Catechumeni ad mysteria nostra erudiebantur, tradendam *Hebr. c. 6.*

fff exi-

existimauit: Sed ad Christi maiestatem & Sacerdotium & Christianæ Religionis sacrificium, nouiq. Testamenti præ illo veteri excellentiam ostendendam sermonem suum conuertit.

Quòd si ad Sacros Euangelij Scriptores Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem, & ad eorum scripta acri iudicio examinanda oculos conferamus; illos profectò omnes, vt tempori, quo degebant, & Christianis, quibuscum sermonem habebant, prudenter inseruirent, ea solummodò Fidei dogmata in literas redegisse reperiemus, quæ tunc scribenda vel pertractanda necessariò credebant, nec sine maximo Ecclesiarum damno, quorum ministerio incumbebant, silentio præteriri posse iudicabant. Nam Matthæus profectionem parans in Aethiopiam, quæ sibi ad euulgandum Christi Euangelium contigerat, breuem gestorum Christi historiam & annunciati Euangelij compendium literis Hebraicis exarauit, propter eos, qui ex Circumcisione crediderant. Marcus etiam, qui D. Petrum ex Oriente Romam ad profligandas Simonis Magi præstigias profectum comitatus fuerat, à Romanis rogatus, vt quam viua voce D. Petrus tradiderat, doctrinam alumnis suis perpetuò conseruandam scriptis ederet, iustissimum existimans fore pio eorum desiderio satisfacere, quæ D. Petrus feliciter Romæ docuerat, literis prodere aggressus est. Quod volumen cùm perlustrasset Petrus, approbauit, & Ecclesiæ perlegendũ sua authoritate munitum dedit. Quid verò Lucam Apostoli Pauli sectatorem, omnisque peregrinationis eius indiuiduum comitem impulerit, vt Euangelium suum scriptis mandauerit, ipsemet in procemio Euangelij sui melius & distinctius, quàm vt clariori orationis nostræ luce egeat, testatum reliquit. Non enim scripturum sese pollicetur, quæ mysterijs peragendis apta sunt; non quæ arcanis Sacramentorum ritibus sunt excolenda; non quæ silentio tanquam venerationis conciliatore sunt sacrosan-

Euseb. lib. 3. c. 18.

Niceph. lib. 2. c. 45. sic ex Clem. authoritate.

ſancta; ſed *quæ*, inquit ille, *in nobis completæ ſunt, rerum narrationem*. Plures namq. de ijs, quæ certò ipſe edoctus erat, temerè ſcribere conati, falſa quædam & adulterina ſub Euangelij nomine inſcripta, prodiderunt volumina: Cuiuſmodi illud erat, quod à duodecim compoſitum ferebatur Euangelium; & quod Baſilidi adſcribebatur; necnon illud, cuius Matthias author falsò prædicabatur. Quibus libris dubiis ſanè & ancipitibus reiectis (illos enim pij doctique viri, non aliter quàm adulterina numiſmata periti numularij, nunquam approbaturi præ manibus olim habuerunt) & ſermonum veritatis cetitudine percepta Lucas colloquiis & familiari (vt ipſe in præfatione operis ſui teſtatur) conſuetudine illorum adiutus, qui pręclaris Chriſti geſtis adfuerant, ad ſcribendū Euangelium adductus fuit. Quid multis tandem demonſtrare tentabo Ioannem, qui vſque ad vltimum penè vitæ ſuæ tempus Euangelicam doctrinam abſque vllis ſcripturæ indiciis ſeuit, ab Aſiæ Epiſcopis rogatum aduerſus Cerinthum alioſque nonnullos hæreticos, & maximè contrà Ebionitarum dogma tunc exortum ſcripſiſſe: Annon ex ipſius authoris teſtimonio ſatis apertè conſtat, quo animo ad ſcribendum acceſſerit? *Hæc igitur* (inquit ille) *ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei; &, vt credentes vitam habeatis in nomine eius*. Vnde liquet in hoc vno in primis laboraſſe Ioannem, vt contrà Ebionitarum furorem confirmaret ex cæleſti Chriſti doctrina & admirandis rebus ac hominis facultatem excedentibus prorſuſque diuinis, eum verum eſſe Chriſtum, verumque Dei filium.

Ambroſ. in præf. Euangel. Lucæ.

Ioan. c. 20.

Quamobrem non poſſum non vehementer mirari hæreticorum ingenium, & in ſcrutanda Euangelicorum ſcriptorum cauſa diligentiam & ſtudium; qui cùm maniſeſtè aduertant tres Euangeliſtas, dum facta Chriſti hominis & dicta, quæ ad informãdos mores præſentis vitæ maximè valent, copioſius ſunt proſequuti, circà actiuam

vitam fuiſſe verſatos; omnium verò nouiſſimè Ioannem multò pauciora ex iis, quæ à Chriſto geſta actaque fuerant, narraſſe; at dicta præſertim ea, quæ Trinitatis vnitatem & felicitatem æternam inſinuant, diligentius & fuſius ſcripſiſſe (quippe cui Cerinthi & Ebionitarum falſiſſimum dogma euertere & exterminare animus erat, vndè & in contemplatiuæ virtutis commendatione diutius immoratus eſt) audeant nihilominus temerè affirmare Catechiſmi rudimenta, & Chriſtianæ Religionis elementa omnia ab Apoſtolis, & Euangelij ſcriptoribus Sacris Literis exarata, ac poſterorum Eccleſiæ commendata fuiſſe: ſibi verò pudori vertendum non exiſtiment, quòd non meminerint Chryſoſtomum dixiſſe in ea Fidei dogmata Euangeliſtas incubuiſſe ſemper, quæ magis vrgebant; ſi quidem non parum multa abſque ſcripto eos tradidiſſe manifeſtè ſcribit. Hoc & Ioannes Euangeliſta, tanquam elabendi viam hæreticis volens intercludere, docet; inquit enim: *Plura habens vobis ſcribere nolui per chartam & atramentum: ſpero enim me futurum ad vos & os ad os loqui.* Ioannes ergò Fidei myſteria & ſublimiora Chriſtianæ diſciplinæ dogmata ſcribere aggreſſus, pleraque viua voce tradenda in aliud tempus differt: & Paulus arcanum illud, & ſublime Dominicæ Cœnæ Sacramentum aliaque non infima myſteria ediſſerēs, retracto calamo, *Cætera*, ait, *cùm venero, diſponam.* Quod de ijs omnibus, quæ Fidei, quā Corynthij habebant, corrigendæ, augendæ atque perficiendæ deerant, accipiendum docuit Ambroſius, inquiēs; *De ijs, quæ ad Eccleſiæ ædificationem pertinent, præſentia ſua ordinare ſe promiſit.* Traditionum enim pondus ſola Eccleſiæ eas tradentis fide & integritate veluti firmiſſimo quodā propugnaculo muniri, ac defendi ſanctiſſimus tradit Irenæus. *Non oportet*, ait ille, *quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere; cùm Apoſtoli, quaſi in depoſitorium diues, pleniſſimè in eam contulerint omnia, quæ ſint veritatis, vt omnis, quicunque velit, ſumat ex ea potum vitæ.* Nec hic tanta autho-

Chryſoſ. ho. 1. in Acta Apoſtolor.

Ep. 2. Ioan.

1. Cor. c. 11.

Amb. in 11 cap. 1. Cor. Et præter alios Theodoret.

Irenæ. lib. 3. cap. 4.

authoritate vir modum excessit: vt optimè iudicabit, qui æqua lance perpendat Euangelicæ ipsius doctrinæ maiestatem, quæ suo quasi iure postulare videbatur, vt non omnia Fidei arcana mysteria cunctis aut literis exarata proponerentur; aut aperto adeo scriberentur sermone, vt vnusquisque etiam infimæ plebis homo absque vlla ministrorum Christi ope, ac Ecclesiæ doctorum expositione illa capere posset. Si enim nulli non legenti omnia apertè innotescerent, etiā quæ sublimia & suprema sunt, ab insana & præcipiti turba parui penderentur. Nec ob aliud Paulus dicebat se non apud omnes, sed inter perfectos sapientiam loqui, quàm, quia oportuit plura religionis nostræ dogmata per Traditiones Maiorum ad posteros deduci, & in corde Ecclesiæ conseruari, veluti pretiosissimum depositum, ex quo sapientiam illam locis ac temporibus consentaneam Ecclesiæ doctiores haurire possent. In hanc sententiam est illud Dionysij in eo libro, quem de Ecclesiastica hierarchia inscripsit. *Sed obserua*, ait Timotheum alloquens, *diligentius, ne Sancta Sanctorum efferas, neu prophanis luminibus violanda permittas, verùm reuereberis magis, occultiq Dei mysteria spiritualibus visibilibusque nationibus honorabis, atque intemerata seruabis, nequaquam ea passim rudibus tradens sed Sanctis solis Sanctarum rerum intelligentias pandens.* Cū multa quoq. quæ non ex Diuinis Scripturis, sed ex peruetusta Traditione tenemus, sermone percurrisset Basilius, cuiusmodi sunt, quę fiūt in Baptismo; veluti renūciare Satanæ & angelis eius; *Hæc*, inquit, *ex qua Scriptura habemus?* Vtiq. ex priuata & arcana hac Traditione: Proculdubio ex doctrina, quā Patres nostri in silētio, quod curiosos & otiosos submouet, seruarunt. Pulchrè quidem illi: nimirū docti, arcanorum venerationem silentio conseruari. Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui necesse erat eorum doctrinam publico scripto circumferri? Aut quid tandē sibi voluit magnus ille Moses, qui non omnia, quæ erant in templo, passus est omnibus esse peruia, sed propha-

Dionys. libr. de Ecclesia. hierarchia. cap. 1. & ç. 2. p. 1.

De Spiritu sanct. c. 27.

phanos extrà sacros cancellos statuit, prioraque atria purioribus permittēs, Leuitas solos dignos censuit Numinis ministerio: mactationes autem & holocaustomatū oblationes, reliquumque ministerium Sacerdotibus assignauit, atq. vnum ex omnibus selectū in adita recepit: ac ne id quidem semper, sed vno tantùm die quotannis: rursusque huius diei certam horam, qua fas esset ingredi, præstituit, vt propter nouitatem & insolentiam cum stupore intuerentur Sancta Sanctorum, probè sciens, qua erat sapientia, res vsu tritas & passim omnibus expositas plerūque esse contemptui; cæterum, quod sepositum, quodq. rarum est, huic natura coniunctam esse summam admirationem ac studium. Ad eundem profectò modum, & qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli, & Patres, in occulto silentio mysteriis seruauere dignitatem. Neque enim omninò mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur. *Hæc est ratio*, inquit Basilius, *cur quædam citrà scriptum tradita sunt, ne dogmatū cognitio propter assuetudinem vulgo veniret in contemptum. Aliud autem est dogma, aliud edictum: nam dogmata silentur, edicta verò publicantur.* Quare sapienter & cautè Paulus ad Thessalonicenses scribens: *Nocte & die* (inquit) *oramus sedulò, vt videamus faciem vestram, & impleamus, quæ desunt fidei vestræ.*

Vbi suprà vid. Clem. Alexandr. lib. 5. strom.

1. ad Thess. cap. 2.

CAP. X.

QVòd si sublimium mysteriorum maiestas, si Euangelicæ doctrinæ excellentia, si Sacrorum Doctorum authoritas, si priscorum omnium Sanctissimorum Patrū præiudicata sententia, si denique Apostolorum ipsorum apertissima testimonia non adhuc demonstrare hæreticis quiuerunt, multa, eaque non infima, Religionis nostræ dogmata viua voce tradita esse, quæ scriptis non sint ab ipsis mandata, aliquam vel in somniis excogitatam caussam in medium illi proferant, qua ipsos Christi Apostolos à negligentiæ labe, vel in scribendi studio, vel in edocendis & instituendis populis sibi commissis valeant liberare. Nam si literarum monumentis omnia Euangeli-

stæ mandarunt, quæ oratione docuerunt; si nihil hominũ memoriæ custodiendum reliquerunt; cur non eandem omnes in scribendo rationem sequuti sunt? Cur etiam, cùm eandem fidem eademque mysteria omnes tradidissent, in aliquibus nonnulla desiderantur, quæ alij literis consignarunt? An verò suspicari alicui impunè licebit Matthæum, qui Hebræis, & Marcum, qui Romanis Euãgelium scripsit docẽdo prætermisisse, quæ Lucas de nuncio ad Virginem Mariam perlato tradit; quæ de Ioannis Baptistæ augustissima conceptione & ortu narrat; quæ de Christi abiectissimo præsepio & Circumcisione monumentis mandauit; quæ de ipsius in templum aduentu & Simeonis vaticiniis scripto complexus est? An erit aliquis, qui vero simile iudicet Marcum, Lucam, Ioannem, dum suos Euangelica doctrina instruerent, silentio præteriisse, quæ Mathæus de Magis, deque illis, quæ in via eis contigere, de eorum ergà Christum pietate, religione, atque ei exhibito cultu, de infantibus denique ab iniquo Rege occisis exactissimè narrauit? Absit, Absit, de Sacris Apostolis, & Euangelistis tantum scelus vel mente concipere. Quis enim, nisi ad insaniam redigeretur, asserere vellet Marcum Petri auditorem nunquam audiuisse sanctissimum præceptorem suum Diuini Spiritus instinctu disserentem de Diuina Christi natura, de ipsius ortu, de harmonico Angelorum cantu, quo ille mundi huius ingressus Theatrum celebratus fuit, hominibusque felix, faustusque pacis nuncius allatus est, neque ab eo in concione ad populum intellexisse, quã in eundem Christum pietatem ex animo pastores ostenderint, quem illi cultũ exhibuerint, quam denique Religionem impenderint? Si credere nefas summum est, tantũ Magistrum, & totius Ecclesiæ Principem aut hæc ignorasse, aut oblitũ fuisse, aut vltrò dicendo præteriisse; cur quæ ab aliis accuratè literis sunt consignata, Marcus scriptis suis non prodidit?

Non me latet nonnullos extitisse Caluini discipulos,

qui,

qui, vt deliria ac commentitia dogmata ſua vel mentiendo defenderent, auſi ſunt affirmare Marcum in ordinis obſeruatione neglig ētem fuiſſe: cùm tamen ita ille præceptoris ſui inſtitutis ſe accommodauerit, vt eorum, quæ ſcriptis mandari oportere ab eo intellexerat, nihil prætenierit. Nam (ſi Nicephoro adhibenda eſt fides) non ſolùm Petrus ſalutaribus pręceptis voluit Marcum imbuere, verùm quæ literis committi, & quæ contrà ſilentio inuolui volebat, familiari docuit colloquio. Quarè ne Chriſti Apoſtolos in docēdo deſides aut negligētes fuiſſe vllus audeat dicere; Romanoſue & Aſiaticos de Chriſti infantia nihil aliquando audiuiſſe, nihil etiam Iudæos, Romanos, atque Antiochenos de ipſius diuinitate à Ioanne mirificè explicata florentiſſimis illis Eccleſię temporibus intellexiſſe (quod qui diceret exiſtimaſſe crederetur eos, qui Orbis lumina & tanquam duodecim ſtellæ in firmamento poſitæ, meritò habiti ſunt, negligenter admodum in Chriſtianis fide imbuendis ſeſe geſſiſſe) maximè opus eſt, vt cuncti, qui Chriſtiano nomine gaudent, ſibi ipſi perſuadeant nunquam in animum induxiſſe Apoſtolos omnia, quæ de Chriſto & Fidei noſtræ myſteriis docuerant, literis prodere; ſed quaſi penuario diuiti pleniſſimè Eccleſiæ conſeruanda cuncta committere, quæ vera & indubitata ſunt, vt omnis, quicunque velit inde animi cibos accipiat. Sunt quidem Euangeliſtarum monumenta quædam veluti baſes, quibus vniuerſa Chriſtianæ Fidei moles ſuſtentatur. Verùm cùm eorum veneremur ſcripta, quoniam ex illis & Eccleſiæ Traditione intelligimus Apoſtolos à Chriſto accepiſſe quæcunque tradiderunt, nemo ibit inficias maximè neceſſarium eſſe, vt ipſorum vniuerſam doctrinam, ſiue literis exaratam, ſiue animis inſculptam ſuſpiciamus, & ſumma animorum attentione Eccleſiæ voces auſcultemus, quam ab ipſo Spiritu Sancto per Apoſtolorum ora informatam probè ſcimus, & conſtanter credimus, & cuius authoritate Sacra hæc Scripta

Niceph. lib. 2. c. 25.

pta

pta commendata eſse,quæ tanto ſtudio , tantoque animi affectu amplectimur,ſuſpicimus,colimus,veneramur,aduerſarios vel inuitos nobiſcum agnoſcere , & fateri oportet; cùm Euangelicam illam ſcripturam,quam vniuerſus Orbis Chriſtianus approbat & recipit,Canonicam & Diuinam agnoſcant & colant . Peruetuſta enim (inquiunt illi)Traditione Sacræ habentur,ac Diuinæ proclamãtur.

Hanc autem Traditionem & Traditionum penè omnium fontem , & ſcaturiginem licet venerentur, quia citrà apertiſſimam dementiam in dubium reuocare nullus iſtorum auderet , non tamen aſſerere verentur,cætera Fidei dogmata , quæ Apoſtolicis Traditionibus nituntur, non autem Scripturis confirmantur , atq. corroborãtur, aut fide ſuſcipienda non eſſe , aut ſi ſuſcipiantur , non eadem authoritate,quam illa,quæ Scripturis manifeſtò cõprobantur, fulciri oportere . Quo iacto fundamento iſti, quos non pudet falſiſſima dogmata amplexari, ſicut fœda & turpia crimina perfricata fronte committere, & ſcelerum grauiſſimorum macula in dies magis, magiſq. aſpergi non erubeſcunt, ſic nec pudore vllo à voluntate deuia,& deprauata interpretatione,qua Sacratos libros fœdare,& doctrinam Chriſtianam corrumpere,& multa immutare , atque penitus innouare , vel potius euertere nituntur, minimè reuocantur.Deus bone qua audacia, quãque temerè totam Sacramentorum vim & efficaciam, cultum omnem , venerationem , ac Diuorum inuocationem,omnem ſceleribus debitæ pœnæ ſatisfactionem,Eccleſiaſticam denique omnem doctrinam profligare,labefactare , peſſundare , ac funditus ſubuertere moliuntur? Quaſi verò qui de ſyderibus aſtriſque diſputare inſtituit, luceantne audiendus ſit , ſi de Sole omnem quæſtionem, tanquam alterius ſit inſtitutiti,prætermittat, & tantummodò de aliis minutioribus ſtellis tractet:aut qui clariſſimam Traditionem,quæ ſine ſcripturis nobis tradit Diuinas Scripturas,haud in dubium vocandam affirmat , au-

diri oporteat; quandò callida exceptione reliquam Traditionum omnium constructionem amouere conatur. O versutam sanè tergiuersationem? O fucatam & pigmentis obtectam impietatem? O callidam hominum astutiam? O Fidei pestem? O Imperiti vulgi seductores? Quo stratagemate? Quo verborum fuco? Quibus protracti sermonis coloribus? Qua impietate rudem, ignaram, & improuidam plebem pellicere, pellectam seducere, seductam à verò firmoque Christianæ doctrinæ firmamento, ac singulari præsidio remouere pro viribus laborant? Nōne, dicite, amabo, Catholicæ Ecclesiæ hostes & Ecclesiasticæ doctrinæ impugnatores, Christiano homini quatuor Sacri Euangelij volumina, eaque nec plura, nec pauciora credenda esse fatemini, & omninò asseritis? Est ita sanè: nec aliquis hoc vnquam inficiari audebit. Nonne hanc sententiam, non secus, ac illa, quæ eadem Euangelica historia sunt comprehensa, tenendam esse proclamatis? Etiam profectò. Vnde hoc? Quia hæc Scripturæ Sacræ Traditio certa, firma, & indubitata, & necessaria modis omnibus amplectenda nobis est, vos sic traditis, & sic etiam tradendum & cunctis tenendum est; Fides ergo circà illa est, quæ Scripturis non sunt contenta. Verissimum hoc esse cunctis liquidò constat. Non est igitur cur fide tenenda esse, quæ ab Apostolis sunt tradita, quamuis non scriptis mandata extent, fateri recusetis. Coercete linguam ò perfidi Christianæ Religionis hostes, & obmutescite: aut si peracuti huius teli vim frangere, impetumue subterfugere posse speratis, audite adhuc verbum vnum, ex quo siue rabie & furore agitati in nos (vt vobis semper mos est) iniuriosi insurgatis, siue manifestè conuicti fateamini non posse non nobis assentiri, omnem profectò elabendi spem vobis necessariò deponendam agnoscetis. Agite dum, figamus pedem in hac velitatione, atque vno vel altero ictu nosmet exerceamus.

Dicite nobis precor, an propositio illa, *Non est creden-*

dum,

dum, quod non est scriptum, verum an falsum contineat. Cauete ne prius ad linguam, quàm ad limam verba habeatis. Nec vobis è memoria exidat, hunc vos primum fortissimumque ad labefactandam & penitus euertendam Sacram Ecclesiasticam doctrinam construxisse arietem, quem cùm se ipsum retudisse conspexeritis, confractum corruisse experiamini, & proprio gladio vos ipsos iugulasse exploratum habeatis; & cùm Babylonem, quam construxistis, & aduersus ciuitatem Sanctam Hierusalē, aduersus templum Domini, aduersus Christi dilectissimā Sponsam Catholicam Ecclesiam opposuistis, proprijs machinis labefactatam ac funditus euersam intuiti fueritis, vos toto aberrasse cœlo cognoscatis. Vestrum igitur illud axioma verumne an falsum continet? Si verum: cùm illud nusquam in Sacris Literis reperiatur, necessè est, vt seu velitis, seu nolitis, ipsum falsum agnoscatis. Si verò falsum, quis ita cœcus est, vt non intueatur, vera omnia illa relinqui, quæ assertione vestra delere conabimini?

Cæterùm vt appareat, quàm ineptè axioma istud ab aduersarijs proponatur, vnum hoc omnibus innotescat, quod Lutherus, qui alioquin nihil credendum iactitabat, quod scriptum non esset, ab Anabaptistis conuiciis lacessitus, quia paruulos baptizandos affirmauerat sine scripto verbi Dei testimonio, ad Sacram illam Catholicę Dei Ecclesiæ semper firmissimam anchoram, Ecclesiasticam nimirum Traditionem confugit, eamque sibi in subsidiū accipere coactus est, veritus, ne Euangelium suum vix è portu soluens naufragium pateretur. Ideò aduersarios acutè refellere studens. *Vos*, inquit, *Anabaptistæ verbi Dei testimonium requiritis, quo vobis paruulos esse baptizandos comprobem? Vos contrà potius, vos ipsi, inquam, afferte Scripturam, quæ paruulos non esse baptizandos doceat.* Perpēdamus quæso hanc Lutheri responsionem, eamque diligenti cura examinemus, & quauis luce clarius videbimus, iam sibi ipsi istum

aduersari: quippè quæ cum axiomate illo de Scripto Dei Verbo solummodò recipiendo ex toto diametro pugnat. Philippus etiam Melanchthon eodem Anabaptistarum argumento, quo infantes non baptizandos contendebant, diu fatigatus, & valdè exercitus inuictis Catholicæ Christi Ecclesiæ armis fundamenta Euangelij noui, quod seminare moliebatur, ab Anabaptistarum telis tutari est coactus: cùm Scripturarum locos ad eorum furorem cohibendum à suis adductos facilè repelli conspexisset. *Ad totum* (inquit ille) *argumentũ respondeo: vniuersalis cõsensus Ecclesiæ omnium tẽporum est testimonium, quòd hæc ordinatio est Apostolica.* Si igitur Melanchthon & Lutherus vniuersali Ecclesiæ consensu vrgent & compellũt Anabaptistas fateri infantes esse baptizandos; si verbo Dei non scripto (quod ipsi alioquin non recipiunt,) eos oppugnant, & à finibus suis propellunt, iam non possunt non confiteri, validissimum & maximum argumentum ad Catholicæ doctrinæ dogmata constituenda & confirmanda desumi ex antiqua Apostolorum Traditione, in qua sicut in Sacra Scriptura Verbum Dei contineri, inficiari nequeunt: cùm eius authoritate, quam nihilominus impotentissima animi contentione frequenter detestantur, contrà Anabaptistas se muniant. Magna ergò isthæc obfirmati flagitiis animi peruersitas censenda est: cùm aduersarij nostri quod maioribus suis argumentorũ pondere oppresis primarium aduocare patrocinium licuit, Catholicis concedi nequaquam patiantur. Cur quæso, si ex nostris quædã indubitatæ veritatis, ad suæ superstitiosæ Religionis, & inanis Fidei axiomata tutanda sine scripto Dei Verbo assumunt; quædã alia non inæqualis firmitudinis abominantur? Hoc nulla alia ex causa prouenit, quàm ex mera temeritate, qua Catholicos omnes insectantur. Si illis, qui se vnicam sequi per omnia Scripturam profitentur, & sine ea nihil prorsus amplectendum prædicant, quædam sola Ecclesiasticarum Traditionum au-

authoritate fulta dogmata ſuis vt imperitis ita & incautis ſectatoribus proponere licet; cur nobis extrà Scriptũ Dei Verbum ad propugnanda Fidei noſtræ dogmata auxiliares copias petere non licebit? Hoc inde fit, quia in medio eorum immiſcuit Dominus ſpiritum vertiginis; *Eſai.c.19.* nec quid ſibi tenendum audire, ſed quid animoſa peruerſitate inficiãdum ſit, aſcultari iam volunt: illud verò, quia eo ingenio eſt veritas, vt ſuos hoſtes, inuictos etiam, id quod res eſt, confiteri non raro compellat: adeò, vt dum ſua commenta nullam veri ſpeciem præ ſe ferentia mendacij fucis illita imperito lectori pro veris obtrudere laborant, ſuis ipſi mendaciis decepti veritatem imprudenter confirment.

CAP. XI.

NEc verò, cùm illud Ezechielis adducunt: *In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere*; audiendi ſunt. quippe qui ita cæcutiunt, vt non videant, nihil eſſe, quod ex eo *Ezech.c.20* contrà nos in medium afferre poſſint. Quin potius ſatius illis foret, ſi, vt ad diſſerendum ſunt peſſimè inſtructi, eſſent ad veram doctrinam capeſſendam parati, hunc locũ ad ſuorum dogmatum euerſionem æqua lance perpendere. Quo fieret, vt ignorationis nebula à mentibus ſuis expulſa, ad mentem redirent, ac Eccleſiæ Catholicæ liberè cederent, iuſſiſque illius non fictè, ſed ex animo, abiurata hæreſi, obſequerentur; ſin minus, terga darent, & licet nullo perſequente, ab Euangelicæ doctrinæ veritate, incuſſo intus timore perterriti, velociſſimis & rapidiſſimis curſibus à nobis aufugerent, & à finibus noſtris, quàm longiſſimè recederent. Quid enim per Ezechielem ait Deus? *In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere*. Quæ ergò tanta hominum iſtorum cœcitas? Quæ tanta dementia, vt nec videant, nec intelligant ſuis potius liberis, quos per noua dogmata in recenti ſchola, quam temerè conſtruxiſſe conſtat, miſerè genuerunt, quàm nobis illud dici poſſe; *In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere*? An iiſdem verbis, quibus populum Iſraeliticum per Prophetã

Do-

Dominus quondam hortabatur, vt in præceptis patrum suorum non incederet, quorum cor post idola gradiebatur, cùm sibi, quem adorarent, vitulum aureum in deserto conflauissent, nobis aduersarios admonere non licebit, quos post idola à patribus suis conficta gradi, doctrinis variis & peregrinis à Catholicæ Religionis authoritate abduci, & à quatuor Euangeliis, quæ vnum quidem sunt, in quintum aliud, quod hactenus Ecclesia Christi Saluatoris nostri ignorauit, quod respuit, atque execrata est, transferri certò scimus? Eis profectò rectè & appositè dici, *In præceptis Patrum vestrornm nolite incedere*, nullus non perspicuè videbit, si mentis compos existat. Quo enim liquidius constat eos non ad proauos, non ad auos, quos nullos numerare possunt, sed ad patres tãtùm sequendos animos sibi addere, eò manifestius ostendunt se, tanquam ebrios, post vanitatem sensus sui velocissimè currere, & in interitum properare, sequendo doctrinam, quam vt antiquitas non commendat, ita nouitas cõdemnat. Ab istorum igitur idolorum cultu, quæ isti disgregatæ & vndique dissectæ congregationis homines sibi ipsis colenda conflarunt, & à graui cacodæmonis seruitute nos ingenti Dei beneficio liberatos esse eò magis gaudemus, quo eorum statum, miseriam, & calamitatem magis deplorandam agnoscimus. Quod immensum sanè beneficium non sine singulari quadam grati animi testificatione tantò libentiùs prædicamus, & simul supplices clementiam ac bonitatem Diuinam precamur, vt, agnita semel veritate, ne nos ab eo, quod nobis creditum est, mandato recedere patiatur, quanto verius non tam patrum, quàm auorum, quàm proauorum, atauorumque nostrorum vestigiis incedimus; qui à mille ferè sexcentis annis eodem, quo nos, modo Christum coluerunt, eiusque colendi rationem partim scripto, partim Traditionibus ad nos transtulerunt. Illis, qui Melanchthonem, Lutherum, Caluinum & Brentium, similiaque portenta

in pa-

in patres ſibi adſciuerunt & pro Deo colere non deſinũt, meritò atque optimo iure dici poteſt, *in præceptis patrum veſtrorum nolite incedere*, at nobis nihil tale vnquam conuenit. Qui Apoſtolos Chriſti, & eorum ſucceſſores ad hæc vſque noſtra tempora (quorum iam non carnis ſed promiſsionis filij ſumus) qui Hieronymos, Ambroſios, Auguſtinos, Baſilios, Athanaſios, Gregorios, ſanctos Martyres, qui Euangelium Chriſti per longam Sacerdotum & Epiſcoporum ſucceſsionem ſibi traditum ſanguine ſuo conſignatum nobis reliquerũt, patres habere gloriamur. Da nobis Chriſte, vt in eorum ſemper præceptis incedamus, da, vt ab eorũ veſtigiis nunquam aberremus; da, vt quorum conuerſationis exitum cum admiratione intuemur, eorum fidem imitemur. Da vt prius lucis huius vſuram, & prius, quæcunque mortalibus cariſsima ſunt, nobis eripi, quàm in eam mentem impelli patiamur, vt in horum Sanctiſſimorum Patrum noſtrorum præceptis nobis non eſſe incedendum, aut temerè prædicemus, aut mente concipiamus. Non horum quidem Patrum, ſed illorum, qui idololatriam præcipiunt, qui Deos alienos ſequi iubent, hoc eſt, noua quædam & ab Eccleſia aliena dogmata ſuadent, veſtigiis incedere liberi prohibentur. Quid eſt enim aliud propriam ſententiam pro verbo Dei ignaræ plebeculæ venditare, quàm idolum colere, & idololatriam propagare? Quid aliud eſt, falſæ opinionis cõmentum, tanquam Diuinum aliquod Oraculum, ab omnibus ſuſcipi velle quàm nouum conflare idolum? Tam deprauatorum hominum dogmata & traditiones, quæ Diuinis Legibus aduerſantur, quicunque extirpanda & omninò extinguenda dicet, Chriſto domino libentiſſimè ſe obſequi velle oſtendet; qui Synagogæ primores arguit, quòd Dei mandata propter ſuas traditiones violaſſent. Cùm enim illi auaritiam, ambitionem, cupiditatem, cæteraſque animi maculas, quibus penitus infecti erant, adumbrata quadam ſanctitatis ſpecie occultare vellẽt, mul- *Matth. c. 15*

ta qui-

ta quidem quibusuis somniis vaniora fingebant, quæ non secus ac idola venerabantur, quibus legis integritatem ad suas cupiditates libidinemque deflecterent: ac tanquam germanos genuinosque Diuinorum præceptorum sensus illa populo inculcabant, quæ suis studiis plurimùm fauere intelligebant. Quamobrem Christus, inquiens: *Quare vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem uestram;* non disciplinam à maioribus acceptam reijcit: sed instituta & constitutiones à Pharisæis plerunque excogitatas, quas illi populo ad illaqueandos animos & miserè perdendos cautè proponebant. Nec enim cùm Christi discipulos increpabant, quod seniorum transgrederentur Traditiones, seniorum nomine Patriarchas aut Prophetas intelligebant, sed Synagogæ primores designabant; qui, vt ætate plerunque, ita authoritate & existimatione cæteris præferebantur. Quod Traditionum genus ad nefaria alenda desideria inuentum minimè quidē cohærere censemus cum Traditionibus illis, de quibus à nobis sermo institutus est, quæque antiquitatis testimonio & Ecclesiæ totius consensu firmatæ sunt: at illorum dogmatibus, qui sacram Ecclesiasticam doctrinam bonorum omnium assensione & tam lōgo seculorum tractu stabilitam labefactare contendunt, optimè quadrare, intrepidè iudicamus. Quorum præcepta quicunque recipiunt, & iussa capessere affectant, & doctrinam libenter audiunt, & mandata obseruant, Sanctissimorum Patrum nostrorum fidem, (quid Sanctissimorum Patrum fidem dico?) ipsius Christi doctrinam aut certè totam, aut saltem magna ex parte violant profanant & detestantur. Vbi, quæso omnium fidelium inuiolata incorruptaque fides erit, vbi Diuorum omnium sanctitas & vitæ integritas? Vbi virginum candor? Vbi morum decus? Vbi illa animorū pulchritudo & splendor eximius? Vbi martyrum fortitudo? Vbi sanguis ille pro Christi nomine effusus, si in patrum nostrorum præceptis nobis incedēdum

Matth.c.15

non

non ſit? Vobis, vobis, (inquam) ò fidei contaminatores, quorum corda poſt idola abierunt, dictum illud à Domino quadrat. Vos meritò prohibemini patrum veſtigia ſequi; in vos illud à Chriſto prolatum eſt; *ſine cauſa autem colunt me docentes doctrinas & mandata hominum*, qui, dum inania commenta veſtra pro verbo Dei venditatis, traditionibus illis, quas his verbis Chriſtus reijciebat, ſimilia quædam dogmata, leuia quidem illa, ac prorſus inutilia, quæque ad Dei cultum non ſolùm nihil faciunt, verùmetiam illi, vt pleraque à vobis excogitata, nimis obeſſe comperimus, temerè fingitis. Illotis enim manibus manducare; de quo tunc inſtitutus ſermo fuerat (quod ſine dubio leue & nullius erat momenti) magno crimini Phariſæi, dum auram venabantur popularem, Apoſtolis vertebant: ad auaritiam autem alendam in Templo munus offerre ſatius eſſe, quàm parentum neceſsitati ſubuenire, prædicabant, quod Dei præcepto, *Honora patrem tuum & matrem tuã*, manifeſtè contrarium, dum eos argueret & increparet, Chriſtus oſtendit. Atque idcircò Traditionibus humanis, quæ mandato Dei vel tantillùm repugnant, minimè obſequendum eſſe nullus non aſſentitur, ſed quas nos Traditiones, à vobis tanquam reas in iudicium adductas, pro virili noſtra tuemur & defendimus, tantùm abeſt, vt cũ verbo Dei aliqua ex parte pugnent, vt etiam ad promouendum illius cultũ plurimùm faciãt. Quas quanta obſeruantia Chriſtus excipi voluerit, cognoſcet, qui ad Encæniorum feſtum animum aduertet; quod licet non valdè antiquum (quippè quod non à Moſe, ſed à Machabæis fuerat inſtitutum) quia tamen vnanimi totius Synagogæ cõſenſione exceptum erat, ſua pręſentia honeſtare dignatus eſt; ne quis temerè recentes etiam Eccleſiaſticas Traditiones, ſiue conſtitutiones contemnendas duceret. Vobis ergò, ò Catholicæ doctrinæ aduerſarij, vobis dico, ne patrum veſtrorum, cùm Dominus id prohibuerit, incedatis veſtigijs, ſi animorum veſtrorum ſaluti conſultum velitis.

Matth. c. 15

Exod. c. 20.

litis. Neque enim vlli vnquam permissum fuisse legitur Prophetæ illius verba audire, qui Deos alienos sequi iubeat. *Si surrexerit*, inquit Dominus, *in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit, quod loquutus est, & dixerit tibi, eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis; non audias verba Prophetæ illius, aut somniatoris. Sed Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete & mandata illius custodite, & audite vocem eius.* Huic vni Deo, quem Patres nostri coluerunt, nobis adhærendũ est; huic nobis seruiendum; huic qui multifariam multisque modis olim in Prophetis, posteà in Filio suo & in Apostolis, & deinceps vsque adhuc in vna Sancta Catholica Apostolica Ecclesia loquutus est, credendum nobis: & verbum eius, siue scriptum illud, siue ab Ecclesia traditum, cunctisque amplectendum sit propositum, incorrupta fide & summa veneratione suscipiendum nobis est. Hoc enim nos Diuina docet Scriptura. *Interroga*, inquit, *Patrem tuum, & annunciabit tibi: Maiores tuos, & dicent tibi.* Et alibi; *Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare intellectum.* Et apud Iobum; *Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memoriam: hesterni quippè sumus & ignoramus, quoniam sicut vmbra, dies nostri super terram. Ipsi docebunt te, loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia. Ne transgrediaris* (dixit Sapiens) *terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. Tunc verò* (ait D. Pater Augustinus) *à nobis Fidei limes defenditur, quando termini, quos posuerunt Sancti Patres, non transferuntur à nobis; imò obseruantur & defensantur.* Quare non immeritò Basilius gloriatur, quòd quam à puero sententiam de Deo à Beata matre, deinde à nutrice sua Macrina recepit, illam iustis incrementis auctam & adultam in seipso obseruauerit. *Non enim alias post alias*, inquit ille, *maturescente ratione sumpsi; sed tradita ab illis principia absolui, & ad perfectionem deduxi.* Quemadmodum enim semen dum crescit maius quidem è modico redditur; idem tamen

Deut. c. 13. *Hebr. c. 1.* *Deut. c. 32.* *Eccles. c. 8.* *Iob. c. 8.* *Prou. c. 22.* *August. lib. 3. Hypogno.* *Basil. Ep. 79*

men eſt,quod anteà, non immutatum genere,ſed immutatum incremento: ita & mihi eadem ſententia ſuis quidem aucta profectibus,non autem,quæ nunc eſt, ei, quæ ab initio erat,aduerſa eſſe videtur. *Quis ille*,ait Vincentius Lirinenſis, *eſt tam inuidus hominibus, tam exoſus Deo, vt nullum in Eccleſia Chriſti profectum haberi velit Religionis? Sit ſane: verùm ita, vt verè profectus ſit ille Fidei, non permutatio: ſi quidem ad perfectum pertinet: vt ſemetipſa vnaquæque res amplificetur: ad permutationem verò, vt aliquid ex alio in aliud tranſuertatur.* Creſcat igitur oportet, & multum feliciter proficiat omnibus ætatum ac ſeculorum gradibus intelligentia, ſcientia, & ſapientia tam ſingulorum quàm omniũ,tam vnius hominis,quàm totius Eccleſiæ,ſed in ſuo dumtaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu eademque ſententia. Imitetur animarum Religio rationem corporũ, quæ licet annorum proceſſu numeros ſuos euoluant & explicent;eadem tamen,quę erant,permanent.Multum intereſt inter pueritiæ florem & ſenectutis maturitatem; ſed ijdem ipſi fiunt ſenes, qui fuerant adoleſcentes, ita vt, quamuis vnius eiuſdemque hominis ſtatus habituſque mutetur,vna tamen nihilominus,eademque natura, vna eademq. perſona ſit. Parua lactentium membra, magna iuuenũ ſunt, eadem ipſa tamen exiſtunt. Quot paruulorum artus,tot virorum, & ſi qua illa ſunt,quæ æui maturioris ætate pariũtur,iam in ſeminis ratione prolata ſunt, vt nihil nouum poſteà proferatur in ſenibus, quod non in pueris iam latitauerit.Hoc enim illud Domini eſt. *Adhuc habeo multa vobis dicere,ſed non poteſtis ea portare modò.Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Nam Spiritus Sanctus procedens ab ore veritatis, qui Chriſtus eſt, Euangelium prius condidit; poſteà Sanctorum Patrum Conciliis author & Doctor omnis veritatis, ſicut promiſſus fuit, interfuit. Fidem, quam ipſe in Euangelio breuiter diuulgauit, in Conciliis Sãctorum Patrum explanauit; & quæ Filius adhuc dicere habuit, ipſe pro-

Vinc.Lirin.

Ioan.c.16.

cedens à Patre & Filio veraciter edidit, & plenè docuit; vt quæ tunc soli Apostoli nō potuerunt portare, ea simul tota portet Ecclesia per vniuersum mundum diffusa. Itaq. Diuinus ille Spiritus, qui à Saluatore nostro promissus, vt omnem semper veritatem Ecclesiam doceat, Sanctorum Patrum Conciliis non interfuit solùm; sed & tanquam omnium Doctor illis præfuit; ac inter grassantes Arrij & Sabellij hæreses (quorum ille Diuinam separauit substantiam, hic personas confudit) reconditam Sanctissimæ Trinitatis tradidit Theologiam; paulatimque omnem docēs veritatem, tanti mysterij fidem excitauit, & suis auctam incrementis stabiliuit & firmauit; Ecclesiasticam Sacramentorum doctrinam illustrauit; quam etiam Baptismi formam Dominus instituerat, æquissimo, vt par erat, disposuit moderamine; ac tandem, quem ritum, quasue cærimonias, quem ordinem & rationem in Sacramentorum omnium administratione obseruari oporteret, vt Sancta Catholica & Apostolica tenet Ecclesia, oportunè instituit & ordinauit; Domum Dei altissimi, vt decore debito & ornamento spectabilem redderet, conspicuam & illustrem ostenderet, in varios ordines, ad cælestis hierarchiæ similitudinem, distribuit, & gradibus suis ac dignitatibus distinxit, singula singulis, quibus fungerentur, munera imponens: vniuersum tamen cœtum eodem Charitatis vinculo connectens & conglutinans infrà vniuersale, conspicuum, ac ministeriale caput. Cardinales tanquā columnas fundauit, ac, veluti cardines, quibus Summus Pontifex moueatur, apposuit, & à consiliis eius ad res magni ponderis & momenti, qua decet, maturitate, peragendas & perficiendas constituit. Patriarchas, Metropolitas, Archiepiscopos, Presbyteros, Diaconos, inferioresque ordines omnes Ecclesiasticos instaurauit; hos quidem, vt in Ecclesiæ ministerijs Presbyteris & Præsulibus inseruirent; illos, verò, vt Summi Pontificis onus ferrent, ne solus grauaretur, Quemadmodum enim olim Deus tulit de

Lib. de Cardinalib. Cyprino adscripto. Tom. 2. Concil. videre licet, quæ Syluest. Papa cap. 3 de Card. Presbyt. & c. 6. de Diacon. Cardi. di it in Cōc. Rom.

lit de Spiritu Mosis (siue, vt alibi copiosè explicauimus, magnificauit, expandit, atque diffudit) tradiditque cum septuaginta viris ex senioribus populi Israelitici, ne in sustentando populi onere solus Moses grauaretur; ita etiam tulit de potestate Petri, tradiditque eam duodecim viris, quos elegerat, vt simul cum Petro ferrent populi onus; ne illud solius Petri humeris incumberet. Quorum successores cùm sint Episcopi, eandem profectò, quæ iure ordinario Apostolis fuerat collata, pastoralem potestatem retinent in Ecclesiarum regimine, ne solus Romanus Pontifex vniuersæ Ecclesiæ Summus Pastor in moderandis populis suprà vires fatigetur. Denique Diuinus ille Spiritus longè ante per Prophetas promissus, qui nos instrueret scientia & doctrina, Chrismales vnctiones Pœnitentiæ & Impositionis manuum Sacramenta aptissimo sacratissimoque distinxit ordine; ac omnem Diuinorũ officiorum ritum in laudem & gloriam Summi Dei instaurauit. & Canonicè disposuit. Vtriusque Testamenti superna quidem & arcana mysteria, quæque omnem creati intellectus longè superant captum, idem Diuinus Spiritus, piorum ac sapientium Doctorum vsus ministerio, tanquam externa quadam, cœlitus tamen emissa, pluuia aperuit: sic enim per Ieremiam dictum fuerat; *Introducam vos in Syon, & dabo vobis pastores iuxtà cor meum, & pascent vos scientia & doctrina*: Secretiore quodam instinctu & diuino impulsu, ac interioris cuiusdam roris virtute, tanquam familiari coloquio insinuauit & apertè significanit, quod dixerat: *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Hæreses tum pullulantes adhuc, tum exortas iam & longè latèque dispersas potenti virtute dissipauit & extinxit. Ecclesiasticas leges per Apostolicos viros ad Christianæ Religionis conseruationem dictauit, &, vt cuncta vno verbo complectar, vniuersam Ecclesiam superna Christi doctrina instructam, omnem paulatim docens veritatem, veræ scientiæ perfectione ditauit, & adhuc

Li. 4 de opt. Reipu. stat. c. 4.

Hierem. c. 3.

Osæ. c. 2.

Matth. c. 28 huc ditat: cùmque Christus dominus, qui dixit, *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*, per inhabitantem *Ioan. c. 14.* Spiritus Sancti gratiam apud nos maneat, eam semper locupletabit. Dabo enim vobis, inquiebat, Spiritum, vt *Tertull. de velan. Virgin. cap. 1.* maneat vobiscum in æternum. Absurdum enim esset, inquit Tertullianus, diabolo semper operante & adiiciente quottidie ad iniquitatis ingenia, opus Dei aut cessasse, aut proficere destitisse; cùm propterea Paracletum miserit Dominus, vt, quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur & ordinaretur & ab illo Vicario Domini Spiritu Sancto ad perfectum produceretur disciplina. Quis ergò Ecclesiam, cuius nunc præceptis instruimur & institutis ad pietatem informamur transmittere ad posteros negabit incorruptam præteritorum seculorum doctrinam, quam nunc etiam inuiolatã retinet? An veritatis spiritus, vt primitiuæ illi Ecclesiæ, ita vniuersæ etiam, quæ futuris seculis per vniuersum Orbem longè latèque erat dispergenda à Christo promissus non fuit? Fuit sanè. Eisdem igitur, quibus illa præsidiis, hæc firmata sit & constituta, & eadem authoritate fulta & corroborata, maximè oportet, à cuius excellentia & dignitate omnis veteris primitiuæque Ecclesiæ existimatio pendet. Nam quamuis ille, qui veterem illam Ecclesiam non solùm primam, sed primariam etiam appellauerit, rectissimè dixisse censendus est: qui tamen posteriorum seculorum Ecclesiam, Fidei integritate, Religionis sanctitate, veritatis constantia & in diuinis mysteriis, atque sanctionibus conseruandis firmitate, illa inferiorem dixerit, in Spiritum Sanctum (cuius nutu regitur & cuius virtute protegitur) iniuriosum se præbebit, & non conuiciis aut sibilis tantùm explodendum, sed iudicij grauitate sese condemnandum integerrimo iudici exhibebit: non secus, quàm si priorẽ illam de gradu suo deiicere, labefactare, ac funditus euertere pro virili sua laborasset; & veritatis Solẽ vniuerso Orbi eripere, ac cuncta

den-

densissimis tenebris offundere molitus esset. Non enim veterem illam & Apostolicam Ecclesiam extitisse aliũde cognoscimus: nec sacros libros, quos solos recipi, suspici, & adorari vultis, ab Apostolicis viris conscriptos esse aliunde demonstrare, aut Fidei integritatem ab illis petendam aliunde possumus comprobare, quàm ex vigentis Ecclesiæ attestatione. Huius verò authoritatem infirmare, aut iudicium eneruare quicunque tentauerit, tanquam qui Fidem incertam reddere, Sacra omnia euertere, ac omnẽ prorsus Religionem extinguere moliatur, non à finibus tantùm nostris, sed ab hominum consortio quàm longissimè abigatur. Quid enim in libris ipsis, quibus mysteria sacra continentur, diuinitatis inest, quod ad credendũ ea, quæ in illis sunt literis exarata, Religione aliqua nos impellat, præter eximiam illam Ecclesiæ vim & amplitudinem, quæ ita sacros esse codices illos nobis tradit, & antiquorum Patrum fidem ita extollit, & pietatem commendat, vt quicunq. eis contradicere sit ausus, illũ omni perfidiæ & impietatis labe respersum nõ absurdè dixeris?

Quapropter, nisi me mea fallit opinio, si quis illam Durandi orationem, qua exponit Augustini Sanctissimi Patris verba, *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoueret authoritas*, exitiosam negauerit, meritò existimandus est non rectè perpendisse Ecclesiæ maiestatem, approbandique Euangeliũ ius & potestatem, quam nõ quidem ex rerũ à Christo gestarum experientia, humanaq. testificatione, sed ex Spiritus Sancti præsentia, & afflatibus, quos firmos, stabilesq. retinet, pendere affirmamus. Nam nemo sanæ mentis erit, qui non sentiat Durandum, dũ D.P. Augustini locum de sola pristina Ecclesia interpretatur, quæ Apostolorum temporibus viguit, turpiter errasse: nõ enim considerauit, quis Augustino, qui contrà Manichæum disputabat, fuisset propositus scopus, nec, quo debuit, studio animaduertit (vt pro virili nostra adnotauimus) fieri non posse, vt pristinæ illius Ecclesiæ maiestas & authoritas

Duran. li. 3. s. d. 24. q. 1 Augus. cõt. Epi. funda. c. 5.

tas

tas apud nos salua persistat, si huius nostræ, cuius nunc vlnis reficimur, quæque nullo modo ab illa diuersa est, dignitas & existimatio aliqua ex parte minuatur. Cùm igitur eundem hæc, quem illa, habeat fautorem & institutorem, & eadē Spiritus Sancti ope muniatur, à quo omni veritate imbuta & informata est; procul hinc, procul ite prophani. Nos enim eandem huic, quam illi iure suo fidē deberi nunquā non proclamabimus, nunquā non asseuerabimus, nunquā nō totis viribus præstabimus & tuebimur.

CAP. XII. NEc verò est cur aduersarij nostri maiorum suorum morem sequuti, vt incautis timorem incutiant, imperitos decipiant, & quosuis etiam viros doctos deterreant, Sanctissimos Patres, quos dogmatum suorū fortissimos esse oppugnatores apertissimè cognoscunt, patronos vafrè assumant, & proprium errorem illorum authoritate callidè confirment; nemo enim est, qui si heroum nostrorum sententias speculabitur, & diligenti examinabit animaduersione, eas tum intercisas, corruptas, & pluribus nonnunquam interiectis verbis adductas, tum etiam, tanquam cereum nasum, ad hæreses & turpissimos errores confirmandos multo verborum fuco ex proprio cardine extractas esse non comperiat. Adeò enim mutatam methodum, & verborum seriem, necnon sententiarum scopum ita diuersum ab eo, quem sibi Patres proposuerāt, conspicies, vt iām non Cyrilium, non Athanasium, non Hieronymum, non Augustinum, aut quemuis alium ex priscis, sacrisque Doctoribus, sed Melanchthonem, Lutherum, Caluinum, Brentium, kemnitium, Bezam, aut aliquem ex eorum sectatoribus audire putes. Vafri & versuti sunt homines, antiquitatis nomen magni faciunt, & priscorum Patrum authoritatem mirificè extollunt; deinde eorum testimoniis probare cōtendunt nihil à Christo Domino & Apostolis traditum fuisse, quod sacris voluminibus consignatum non sit. Sed nos sanctorum Patrum sententias paucis iam prosequamur, ac eas dilucidè

expla-

nemus, vt quàm longè ab istorum dogmate distent, cunctis innotescat.

Ab Irenæo igitur exordium capiamus, quem isti tanquam alterum Goliath ad exprobandum agminibus Dei fautorem patronumque assumunt; cùm ab eo potius sibi cauendum sit, vt ipsius dicta gestaque apertissimè testantur. Is enim Valentinum, Marcionem, Cerinthum, cæterosque hæreticos non Scripturarum modò, sed Traditionum etiam pondere premere, & vrgere adeò solitus fuit, vt non obscurè tradiderit, maximè opus esse, vt, qui vera cupiant audire, Traditionem Apostolorum in toto mūdo manifestam in Ecclesia perspiciant; *& habemus*, ait, *annumerare eos, qui ab Apostolis sunt Episcopi in Ecclesia instituti, & successores eorum vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerūt, quale ab his deliratur*. Illas autem Traditiones putauit esse Apostolicas, quas maxima & antiquissima, & omnibus summe cognita, à sanctissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundata & constituta Ecclesia habet; cæteræque Ecclesiæ ab Apostolis exstructæ religiosè conseruarunt. Quarum authoritatem enumerato Episcoporum Romanæ & Apostolicæ Sedis catalogo paucis quidem sed grauibus verbis explicauit; ita enim subnectit. *Hac ordinatione & susceptione ea, quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio & veritatis præconiatio peruenit vsque ad nos; & est plenissima hæc ostensio, vnam & eandem viuificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis vsque nunc sit obseruata, & tradita in veritate.* Ex quibus piis omnibus & doctis viris liquidò constare potuit, non eius fuisse opinionis sanctissimum Irenæum, vt putauerit (sicut aduersarij, ne consuetudinem pristinam amitterent, illi falsò imposuerūt) Apostolos omnia, quæ viua voce docuerant, literarum monumentis commendata reliquisse. Rectè quidem ille, dum *non per alios*, inquit, *dispositionem salutis nostræ cognouimus, quàm per eos, per quos Euangelium peruenit ad nos, quod quidem tunc præconiauerunt; posteà verò per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fun-*

Irenæ. lib. 3. cap. 3.

Irenæ. lib. 3. cap. 1.

damentum & columnam fidei nostræ futurum. Quàm ineptè ergò colligant isti ex hac Irenæi sententia Apostolos, quæ viua voce tradiderunt scriptis mandasse, quis nõ videt? Non enim nihil quicquam ab Apostolis, præter id, quod ipsi scriptum posterorum Ecclesiæ commendarunt, traditum fuisse asserit Irenæus. Quid igitur? Id, quod satis liquet, nimirum Christi Apostolos, quod prius voce annunciauerant Euangelium, posteà diuino quodam impulsu inductos, literis exaratum nobis reliquisse; quod & nos ingenuè fatemur, & intrepidè proclamamus: Illud verò sententiæ nostræ aduersari qui poterit, cùm etiam si dixisset Apostolos omnia scripsisse, sese nobis opposuisse (si rectè verba exprimantur) à nemine iudicaretur? Non enim omnia omnibus, sed quædam (quorum scilicet cognitio est omnibus ad iustitiam atque salutem comparandam in primis necessaria) vt Christi passionem, mortem, resurrectionem passim Apostoli cunctis populis inculcarunt, ne ignorari ab aliquo vnquam possent. Quare Corynthiis inquiebat Paulus; *Neque enim me existimaui aliud scire inter vos, nisi Christum, & hunc crucifixum.* Quædam verò Episdopis tantùm, Præsulibus, & Presbyteris annunciare consueuerunt: quippe quorum maximè intererat, illa explicatè scire, & ad muneris sui functionẽ optimè cognoscere. Hoc enim illud est, quod de Paulo narrat Lucas, qui à Mileto mittens Ephesum vocauit maiores natu Ecclesiæ, quos exhortatus ad persistendum in officio muniit aduersus hæreticos; quia eorum erat, sese aduersariis opponere, & illis crudele bellum inferre. *Ego scio,* (ait ille) *quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, propter quod vigilate, memoria retinentes; quoniã per triennium nocte & die non cessaui, cum lachrymis monens vnumquemque vestrum.* Ecce hæreticorum turmas Ecclesiam inuasuras præuidens Paulus, cautè traditam doctrinã Episcopis & Presbyteris Christianis inculcat, ad quam necessariò confugiendum illis apertissimè docet. Nam quæ de

August. de peccat. meritis. & remis lib. 2. c. 36.

1. Cor. c. 2.

Act. c. 20.

Ecclesiæ regimine, de administrandorum ratione Sacramentorum, & hæreticorũ machinis euertendis Præsulibus maximè necessaria & vtilia enunciauerat, publico sermone populis innotescere non oportuit. Quinimò idem Apostolus Corynthijs scribens, ostendit eos, quibus hoc onus incumbebat, secretiori concione instrui decuisse. *Sapientiam*, inquit, *loquimur inter perfectos*. Et ad Timotheum: *Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*. Vnde & doctissimus Irenæus *Eis*, inquit, *qui in Ecclesia sunt, Presbyteris, obaudire oportet, ijs, qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundùm placitum patris acceperunt.* Etenim, quibus Magisterij locum Apostoli tradiderunt, & Ecclesiarum curam imposuerunt, illos seorsum, à reliquis diuiniora & secretiora mysteria, quæ literis non mandarunt, docuerunt; vt cæteros & ipsi possent instruere. Quare D. P. Augustinus de animarum origine & peccati Originalis traductione disserens, *Illud tamen*, inquit, *credo, quod etiam diuinorum eloquiorum clarissima authoritas esset; si homo illud sine dispendio propriæ salutis ignorare non posset*. Hoc etiam Chrysostomus significauit, dicens, *Omnia clara sunt & plana ex Scripturis Diuinis. Quæcunque necessaria sunt, manifesta sunt.* Sunt igitur quædam Fidei & morum documenta, ita ad salutis consequutionem omnibus necessaria, vt sine dispendio illius nequeant ignorari (cuiusmodi sunt, quæ in Symbolo Apostolorum continentur mysteria, decem præceptorum, & aliquorum etiam Sacramẽtorum Euangelica doctrina) alia verò sunt, sine quorum explicata cognitione, & Fide, ad iustitiam & sempiternam felicitatem rectè potest homo peruenire, dum sibi legitimè ab Ecclesia non sunt proposita. Vnde cùm S. Petrus, qua die Spiritum Sanctum cum cœteris acceperat, præcipua Fidei nostræ capita Iudæorum populum docuisset, circiter tria millia virorum & mulierum ad gratiam baptismalem excepit, qui tamen Baptismi lauacro renati erant

1. Cor. c. 2.

2. ad Timot. c. 2.

Irenæ. lib. 4. cap. 43.

Aug. de peccat. merit. & remis. lib. 2. c. 36.

Chrysost. homil 3. in 2. c. Epis. 2. ad Thessal.

perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum. Mirandum igitur non eſt, ſi ſecundi generis myſteria & magnis ſæpe obſcuritatibus inuoluantur, & non literis plerumque, ſed ſola traditione innoteſcant: quippe quæ perfectioribus ad inſtructionem aliorum ſeorſim tradiderunt Apoſtoli.

Verum quid aliunde, quàm ex ipſius ſanctiſſimi Irenæi ſermone depromimus, quid aduerſarijs reſpondeamus? Quid pluribus immoramur? Pudeat, Pudeat vos ò Lutheri, Caluini, Zuinglij, & ſimilium mõſtrorum ſectatores, qui Gnoſticorum phreneſi agitati, arcanorum myſteriorum ſcientiam & abditiſſimarum rerum cognitionem venditatis, vel ſanctiſſimi Irenæi mentem, quod magis credo, non percepiſſe, vel ſententiam eius turpiter corrupiſſe. Nam ſi dicentem parum attentius auſcultauiſſetis, ab eo vobis patrocinium cum tanto viri dedecore expectandum nequaquam arbitrati eſſetis, cùm ille eorũ inſaniam & audaciam deprimere voluerit, qui diſciplinam ab Apoſtolis traditam, Fidei noſtræ dogmata & morum inſtituta eneruare & peſſundare moliti aiebãt, Apoſtolos docendi prius munere perfunctos fuiſſe, quàm perfectam habuerunt veritatis agnitionem, atque eorum emendatores ſe eſſe gloriabantur: quamuis tamen veriſſimum ſit non ante ſanctiſſimos viros ad docendum vel ſcribendum animum appellere tentauiſſe, quàm Spiritus Sancti virtute imbuti & mirabiliter illuſtrati Euangelicæ doctrinæ perfectiſſimam notitiam, & Sacramentorum omnium reconditam ſcientiam adepti fuerunt. Ideò quo tempore Orbem Apoſtoli peragrauerint, & ad ſcribendum ſeſe contulerint, expoſuit. Quæ quo liquidius oratione ſua conſtare fecit, eò manifeſtius, quantis iam tunc illi diuinæ prorſus ſapientiæ opibus fuiſſent exculti, demonſtrauit. Hoc verò illud eſt, quod doctiſſimus Irenæus dicit, Apoſtolos, ſcilicet, Euangelium, quod tunc annunciarũt, poſtea Dei volũtate in ſcripturis nobis tradidiſſe. *Nec enim fas eſt dicere*, ait ille, *quoniam ente prædicauerunt, quàm perfe-*

perfectam haberent agnitionem; sicut quidam audent dicere. Ex quibus si quis sit, qui rectè colligi arbitretur Apostolos, quicquid verbo docuerunt, literis exarasse; hunc ego, vt pessimè ad disserendum instructum, ad Peripateticorum scholas, vt illic Dialeticis denuò imbuatur, iure optimo mittendum censebo.

At Tertullianum isti adiungunt, sibique eum suppetias ferre simulant (vt eius saltem authoritate imperitos & incautos pellicere moliantur) quod aduersus Hermogenem disserens, *Adoro*, inquit, *Scripturæ plenitudinem; scriptum esse doceat Hermogenis officina: si non est scriptum, timeat væ illud, adijcientibus vel detrahentibus destinatum.* Non possum equidem non vehementer mirari hominum istorum ingenium; cùm ita præter rem, quæ de peculiaribus quibusdam mysteriis dicuntur, omnibus passim accommodare non dubitent. Tertullianus enim vanissimum Hermogenis somnium euertere tunc studuerat, qui Deum ex præiacente materia cuncta produxisse temerè asserebat: cui prudenter nimis doctissimus vir apertissimum Sacræ Paginæ testimonium opposuit. Sic enim & D. P. Augustinus, cùm humanam naturam verè à Dei filio assūptam, contrà hęreticorum impietatē, firmissimis scripturæ præsidiis defenderet, aptissimè quidem ex Scripturæ plenitudine effecit, vt nullus, nisi impudentissimus esset, contrà hoc amplissimum mysterium, amplius verba facere tentarit: quia argumentum illud, quod ex euidenti Sacræ Scripturæ testimonio depromitur, ita forte & firmum est, vt nullis calliditatis machinis labefactari aut concuti vnquam possit. Quare Origenes (qui librum Numerorū exponens plurima in Ecclesia seruari, & omnibus necessariò obseruanda asseruerat) in hunc modum loquitur: *Nulla de illis testimonia extant; necesse* (inquit ille, nonnullis interiectis) *nobis est Scripturas Sanctas in testimonium vocare: sensus quippe nostri & enarrationes sine his testibus non habent fidem.* Nos etiam cùm quædam difficillima & maxima sunt obuoluta

Tertull. lib. contra Hermogenem.

Aug. tract. 2. in Ioan. Epist.

Orig. hom. 5. in Num.

Orig in Hie. hom. 1. in Ezec. hom. 7. in Math homil. 25 in c. 3. Ep. ad Ro.

uoluta obscuritate, ac tanquam sub caligine adeò latent, vt ab humano sensu percipi nequeant, Scripturas Diuinas consulendas esse non negamus; sunt enim in omni re dubia Sacra Oracula nobis consulenda: vt & factitatum legimus, cùm de dogmatibus illis quæ diuinam nobis naturam explanant, quæstio excitata fuit. De quibus sane cùm in Concilio Nicæno esset disserendum, vt Theodoretus narrat, Constantinus Imperator ad vniuersum cœtum ita sermonem habuit: *Euangelici, & Apostolici libri & antiquorum Prophetarum Oracula planè instruant nos, quid de rebus diuinis sentiendum sit. Proinde hostili deposita discordia ex verbis diuinitus inspiratis sumamus quæstionum explanationes.* Idque, si vetera recolamus, in Concilijs nunquã non obseruari reperiemus: vt Euangeliorum liber in media Patrum corona statuatur, qui Euangelicam doctrinam retinendam ab illis & illustrandam esse admoneat. Quod fuit in caussa, vt D. P. Augustinus, cùm de certis quibusdam Fdiei mysterijs dissereret, quæ apertissimis sunt Scripturæ testimonijs definita, non aliunde, quàm ex Sacris Libris (qui præcipui sunt controuersiarum iudices) dirimenda duxerit. Valdè enim superuacaneum esset quacunque de Fide & Religione nostra exorta quæstione, aliunde veritatem exigere: cùm ex illis documenta adeò certa proferantur, vt ad inquisitionis terminũ res perduci facile possit. Verùm, cùm id, cuius notitia inquiritur, aut non ita apertè ex Sacris Libris potest omnibus innotescere, aut in illis definitum non extat, ad Sacras Traditiones confugiendum esse nullus sanctorum Patrum non affirmauit. Hinc (vt ad ea, quæ in Nicæno Concilio gesta sunt, redeamus) cùm, Theodoreto authore, à Catholicis, & ab hæreticis nõ pauca Sacræ Paginæ testimonia fuissent adducta, quæ, quoniam perperam Arriani exponebãt à Catholicorum manibus sæpe elapsi comprehendi & manifestè conuinci non poterant, consultò factum est, vt quos Scripturis cogere longùm fuisset, sermonibus non scriptis Concilij Patres,

Theod. lib. 1. c. 7.

Aug. de bono viduit. c. 1. De vnita. Eccles. c. 3. & 6. De Pastor. cura. c. 14.

Theod. li. 1. c. 8.

tres lata ſententia, cui Imperator Conſtantinus vltrò & ſponte ſua conſenſum præbuit, condemnauerint.

Quòd ſi Zuinglij & Caluini diſcipuli priorem Imperatoris ſententiam tanti faciunt, vt eius dictis, tanquam Diuinis Oraculis, aut certè maximi alicuius Eccleſiæ Doctoris authoritate Sacras tentẽt Traditiones euertere: iam eiuſdem Imperatoris facto adducti, cum Sacri Nicæni Concilij Patribus Sacras venerentur Traditiones. Si verò Diuinis Scripturis refragari, illiſue aliquid addere, vel ab illis detrahere, crimen eſt grauiſsimo plectendum ſupplicio (cùm hoc nihil aliud ſit, quàm Spiritui Sancto contradicere: eius afflatu conſcriptas ſententias diſsipare: Concilijs addere: præcepta immutare: ac deniq. dogmata eius corrumpere) deſinant iam proterui iſti Traditionibus Sacris ſeſe opponere, quas non minus, quàm ea, quæ Diuinis Scripturis continentur, Dei verbum eſſe, ex eo manifeſtè conſtat; quòd eodem prorſus Spiritu Sancto authore ab Apoſtolis traductæ, eodem ſeruatore, incorruptæ ſemper cõſeruatæ, & in Eccleſia inuiolatæ ſunt cuſtoditæ. Qua procul dubio ratione Sancti Patres commoti tantum illis tribuerunt, vt eas inter cæleſtia oracula numerare non dubitauerint. Quorum volumina, ſi, vt ad conſpurcandum diligenter hæretici manibus contrectarunt, diligentius iam, ad veritatis inquiſitionem, oculis colluſtrabunt; nec non mentis acie penetrabunt, acribuſque animis contemplabuntur, Sacras Apoſtolorum Traditiones, quas falsò ab antiquis Patribus deiectas & proculcatas eſſe temerè affirmãt, ab illis in maxima ſemper veneratione habitas & ſumma reuerentia exceptas fuiſſe euidenter colligent.

Iam verò ſi capitali odio depoſito, huius noſtri temporis hæretici (quorum ſanè vicem non poſſum non dolere, & miſeriam deplorare, adeò vt eorum mentes ſpontanea ignorationum nebula tegi, & tetra inuolui caligine ægerrimè feram) parumper animaduertiſſent, quot priſ-

corum

corum Patrum monumenta, ab his, quos errorum suorũ duces sequuntur, contaminata, quot supposititia illis adiuncta, quot fraudulenter interiecta sint, fieri certè non potuisset, vt de patrato scelere non dolerent, & à seipsis pœnas exigentes (ni fortè in media adhuc luce cæcutientes viciis potius coinquinari denuò, quàm micanti cælesti veritatis radio ad terminos eius mallent peruenire:) in funesta & infelicissima nos Arianorum, Macedoniorum, & Monotelitarum tempora incidisse non faterentur. Nã si illorum in corrumpendis veterum scriptis audaciam Patres Chalcedonensis Concilij, & Constantinopolitanæ Synodi tertiæ declararunt; horum profectò, qui nostra hac ætate Catholicam infestant Ecclesiam in deformandis eorundem sanctorum Patrum Codicibus temeritatem, sua sanè gesta testantur. *Quotidie enim*, vt Irenæus de illis, qui suo tempore vixerunt, verè ait, *adinuenit vnusquisque eorum, quemadmodum potest, aliquid noui: perfectus enim est nemo, nisi qui maxima mendacia apud illos fructificauerit.* Cuius inanis gloriæ cupidi, Lutheri, Zuinglij & Caluini discipuli, vt alios taceam, cùm Patrum authoritati sese opponere minimè ausi essent, & se tanto verborum, sententiarumq. pondere pressos vidissent, eorum dicta intercidere, & rationes corrumpere temerè tentauerunt. Hoc vel in eo maximè elucet, quòd cùm fortissimum aduersarium cognouissent Athanasium, nec illum prorsus repellere æquum, aut rationi consonum duxissent, satis sibi consultum fore arbitrati sunt, si sententiam aliquam ab illo prolatam corrumperẽt; vt apud ignaram plebeculam illum patronum fautoremq. suum proclamarent, ac eius, quoties opus esset, implorarent auxilium. Quare, quem ad Macharium scripserat librum, cautè callidèque obseruantes, cùm in eam incidissent sententiam, qua eos, qui idola, vt Deos venerabantur, ex Scripturis Diuinis refellere, & toto cælo errare ostendere conabatur dicens, *Sufficiunt sanctæ ac diuinitus inspiratæ Scripturæ ad veritatis indicationem*

Irenæ. lib. 6. cap. 15.

Orat contra Idola in ipso operis initio.

nem, impij homines, virum ſanctiſſimum, ad omnem veritatis inſtructionem Sanctas Scripturas ſufficere dixiſſe, audacter aſſeruerunt. Dumque ex ſuo addiderunt (omnem) nullam oriri poſſe de Fide & Eccleſiæ moribus controuerſiam, quæ ex Scripturis nequeat dirimi, falsò perſuadere tentarunt. Quod vt facilius conſequerentur, quæ prudenter vir ſanctiſsimus in eandem ſententiam proſequutus fuerat, ſummo illi ſilentio inuoluerunt: quippè quibus tanquam fortiſſimis arietibus ſectæ ſuæ dogmata non labefactanda ſolùm, ſed omninò euertenda præuidebant. Scripturas enim ait Athanaſius ad veritatis indicationem maximè ſufficere, ad oſtendũ ſcilicet idola nõ eſse Deos, & Chriſtũ verum Deum & ſimiliter hominẽ exiſtere, quæ manifeſtis proculdubio Sacræ Paginæ teſtimoniis demonſtrãtur. Non tamẽ inquit ille, ſine explicatione Sanctorum Patrum, ſed potius ab iis Scripturarum intelligentiam eſſe petendã haud obſcurè docet; ſic enim vir ſanctiſs. ait: *Sufficiunt quidẽ per ſe tum Sacræ & diuinitus inſpiratæ Scripturæ ad veritatis indicationem, tum plurimi de eadem re libri à ſanctiſſimis Magiſtris conſcripti, quos ſi quis euoluat, intelliget aliquo modo Scripturarum mentem, & fortaſsè eam, quam cupit, cognitionem adipiſcetur.* Quorum libri cùm non ita facilè ab omnibus haberi potuiſſent, quæ de his à maioribus acceperat, ſe ſcripturum dixit. Quis ergò adeò cæcutiet in meridiana luce, vt non ſatis clarè inſpiciat, an ſacras Athanaſius (vt iſti fruſtrà proclamant) contempſerit Traditiones, reiecerit, exterminauerit, extinxerit, qui quæ à Patribus acceperat, tradere iam iam properabat? Quid multis opus eſt, vt Athanaſium ex calumnia vendicemus, qui quoties ſibi res eſt cum Arrianis, maxima ex parte, Traditionibus niti videtur, qui etiam omnibus ſuadet, vt traditam fidem retineant, & tanti myſterij inquiſitionem exhorreant? *Nam qui*, inquit, *quæ vltrà ſuas vires ſunt, indagat, in præcipiti conſiſtit: qui verò Traditionibus inhæret, extrà periculum verſatur.* Quis ergò adeò proteruo diiudicaturus

Athanaſ. in principio tom. 3. de incarn. Verbi Dei.

turus ingenio ad causæ discussionem accedet, vt audaciam potius & temeritatem non admiretur, quàm laudet, & euehat ingenij istorum calliditatem?

CAP. XIII.

DVm verò illud satis sibi non esse arbitrati sunt, cùm quædam alia ex Basilio vt ineptè ita & frustra in sententiæ suæ confirmationem detorquere moliti fuissent, eleganter & venustè ab eo conscriptam periodum interciderunt: vt tandem sibi patrocinatum fuisse doctissimũ virum prædicarent. Orta namq. grauissima illa quæstione, an in Deo tres esse hypostases & vnam dumtaxat naturam dicendum foret, quidam propriç Regionis consuetudine negantem, alij verò antiquo etiam & inueterato dicendi Regionum suarum conuicti more aientem partem tuebantur. Magnus autem Basilius, vt omnem sedaret quæstionem, ac totam dirimeret controuersiam, illis qui maximè inter sese dissidebant, doctisimè respondit: Si huic consuetudini acquiescere renuerent, minimè quidem æquum rationiue consonum esse, vt sibi persuaderẽt suam ipsorum consuetudinem, quasi certam & omnibus amplectendam regulam proponere, sed standum esse vtriusque Scripturæ iudicio, quam refellere auderet nemo. Nullus enim vnquam extitit, qui, insanæ multitudinis opinionibus spretis, fidei & morum veritatem ex Diuinis sanctionibus, non ex delirantis vulgi iudicio; & ex Spiritus Sancti oraculis, non autem ex praua aliquorum consuetudine, omnem Religionis doctrinam estimandam esse non asseruerit, proclamauerit, proque virili sua defenderit. Quamprimum tamen Lutheri, Zuinglij & Caluini discipuli, vt egregij sunt Sophistæ, intellexerunt, priuatas aliquarum Regionum consuetudines à Basilio reiectas esse, statim, quamuis ille de antiqua Ecclesiæ Traditione verbum nullum fecisset, acclamarunt, & tanti viri authoritatem extulerũt, cuius verba fauere sibi posse credebant, non obseruantes, quem ille sibi scopum proposuisset, sed, quam ipsi corrumpere possent sententiam.

Inde,

Inde, vt Basilium Traditiones depressisse suis persuaderent, efficaciter, rectèque contrà Catholicos colligere arbitrabantur, si à consuetudine illum ad Scripturas prouocasse ostenderent. Cuius sententiam intercisam & dilaceratam cùm edducant, quasi de verbo Dei non scripto victoriam iam reportauerint, ad audiendum Basilium passim nos inuitant. Agedum, Basilium dicentem auscultemus: æquissimum enim est, vt hac in re eis, morem geramus, & quod ita enixe postulant eis concedamus. Quid ergo ille? *Non putamus*, inquit, *æquum esse, vt, quæ apud illos obtinuit consuetudo, pro lege & canone habeatur rectæ doctrinæ. Stemus itaque arbitratu à Deo inspiratæ doctrinæ.* Ecce Basilij verba. ex quibus Peripatetici isti admirabili ingenij acie aduersus Traditionum authoritatem argumentationem collegerunt. Quam profectò sententiam nisi intercidissent, vel ab opinione sua recedere compellerentur, vel saltem cum tanta ignominia nunquā Basilium sibi patronum assumpsissent: qui non Sacras Apostolicas Traditiones totius Ecclesiæ consensione approbatas, quæ verè Dei verbum sunt, sed eam, quæ apud priuatam Regionem quandam obtinuit, consuetudinem pro Lege & Canone rectæ & sanæ doctrinæ, ad morum & Fidei dogmata stabilienda habendam esse negat, vt ex integra verborum serie facilè apparet: *Nouandi studium*, inquit, *nobis obijciunt, accusationem contrà nos texentes ex eo, quod tres confitemur hypostases. Hic causantur nos dicere vnam esse bonitatem, & vnam potentiam, & vnam diuinitatem: atque hoc extrà veritatem non dicunt, nam id dicimus, verùm culpandi gratia hoc dicunt; quod sit contrà ipsorum consuetudinem, & Scriptura non astipuletur. Quid ergò ad hoc dicimus? Non putamus æquum esse, vt quæ apud ipsos obtinuit loquendi consuetudo, pro Lege ac Canone habeatur rectæ doctrinæ. Si enim ad probandum doctrinam rectam valet consuetudo, licet & nobis omninò hac in re illos imitari. Stemus itaque arbitratu inspiratæ à Deo Scripturæ, & apud quos inueniuntur dogmata Diuinis Oraculis consona, illis omninò veritatis adiudicetur sententia.* Quid hoc manifestius? Quid

Basil. ep. 80.

hoc clarius? Isti tamen, vt ostenderent, quàm ergà Catholicam doctrinam malè sunt affecti, ea, quæ sibi nullo modo patrocinari posse optimè videbant, sic intercidere & secare moliti sunt, vt à priuata consuetudine (quæ nullo modo firmo nitebatur fundamento, vnde se ipsa euertebat) ad antiquas Ecclesiæ Traditiones, quæ tanto temporum interuallo & vnanimi Patrum consensione firmatæ sunt, labefactandas & omninò euertendas rectè se collegisse, fucata quadam oratione persuadere conati sint. Ecce nos Basilium iam auscultauimus & mentem eius exposuimus. Reliquum igitur est, vt quem patronũ habere minimè potuerunt, aduersarium experiantur, & tanti viri cedant authoritati, cuius vel vires superare, vel ictus effugere nequeunt. Rursus itaq. aduersus illos aperto Marte dimicaturus in aciem descendat.

Basil. lib. de Spiritu Sancto. c. 27.

Eo libro, quem de Spiritu Sancto inscripsit, ita apertè sacras veneratur Traditiones, vt de animi sui sentẽtia nemini dubitandi locum relinquat; *Dogmata*, inquit, *quæ in Ecclesia prædicãtur, quædam habemus è doctrina & scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum Traditione in mysterio, idest, in occulto tradita recepimus. Quorum vtraque parem vim habent ad pietatem; nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint iura Ecclesiastica. Nam si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur reijcere; imprudentes & ea damnabimus, quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur, imò potiùs ipsam Fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemùs.* Multaque alia in eandem prosequitur sententiã.

Theod. li. 4. c. 19. Socr. li. 4. c. 23. Nazian. in Monod. siue Orat. funeb. quã habuit de Basilio.

Quid in his non piè, non Catholicè, non Orthodoxè scriptum est? Et hunc tamen virum aduersarij Traditionum, vt sunt homines superbissimi, audent reprehendere, quod hæc dicat? Et quem virum? quem Theodoretus lumen Orbis terrarum, quem Socrates columnam veritatis; quẽ Gregorius Nazianzenus Orbis oculum dicit, neque dubitat cùm veteris & noui Testamenti Patribus conferre. Quid iam quæso aduersarij non sibi licere putabunt, cùm

talem

talem virum, cuius tot ſeculis in Eccleſia ſumma ſemper fuit authoritas, ſacrilegis verbis carpere non dubitent? Magna quidem eſt eorum audacia, magna eorum peruercitas, magna linguarum procacitas, ingens ad omnia impudentia. Quæ piorum aures non vehementer offendentur, cùm ab hominibus omni doctrina & pietate omninò vacuis tantum virum reprehendi audient?

Nec verò me latet iſtos nebulones multa exempla à Chryſoſtomo deprompta adduxiſſe, quibus tãquam fortiſſimis clypeis à Catholicorum telis ſe defendere ac tutari poſse, nec non traditionum imbecillitatem oſtendere ſperabant, ſed ego pauca illorum examinanda proferam: quia æquum non duco, vel eorum expoſitione vel longa enumeratione pij lectoris ingenium obruere; præcipuè cùm ea ſint, vt ſi exigua attentione perpendantur, nullus non poſſit manifeſtè cognoſcere, & ſanctiſſimi viri mentem, & quàm inſulsè ab aduerſariis ad cauſam obtinendã fuerint cõparata. Nam cùm ſæpè & ſæpius illorum audaciam & temeritatem Chryſoſtomus deprimere voluiſset, qui proprij ingenij captu, Diuinis etiã Scripturis ſpretis, non ſolùm metiri, quæ ſuperna ſunt, verùm etiam diuinis oraculis propriam anteferre ſententiam, temerè tentabant; nec non in illos, qui ex Sacra Pagina contrà vitia & ſcelera omnia remedium vllum depromi poſse, aut ab ea petendum eſse negabant, arma ſumpſiſset; ac tandem illis qui per temporariam afflictationem peccata dilui & per corporum plagas animorum vulnera extingui inficiabãtur, bellum indixiſset (quibus mortem pro ſupplicio imputari, quinimò & pijs etiam, quos perferunt labores, quas patiuntur ærumnas & ægritudinem pro patratis delictis iuſtè compẽſari ex Diuinis Scripturis apertè oſtẽdit) in hæc verba prorupit: *Et quis eſt, qui iſta promittit?* Paulus. *Neque enim oportet, quicquam dicere ſine teſtibus, ſolaque animi cogitatione.* Verùm hæc hæretici, qua ſolent calliditate ſilentio inuoluentes, ne ſanctiſſimi viri mens dignoſcatur,

Chryſoſt. in c. 22. Matt.

Homil. in Pſal. 95. in fin.

quæ

quæ ſubſequuntur, ineptiſſimè nobis opponunt. *Si quid dicatur abſque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæſitans; Verùm vbi ex Scriptura diuinæ vocis prodijt testimonium, & loquentis ſermonem & audientis animum confirmat.* Hanc tamen Chryſoſtomi ſententiam omnes exactiſſimè perpendamus, & erit nemo, qui dicat ſanctiſſimi viri verba ad labefactādas, nedum prorſus euertendas Traditiones quicquam conferre poſſe. Hoc enim Chryſoſtomum, quod Auguſtinum induxit, vt doceret, vbi de re obſcuriſſima diſputatur, non adiuuantibus diuinarum Scripturarum certis clariſque documētis, cohibere ſe debeat humana præſumptio nihil faciens in partem aliquam declinando. Obſcuriſſimam autem quæſtionem appellat, quam neque grauiſſimum Eccleſiæ iudicium, neque diuina teſtimonia dilucidarunt: qualis profectò cenſenda illa non eſt, de qua ſumma animorum conſenſione veteres à primis Eccleſiæ principibus prolatam ſententiam ad nos tranſmiſerunt. Quam ergò argumentationem ex illa Chryſoſtomi oratione aduerſarij educere queant aduerſus Traditionum pondus & authoritatem, tu qui hæc legis iudex eſto. Nullus enim erit adeò mentis expers, aut tanto in Eccleſiam Catholicam odio concitatus, qui vel hinc euidenter cognoſcere non poſſit, quibus furiis iſti in Chriſti Saluatoris noſtri columbæ venuſtatem, in Chriſti ſponſæ elegantiam, dignitatem, & amplitudinem ſæuientes à clementiſſima matre, ad crudelem & diram nouercam; à fidelium cœtu, ad brutorum ſyluam; à Chriſti fide, doctrina, & veritate, ad perfidiam, & quorundam hominum commenta, ſomnia, deliria, & inania mendacia defecerint: quippè qui in diuinæ Legis ſtudia non eo animo incumbunt, vt errorum nebulam & caliginem depellant, & ad veram doctrinam præparentur: ſed vt Eccleſiæ dignitatem & ſplendorem obſcurare queant, dies noctesque inſomnes ducunt, & ſanctorum Patrum volumina manibus contrectant, ac digitis conterunt, illud ſemper

Aug. lib. 2. de pecc. merit. & remiſ. c. 36.

præ

præoculis habentes, an aliquid inuenire poſsint, vnde Catholicam arguant Eccleſiam.

Non igitur vitali atque cæleſti, vt ipſi garriunt, ſed funeſto potius & tartareo ſpiritu impulſi, quædam alia, tũ Chryſoſtomi, tum aliorum Patrum afferunt teſtimonia, quibus ne conuicti videamur, ad vnum vel alterum nobis reſpondendum exiſtimauimus. Ac in primis ſeſe enucleãdum offert locus ille eiuſdem Chryſoſtomi, ex quo Euangelij legem ad ſalutem conſequendam maximè ſufficere, ac propterea Traditiones omnes, tanquam humana cõmenta exterminare hæretici moliuntur. *Omnia enim*, inquit Chriſoſtomus, *continet Euangelium, & præſentia, & futura, honorem, pietatem, fidem, ſimul omnia prædicationis verbo concluſit*. Fatemur & nos quæcunq. ad ſalutem neceſſaria ſunt præcepta, omnia in Euangelio, ſed tanquam in ſemine contineri. Verùm cùm hæc ipſa Euangelij lex præcipiat, vt Eccleſiam audiamus, vt parentes honore afficiamus, vt Præpoſitis obtemperemus, ea denique faciamus, quæ illi nobis dicunt, qui in Cathedra Moſis (cui Petri ſedes ſucceſſit) conſident, eo ipſo docet maximam Euangelij partem, quæ traditione ad nos peruenit (perexigua enim literis fuit exarata) non minori obſeruantia excipiendam, ac ſuſpiciendam nobis eſſe, quàm id, quod ſcriptum eſt. Quare Chryſoſtomus non omnia ſcripto contineri ad Fidem & Religionem ſpectantia, ſed prædicationis verbo cõcluſa eſſe dixit. Non ergò quod literis ſolùm exaratum, ſed quod in ſacra concione annunciatum eſt, Euangeliũ appellauit, ſiue ſcriptum illud ſit, ſiue à patribus nobis traditum. Quæcumque ſanè ad ſalutem neceſſariò exigũtur à Chriſto Saluatore noſtro enunciata, & ſacratiſsimo eius verbo tradita ſunt, ſed eritne aliquis, qui omnia quæ ille tradidit & annunciauit, literis fuiſſe mandata affirmet? Abſit hoc: contrarium enim B. Ioannes in poſteriori Euangelij ſui parte inculcat & affirmat. Vnde B. Paulus Corynthios monuit, ne aliam à ſe præceptorum ſuorum

Chryſoſt. homil. 5. in ep. ad Tit.

Ioan. c. 20.

expoſce-

exposcerent rationẽ, præter dicentis authoritatem & traditionis amplitudinem. *Si quis autem*, ait, *videtur contentiosus esse; nos talem consuetudinem non habemus.* Ecce Paulus Euangelicæ legis oppugnatores non scripturis redarguendos, non rationibus à Philosophia petitis conuincendos, sed, Ecclesiæ consuetudine vnanimi consensione recepta, omninò euertendos & extinguendos esse docet; adeò vt præceptorum suorum, quæ hoc solo fundamento munita reliquit, non secus ac ipsius Dei contemptores graui plectendos supplicio iudicet. *Qui hæc*, inquit, *spernit, non hominem spernit, sed Deum: qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis.*

1. Cor. c. 11.

1. Thess. c. 4.

Similiter cùm ex Diuinis Scripturis liquidò constet paupertatem opibus multò præstare, vir sanctissimus vulgi hac de re vanam & perniciosam contemnit opinionẽ, atque hominum terrenis cogitationibus inuolutorum sententiam condemnat. *Cùm habeamus*, inquit, *omnium exactissimam, trutinam, gnomonem ac regulam, Diuinarum, inquam, Legum assertionem: ideò obsecro & oro vos omnes, vt relinquatis, quid huic vel illi videatur, & de his à Scripturis hæc omnia inquirite. Et, veras diuitias discentes, eas sectemur.* Rectè namque diuitiis cum paupertate collatis, vnusquisque tam ex rerum ipsarum vi & conditione, quàm etiam ex Sacræ Paginæ manifestissimis testimoniis, si animum ad hæc appellat, facilè vulgi delirantis hac de re exitiosam opinionem abiiciendam cognoscet. Absurdum enim esset non plus Diuinis Oraculis, quàm mortalium hominum sententiæ deferre. Atque ideo idem Chrysostomus ait: *Ne multorum opiniones habeamus, sed res ipsas inquiramus. Quomodo autem nõ absurdum propter pecunias aliis non credere, sed ipsas numerare; pro rebus autem amplioribus aliorum sententiam sequi simpliciter?* Sed quid precor vulgi opinio cum Sacris Traditionibus? An qui furentis populi damnauit sententiam Traditiones cunctas abiiciendas docuit? An Traditionum vnanimi totius Ecclesiæ consensu receptarum lumen extinguendum, & Catholici cœtus authoritatem posthabendam dixit, qui rudis

Chrysost. homi. 13. in 2. Epist. ad Corinth infin. exposit. mora.

Chrysost. ubi supra.

dis plebeculæ existimationem explosit? O futile, o puerile argumentum. Quasi verò, quæ Christi Ecclesia tradit, quæ per totius Orbis Christiani prouincias diutissimè retenta & officiosissimè obseruanda sunt, non maioris sint ponderis & authoritatis, quàm instituta & documenta insani vulgi, quæ sola eaque incerta opinione fulciuntur. Aliena profectò hæc piorum auribus iudico & indigniora, quàm quæ à doctis tractari debeant: quippe, quæ nullo modo pro veris aut saltem verisimilibus suaderi possunt.

VErùm hi, vt ad oppugnandam Ecclesiæ dignitatẽ sunt paratissimi, quod à Chrysostomo obtinere nequiuerunt, ab Epiphanio sibi expectandum patrocinium ad obruendum Traditionum lumen arbitrati sunt. Cùm enim, quo solent animi affectu Patrum volumina legere, in Epiphanij opera incidissent, nec tantum orationis pondus, tantam sententiarum grauitatem sustinere potuissent, nõ vt ille (de cuius doctrina dubitare nemini vnquam licuit) Traditiones Apostolicas euexerit, considerarunt; Sed quomodo eum sibi suppetias tulisse persuadere possent, & quomodo eius authoritatem Sacris opponerent Traditionibus, diligentissimè quæsiuerunt. Sed nihil tamen efficient, quia in Melchisedechianos agens, Deus bone, quàm dignè ille sacras extulit Traditiones. *Termini*, inquit, *nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio Fidei, & Apostolorum Traditiones, & Scripturæ Sanctæ, & successiones doctrinæ, & vndequaque veritas Dei munita est. Et nemo decipiatur nouis fabulis.* Et posteà contrà Apostolicos disputãs, qui virginum Deo per votum dicatarum licitas prædicabant nuptias. *Oportet*, ait *& Traditione vti: non enim omnia à Diuina Scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione Sancti Apostoli tradiderunt.* Denique Aerium animarum hac vita defunctarum infestissimum hostem Traditionibus non scriptis iugulandum credidit. *Deinde verò* (ait ille) *rursus ad propositi argumenti consequentiam deueniam, quòd Ecclesia necessa-*

CAP. IX.

Epiph. hær. 55.

Hær. 61.

Hær. 75.

riò hoc perficit, Traditione à Patribus accepta. Quis autem poterit statutum matris dissoluere? aut legem Patris? velut Salomon dicit: Audi fili sermones patris tui, & ne repudies statuta matris tuæ; ostendens per hoc, quod & in scriptis & sine scripto docuit Pater, hoc est, Deus, & Vnigenitus, & Spiritus Sanctus. Mater autem nostra Ecclesia habuit statuta in se posita, indissolubilia, quæ dissolui non possunt. Ex his & quamplurimis aliis apertissimis testimoniis cùm facilè aduersarij, quantum à verò recesserint, discere debuissent, ne tamen stoliditatem, qua plurimùm semper valuerunt, occultare viderentur (quæ nihilominus iam satis omnibus nota erat) eundem, quem sybilis prosequuti fuerant, Epiphanium, quemque quasi infimæ classis virum modò audire renuerant, dum Traditionum pondus amplificaret, ita modò nobis, vt Ecclesiæ dignitatem deprimant, opponunt, vt vel vnico eius testimonio se causam obtinuisse proclament.

Nemo sanè ex nostris, quem sciam, extitit, qui dignissimi Antistitis non sit veneratus antiquitatem, non suspexerit pietatem, in Catholica doctrina tuenda non laudauerit studium, & in extirpandis erroribus sapiētiam eius non fuerit admiratus, ac tandem in euoluendis Diuinis Scripturis summam illius non commendauerit diligentiam. Quare sententiæ eius acquiescere, monitis obtemperare & doctrinam recipere nec erubescimus, nec vnquam recusabimus.

Agedum: dignissimi Præsulis testimonium aduersus Traditiones audacter proferte, ò Catholicæ Ecclesiæ hostes, si hic nos superabit, manus dabimus: vobis verò licebit triumphum parare: sin minus, cùm sententiam nostram præter alios ipse corroborauerit, nos causam verè obtinuisse, vel vobis ipsis acclamātibus, dicemus. Audiamus igitur quæso, quid vltimo hac de re docuerit Epiphanius. *Nos*, inquit ille, *vniuscuiusque quæstionis inuentionem non ex proprijs rationibus dicere possumus, sed ex Scripturarum consequētia.* At credo, iam immodicè exultatis, quòd sententiā,

Epiph. hær. 61.

qua

quà vos maximè nitimini, in medium attulerimus, & dictis Epiphanij procul dubio assentiri visi simus. Assentimur sanè, quippè quæ ea natura sunt, vt à nemine approbari non posint. Quis enim audeat negare grauissimas Fidei, & morum quæstiones non propriis à natura petitis rationibus esse dirimendas? Caligat humana ratio, nec intellectus noster vnquam ad sublimia Fidei nostræ rimanda mysteria tutò perueniet, nisi prius eorum certitudini cedat, & de ipsis ab Ecclesia instructus, tum Scripturis, tum Apostolicis Traditionibus ad sublimem supernarum rerum Philosophiam ducatur Qui tamen ex Scripturarum consequentia, non ex proprijs ratiocinationibus vniuscuiusque quæstionis inuentionem nos posse dicere commemorat, minimè profectò solam Scripturam certissimæ doctrinæ regulam constituisse censendus est: cùm ipsemet non omnia à Scripturis petenda esse manifestè docuerit. Quare ex disputationis eius methodo ac totius Scripturæ filo candidissimis quibusque lectoribus euidens fore confidimus, quàm stultè isti Epiphanium patronum assumpserint, fautoremq. implorauerint; cùm sibi ipsis nec faueat, nec patrocinetur.

Cyrilli etiam & Theophili implorarũt auxilium, quia vterque eorum omnes illos, qui proprium verbum pro Dei verbo, & pro Diuina humanam adorari volebant Scripturam, reiecit & exterminauit, necessarium asserens Diuinis Literis contenta oracula sponte suspicere, instituta recipere & doctrinam summa obseruantia venerari, atque à sacrorum monumentorum præscripto in nullo discedere. Sic enim ait Cyrillus. *Quid magis temerè excogitari, nedum dici posset, quàm ab ipsis Scripturis Diuinis discedere, & pro Dei verbo proprium verbum venditare?* Quodnam quæso istud est argumentationis genus? Non licet à Diuinis Scripturis discedere, aut pro Dei verbo proprium verbum venditare, ergò nullum est Apostolicarum Traditionum pōdus: nulla Ecclesiæ authoritas in conseruanda Patrum

Cyril. de recta fid. ad Reginas. & homil. 5. in Leuit. illi falsò adscripta. Theophi li. 2. Paschal.

doctrina? Quænam huius illationis vis? Non possum certè hominum istorum ingenium non vehementer mirari; cùm eos videam nunc Patrum sententias corruptas omninò, nunc mutilatas adducere, nunc verò victoriam iactitantes, quæ aut ad rem nihil faciant, aut sibi potius, si rectè expendantur, aduersentur, nobis temerè opponere. Cur si proprium verbum pro Dei verbo venditare nemini licet, ipsi propriam opinionem pro Dei verbo venditant? Cur humanam? Quid humanam dico? Cur funestam, tartaream, Lutheri, Zuinglij, Caluini & similium scripturam pro Diuina venerantur? Hocne faciunt, quia à Sanctorum Patrum doctrina discesserunt? quia ab Ecclesiæ vberibus auulsi sunt? quia matrem repudiarunt? & cùm Scripturas se tenere dicant, ex Scripturis, quarum sensus Ecclesiæ Catholicæ creditus est, nequaquam loquantur? Est ita proculdubio. *In ventre enim Ecclesiæ* (vt Diuus Pater Augustinus ait) *veritas manet. Quisquis ab eo fuerit ventre separatus, necesse est, vt falsa loquatur*. Miretur ergò nullus, si in media Solis luce isti cæcutiant, quos ab Ecclesia diuisos, à Sanctis Patribus, & ab ipsis Diuinis Scripturis discessisse non puduit.

Aug. in Ps.

Sed iam ad Cyprianum Martyrem deueniamus, cuius oratio hæreticis valde placet, qua ab Ecclesiæ, de non rebaptizādis hæreticis, Traditione ad Scripturam Sacram, tanquam ad purissimum fontem prouocauit; vt inde res ipsa cunctis innotesceret. Sic enim loquitur: *Vnde est ista traditio? vtrum de Dominica & Euangelica authoritate descendens? An de Apostolorum mandatis atque Epistolis veniens? Ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, testatur Deus & proponit ad Iosue dicens: Non recedet liber legis huius ex ore tuo. Si igitur aut in Euangelio præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis & actibus continetur, obseruetur etiam hæc Sancta Traditio.* Hanc orationem si paulò attentius hæretici perpendissent, nequaquam arbitrarentur Cyprianum de Apostolicis Traditionibus loquutum fuisse; sed illas reijciendas credidisse, quæ Diuinis Scripturis ad-

Cypr Epi ad ad Pomp.

uer-

uersarentur. Nõ enim, quas nos vniuersæ Ecclesiæ receptissimo vsu & vnanimi Sanctorũ Patrum cõsensu approbatas Traditiones suspicimus, sed quas, nec antiquitate cõmendatas, nec Diuinæ cõsonas Scripturæ existimauit, eas vanas dixit & exterminari voluit. Illæ siquidẽ quamuis in Sacris Libris non sint contẽtæ, Diuinæ tamen Scripturæ nõ repugnant. Vnde Augustinus cõtrà Cresconiũ inquit: *Quanquam certum de Scripturis non proferatur exemplũ; tamen earundem Scripturarum à nobis tenetur veritas: cùm id facimus, quod vniuersæ placet Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas*. Quam verò à Stephano Pontifice sibi obiectam Traditionem Cyprianus reiecit, ideò contemnendam duxit; quia eam Diuinis Oraculis contrariam arbitrabatur. Quare licet in eo valde errauerit, quod ex Sacris Literis colligere voluerit, ab hæreticis baptizatos, sacro esse lauacro iterum expiandos: prudentissimè tamen iudicauit nihil esse approbandum Diuinis Scripturis aduersarium. Si quis tamen Cypriani sententiæ hunc non existimet genuinum sensum, meminerit ipsum argumentationem suam collegisse more eorum, qui propria decepti opinione à verò deflectunt, & falsam propositionẽ præter animi etiam intentionem falso fundamento confirmare nituntur. Neque enim peruersa doctrina vero testimonio fulciri, aut Catholica sententia prauum dogma comprobari potest. Ideoque mirum non est, si Cyprianus, quod de rebaptizandis hæreticis obseruandum tradiderat institutum, ex Sacra Pagina depromptum esse sibi suaserit; Traditionem verò illam, quæ sententiæ suæ contraria obiiciebatur, quasi Diuinis Oraculis aduersam reijciendam putarit: cùm Diuinam Scripturam tanquam regulam, à qua deflectere non licet, inspiciendam sibi semper proposuisset. Hanc autem fuisse Cypriani mentẽ ex eo maximè liquet, quòd ipse Sacras Apostolorum Traditiones semper fuerit veneratus. Illum namque, qui Baptismi lauacro iam sit expiatus, vngendum docuit: cùm

Aug. contra Cresco. c. 33.

Cypr. Ep. 70 & 73.

Vide de hac re Baron. to. 1. Ann. fol. 248. Belar. to. 1. li. 4 c. 7 & to. 2. li. 2. c. 8. et Henr. Henriquez li. 3. c. 2. qui omnes Doct. et Can. citat.

tamen de Chrismate nō tam extent in Sacris Literis aperta testimonia, quàm, ex communi Pontificum, Conciliorum, & Heroum nostrorum consensu, Apostolica Traditione comprobetur, vngi quoque oportere sacrosancto Chrismate eum, qui baptizatus sit. De vsu etiam calicis, inquit idem: *Admonitos, nos scias, vt in calice offerendo dominica traditio seruetur: neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit, vt calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur.*

Cypr. ep. 63.

Nō me latet Kemnitium hanc Cypriani sententiam de scripta traditione interpretatum fuisse; cùm tamen Euangelistarum nullus mixtionis aquæ meminerit in cōsecratione calicis. Quod cùm Hermannus aduertisset, nec id ad scriptam traditionem referri posse vidisset, sibi potius quàm Cypriano adhærendum arbitratus, hanc Ecclesiæ tot seculis obseruatam consuetudinem repudiauit: sed illum nos longè æquiori iure reiicimus, & omni sapientum responso indignum iudicamus, quòd propriam sententiam tanti viri iudicio temerè anteponere non dubitauerit. Cyprianum autem adeò magnificè de Traditionibus in vniuersum omnibus, Ecclesiasticaque doctrina sensisse, vt non possit vllo pacto magnificentius sentiri, quam ipse de ablutione pedum composuit, oratio satis superque demonstrat. *Sicut*, inquit, *lex per singulas offensiones propria sacrificia requirebat, ita vnum figeretur Fidei Christianæ remedium; ad quod curreret, quoties se cognosceret offendisse. Quod quidem Petro nondum fuerat reuelatum: qui huius Traditionis nondum audierat disciplinam. Docetur ergo, quæ sit Baptismi & aliorum Sacramentorum stabilitas, & quantum ad expiationem proficiat humilis pietas, & pia humilitas & quomodo omni tempore prosequenda, & repetenda ablutio pedum, per quam rectè cognitam & intellectam adhærentes animæ sordes quotidiana satisfactione lauantur. Nam Baptismum repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ: & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere. Nemo Sacros Ordines semel datos iterum renouat: nemo Sacro Oleo lita iterū*

Cypr. in concione de ablut. pedū.

linit,

linit, aut consecrat: nemo impositioni manuum, vel ministerio derogat Sacerdotum: quia contumelia esset Spiritus Sancti, si euacuari posset quod ille sanctificat, vel aliena sanctificatione emendaret, quòd ille semel statuit & confirmat. Ipse Summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor & author: in cæteris homines Spiritum Sanctum habuere Doctorem. Et sicut par est Spiritui Sancto & Christo diuinitas, ita in suis institutis æqua est authoritas, & potestas: nec minus ratum est, quod dictante Spiritu Sancto Apostoli tradiderũt; quàm quod ipse tradidit & in sui commemorationẽ fieri præcepit. Si hæc quidem aurea prorsus Sanctissimi Præsulis verba diligenter perpendantur, nemo sanus non iudicabit, quàm multorum dogmatum Catholicorum solidissima contineant fundamenta, quamque perspicuè hæreticorum vanissima deliria demonstrent. Nemo non ingenuè fatebitur à Cypriano illo Orbis vniuersi (vt ait Nazianzenus) magistro, quem aduersarij nobis obiiciebant, Traditionum non scriptarum vim, authoritatem & maiestatem adeò commonstrari, vt iam in dubium verti minimè possit, non minus id ratum esse, quod dictante Spiritu Sancto Apostoli de Baptismate, Confirmatione, & Sacro Ordine tradiderunt; quàm quod ipse Saluator noster de Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento tradidit & in sui commemorationem fieri iussit. Quare, inquit idem Cyprianus: *In compendio est apud religiosas mentes & simplices, & errorem deponere, & inuenire atque eruere veritatem. Nam si ad Diuinæ Traditionis caput & originem reuertamur, cessat error humanus, & Sacramentorum cælestium ratione perspecta, quicquid sub caligine ac nube tenebrarum obscurum latebat, luce veritatis aperitur. Si canalis aquam ducens, qui copiosè prius & largiter profluebat, subitò deficiat, nonne ad fontem pergitur, vt illius defectionis ratio noscatur, vtrum arescentibus venis in capite vnda siccauerit, an verò integrè inde & plenè fluens in medio itinere destiterit? Vt si vitio interrupti, aut bibuli canalis effectum est, quominus aqua continua perseueranter ac iugiter fluxerit, refecto & confirmato canali, ad vsum atque ad potum ciuitatis aqua collecta eadem vbertate atque integritate repræsentetur,*

Cypr. in Ep. 75. ad Pompei. contra Steph. Rom. literas.

qua

qua de fonte proficiſcitur. Quod & nunc facere oportet Dei Sacerdotes præcepta Diuina ſeruantes, vt ſi in aliquo nutauerit & vacillauerit veritas, ad ſcaturiginem Dominicam & Euangelicam & Apoſtolicam Traditionem reuertantur, & inde ſurgat actus noſtri ratio, vnde & ordo & origo ſurrexit.

CAP. XV. Non tamẽ me prçterit hinc noſtrę ætatis hæreticos ſumpta occaſione Cyprianum Traditionum dignitati oppoſuiſſe. Sed non ego ſum eo mentis acumine, ac ea ingenij præſtantia & excellentia, vt perſpiciam, quænam ſit orationis huius pars, quæ Traditionis pondus euertat: niſi fortè, quod vbi in aliquo veritas nutauerit, ad originem Dominicam & Euangelicam & Apoſtolicam Traditionem recurrendum moneat Hoc autem Traditionum potius authoritatem confirmari, quàm earum amplitudinem labefactari, nedum dignitatem proſterni & euerti, quis licet lippus ſit, non videbit? Qui enim de rebus Fidei quæſtione aliqua exorta, aut quacunque de Religione controuerſia excitata, ad originem Dominicam & Euangelicam & Apoſtolicam Traditionem reuertendum dixit, cùm de rei veritate non liquidò conſtat, aut illa periclitari videtur, tantam Traditionis non ſcriptæ vim, tantam eſſe illius amplitudinem ſenſit; tantam authoritatem & maieſtatem illi innatam credidit; vt quoties ex Diuinis Oraculis manifeſtè veritas non eruatur, aut tergiuerſationibus perlubricis Scripturarum loca fruſtrari aggrediantur hæretici, funeſtum ortum incendium vna veterum Patrum Traditione extinguendum eſſe docuerit. Sic enim & ſanctos illos Nicenæ Synodi Patres ad ſubuertendam Arij hæreſim feciſſe legimus, qui, quod Diuinis Oraculis, quorum non pauca ex Sacris Libris deprompta afferebantur, propter Arianorum vafra diuerticula efficere non poterant, vt Dei filius eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre crederetur; Traditione magis, quàm ſcripto Dei verbo contrà omnes Nicæni dogmatis ſubſannatores aſſequuti ſunt. Quod certiſſimum Chriſti præſidium Eccleſię

Catholicæ grauiter tunc laboranti tempestiuè oblatum fuisse Deus ipse facto comprobauit, & inexpugnabilem prorsus, inuictamque Ecclesiasticæ Traditionis authoritatem reddidit: quippe quæ nec Constantij astutia & calliditate, nec crudeli apostatæ Iuliani odio, blandaue, ad defectionem, præmiorum inuitatione; neque decem illis Episcoporũ Arianorum conciliabulis, neq. sacrilegis, Valẽtis, & Iustinæ Augustæ conatibus, neq. denique Gottorum, & Vandalorum, eadem Arianæ phrenesis rabie insanientium molimine labefactari vllo modo potuit. Quapropter dum Principes huius mundi Constantium, Iulianum, Valentem, & Iustinam Augustam omnis impietatis & flagitij muliebris exemplar, defensores hæreticorum contrà Nicænum illud ὁμοούσιον aspicio; dum Episcopos Catholicis illis dudum Nicææ collectis trecentis decem & octo authoritatem suam & numerum opposuisse intueor; dum militares copias, quæ falsum dogma à tot Episcopis toties definitum, & ab Imperatoribus populari applausu susceptum defenderent, neque tantis Barbarorum cohortibus ad rabidam violentiam, siue ad omne ferocitatis genus quicquam defuisse mente conspicio; nec tamen video, quamuis omnes inferorum portæ totas simul vires in Catolicam Christi Ecclesiam intenderint, Deum Opt. Max. passum fuisse dogma illud Nicænæ Synodi Traditionis authoritate suffultum ab Ecclesiarũ penetralibus abripi, quinimò solis Traditionum armis inuictum perstitisse eisdem profectò Spiritus Sancti præsidijs, quibus Catholicam muniuit Ecclesiam, Traditionum Apostolicarum & omnis Ecclesiasticæ doctrinæ pōdus & authoritatem firmatam candidè agnosco, suspicio, & omni suscipiendam reuerentia prędico. Quid igitur est, quod aduersarij confiteri recusent Sanctissimum Martyrem Cyprianum aduersus Traditiones Sacras nihil vnquam tentasse, quas pro sua dignitate toties extulit & euexit? Frustrà enim præstantissimum virum nobis obij-

ciunt, dicentes eum Traditionem illam, quam Diuinis Scripturis contrariam putabat, ad fontem & originem reuocasse ad omnium Traditionum pondus prosternendum & lumen obruendum.

Sed iam (vt liquidò constet dogmata omnia, quæ cõmuni sunt Patrum consensu approbata, traditione ad nos veluti per manus Maiorum peruenisse, ab omnique esse falsitatis suspicione quàm maximè aliena, quamuis nullis possint Scripturę testimoniis demonstrari) quantum prę-clarum illud Catholicæ Christi Ecclesiæ columen D. P. Augustinus eiusdem Ecclesiæ Traditioni deferat, vltimo ostendamus; vt cunctis innotescat tanti viri sententiam non sine eius grauissimo dedecore ab hæreticis contrà Traditionum authoritatem in medium afferri. Ille enim contrà Donatistas agitans, quæstionem illam, an hæreticos rebaptizari oporteret, quæ & Cyprianũ, & non Africæ solùm, sed penè totius Orbis perturbauerat Ecclesias: sic inquit: *Apostoli autem nihil exinde præceperunt, sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est; sicut sunt multa, quæ vniuersa tenet Ecclesia; & ob hoc Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur*, Et alibi. *Hic forte dicis*, ait ille, *lege mihi, quemadmodum Christus suscipi iusserit eos, qui ab hæreticis transire ad Ecclesiam volunt. Hoc apertè & euidenter neque ego lego, neque tu; verùm* (subdit posteà) *cùm hoc nusquam legatur, credendum est testimonio Ecclesiæ, quam veracem esse Christus testatus est*. Ex quibus sane verbis luculenter apparet virum sanctissimum probè cognouisse, si ad neutram partem statuendam Sacra Pagina Diuina suppeditaret oracula, ad Apostolorũ non scriptas Traditiones tutò esse confugiendum. *Hanc namque consuetudinem*, ait idem, *credo ex Apostolica Traditione venientem; sicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Concilijs posterorum; & tamen, quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur*. Et rursus, *Illa*, ait, *consuetudo, quam & tunc homines sursum versus aspicientes non vide-*

Lib. 5. de Baptis. cont. Donat. c. 23.

Aug. lib. de vnit. Eccles. c. 19.

Aug. lib. 2. de Bapt. cõt. Donat. c. 7.

Lib. 4 de Baptis cont. Donat. c. 6.

videbant à posterioribus institutam rectè ab Apostolis tradita crediturì
Ad Christianę ergò Fidei instituendā doctrinam atq. corrobandā, paria censet S. Augustinus, illius confirmationē ex Diuinis esse petitam Scripturis, aut ex Apostolorum non scriptis haustam Traditionibus. Quare cùm Diuina authoritate probare niteretur infantes, qui, nondum rationis participes affecti corde credere non possunt ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, sola Baptismi expiatione veram in Christo salutem consequi, appositè dixit: *Quanquam quod uniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur: tamen veraciter conijcere possumus, quid valeat in paruulis Baptismi Sacramentum ex Circumcisione carnis, quam prior populus accepit.* Ecce in ipsa Traditione Diuinam vim authoritatemq. Apostolicam inesse, ac ipsammet ad Fidei mysteria stabiliēda sufficere, manifestè tradidit Augustinus, qui Apostolica authoritate nihil dignius, Diuina firmitate nihil certius, sublimius, grauius reperiri posse existimabat.

Aug. de Baptis. cont. Donat. lib. 4. c. 23.

Verùm aduersarij, qui adhuc his apertissimis testimoniis se conuictos fateri nolunt, nos eiusdem Augustini dictis (quasi vlla extet illius de hac re sententia, qua & nostram propugnare, & eorum dogma expugnare & funditus euertere non possimus) vndique impetunt; propterea quòd ille explicans illud Ioannis, *Multa quidem & alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc, hæc autem scripta sunt, vt credatis, quòd Iesus est filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius*, sic inquit: *Sanctus Euangelista testatur multa Dominum Christum & dixisse, & fecisse, quæ scripta non sunt. Electa sunt autem, quæ scriberentur; quæ saluti credentium sufficere videbantur.* Et rursus. *Quicquid Christus de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribēdum Apostolis, tanquàm suis manibus, imperauit.* Ecce quibus machinis totam Traditionum exædificationem labefactare & prosternere moliuntur hæretici; qui quàm ineptè ad omnia Fidei dogmata & morum prępcepta trāsferant, quæ de solis Christi miraculis & prodigiosis ope-

Ioan. c. 20. Augu. tract. 49. in Ioan. Idem lib. 1. de consens. Enang. cap. vlt.

ribus Ioannes à se scripta fuisse dixit, nullus non iudicabit. Ex quo etiam euidenter apparebit, quàm præter Augustini mentem Catholicæ Reipub. hostes iactent, tanti viri authoritate impietatem suam fulciri. Nec enim Ioannes omnia ad Fidei Christianæ doctrinam attinentia satis abundè scripta fuisse asserit, cùm multa alia à Christo Legislatore nostro & dicta & facta fuisse apertè testetur; nec profectò Augustini sententia in hæreticorum patrocinium vllo modo detorqueri potest; quippè qui, cùm in Sacra Pagina ea, quæ ad hominum salutem sufficere videbantur, contineri; & quod Christus à nobis de suis factis legi voluit, hoc in Scripturam ab Apostolis relatum fuisse asserat; alia certè esse, quæ in Sacris Literis non leguntur, sed ab Ecclesia accipienda sunt, probè nouit. Quę quidem, cùm Euangelicis institutis Ecclesiam de rebus dubiis necessariò consulere doceamur, vniuersali quodã sermone, & tanquam in semine, in Euangelio continẽtur. Similiter qui D. Cyrilli verba illa, *Non omnia, quæ Dominus fecit, conscripta sunt; sed quæ scribentes tam ad mores, quàm ad dogmata putarunt sufficere, vt recta fide & operibus ac virtute rutilantes ad Regnum cælorum perueniamus*, interpretanda negauerit, de dictis & factis Christi, quæ sanctissimus vir non omnia absolutè scriptis comprehensa, sed quæ Apostoli scribenda esse existimarunt, scriptis, vt decuit, prodita dixit, illum ego non ingenij, sed omnis prorsus rationis expertem crediderim.

Cyrill in Ioan. lib. 12. c. vlt.

Epilogus.

Cùm ergò aureis procul dubio sanctorum Patrum sententijs, quibus nihil ab hæreticis aut luculentius, aut magis perspicuum proferri potest, pondus authoritatem atque dignitatem sacrarum Traditionum demonstrauerimus, aduersariorum etiam machinas euerterimus, non est, cur vel candidum Lectorem longiori adhuc veterum Scriptorum recensione grauius onerare velimus; aut Diuinis Scripturis, rationibus, & priscorum iudicio, quæ à sanctissimis Pontificibus Romanis, & in Oecumenicis

Con-

Conciliis ſtatuta decretaq. fuere, annectamus. **Nam quorum** cęcitas tot tantiſq. adhibitis remediis non curatur, & mentium caligo nō expellitur, eorum inſania nulla Summorum Pontificum, vel Sacrorum Conciliorum medicina ſanari poterit. Prætereamus igitur, quæ Sāctus Fabianus Pontifex Romanus & Martyr, S. Innocentius, S. Leo, huius nominis primus, alijq. quamplurimi Summi Pontifices tradiderūt: quæ etiam in Concilijs Nicænis primo & ſecundo, & in Concilio octauo Generali Patres profeſſi ſunt, & quæ vltimò in Concilio Tridentino decreta fuerunt fideliter animis noſtris infixa perpetuò maneāt, & vela tandem contrahamus atque colligamus, & ad tutum cymbam portum adducere properemus: quod recto nos perfecturos curſu ſperamus; ſi ij, ad quos noſtra dirigitur oratio, Eccleſiaſticæ doctrinæ ortum, propagationem & contra hæreſes defenſionem, animo iam à falſis opinionibus libero, dignabuntur citrà odium attentè animaduertere. Tunc calamitoſum Eccleſiæ ſtatum deplorandi cauſa ceſſabit, & precibus diuinis deſtinatæ domus, quæ nunc in Germania, Heluetia, Flandria, & nonnullis alijs Galliæ Prouinciis, in Anglia, & Polonia contrà omne ius diuinum & humanum priuatorum hominum domicilia factæ ſunt, & (horrendū dictu) in horrea, & equorum ſtabula commutatæ, Deo, cui dicatæ fuerant, feliciter reſtituentur; altaria conſtruentur; Orthodoxorum Sacerdotum numerus, qui debitum Deo cultum exhibere non deſinant, in dies magis ac magis augebitur. Tūc, qua decet, exultatione lætabimur, qui nunc æquiore ſanè iure, quàm olim Baſilius, miſerum Eccleſiæ ſtatum deploramus: ille enim, quod altaria cultu vacare, & ædes ſacras clauſa videbat, vehementer dolebat: nos verò, quia templa nonnulla profanata, alia ſpoliata, alia diruta videmus, in lachrymas prorumpimus. Ille ſibi maximè licere dicere arbitrabatur, non tunc eſſe Principem, non Prophetam, non Præſidem, non Oblationem, non Thura, nō denique

S. Fab. ep. 2. ad Epiſcop. Orient.
Innocent. 1. ep. 1. ad Decentium.
Leo. 1. ſerm. 6. de quadr.
Concil. Nic. 1 de quo vidend. Theodoret lib. 1. hiſt. c. 8. Nicæ. 2. Act. 6. tom. 4. & act. 7.
Concil. 8. Generale. Conſta. 4. act. 8. & act. vlt.
Conci. Trid. ſeſſ. 4.
Baſil. ep. 70.

denique locum,in quo Domino ſacrificiũ offerri, & eius immenſa clementia, & nunquam ceſſatura munificentia implorari poſſet: ſed quantò æquius nobis hæc omnia dicere licet, qui multò plura, proh dolor & pietas, videre quotidie cogimur; adeò vt ſtatus Catholicæ Reipub. neque infelicior,neq. magis calamitoſus eſſe vnquam poſſe videatur.Non enim immanes Barborũ acies magis inhumanè in ſacras ædes & ſancta omnia ſæuire potuiſſent; imò non aliter olim à Iudæis in viuentẽ Chriſtum ſæuitũ eſt,quàm hi,qui Chriſtiani cenſeri volũt, in ſacratas eiuſdem Chriſti imagines iam à longo tempore crudeliter ſæuiunt. Sed cur eorum in Chriſti effigiem crudelitatem commemoro, cùm verum Chriſti corpus, verumq. eius ſanguinem in Euchariſtia conculcando nimis hoſtiliter tractent? At ſi, Deo fautore, Eccleſiaſticæ doctrinæ veritatem,firmitudinem,& authoritatẽ,omni depoſito odio, diligenter aduerſarij perpendant,fieri profectò non poterit,vt Eccleſiæ dignitatem & eius dogmatum maieſtatẽ æquis oculis non intueantur,& ſynceris animis nõ agnoſcant;& quæ temerè proculcant,nõ benignè ſuſcipiant,nõ piè colant, venerẽtur & adorent. Quanta tũc Chriſtiano cœtui exultandi occaſio aderit? Quanta Catholicis omnibus lætitia erit? Quantæ præ gaudio lachrymæ ex oculis labentur? Quanto amore pia mater excitata obuijs vlnis filiorũ ruet in amplexus? Quanta illi ob receſſum verecundia ſupplices ad pedes matris deuoluentur? Qnanto ſimul ſtudio hinc mater, illinc filij ad dulciſſima oſcula properabunt? Hæc omnia abſque dubio euenient, nec longum interiacebit tempus, ſi quæ de Eccleſiaſticæ doctrinæ initio,propagationeq. tradidimus, attentis animis ſuſcipiant ij,quibuſcum loquimur:Nec amplius infelicia, ſed fortunatiſſima noſtra hæc tempora dicemus; quibus non,vt Baſilio,deplorandi relinquetur locus, quod nulli ſint Chriſtianorum cætus,nulla Doctorum radiatio; reuiuiſcent enim, nec ad finem ſeculi ſalubris doctrinæ præcones,

cones.nec Doctorum conuentus cessabunt;hymnodiæq. nocturnæ habebuntur.

Non amplius, qui solitariam vitam profitentur, eremumq. inhabitant, ac Deo piè colendo se totos dicauerunt,hominum ludibrio expositi erunt;sed,quo decet pretio,æstimabuntur.Erit deniq. beata illa exultatio,qua Domino credentium animæ in Synaxi & communione Spiritualium charismatum exhilarantur.Non tunc,quod Basilij tẽporibus vitio maximo dabatur, & nostra hac ætate veluti grauissimum crimen diro supplicio dignum nobis obijcitur,quòd paternas obseruemus Traditiones, nobis amplius improperabũt:sed propter communem thesaurum, propter hæreditatem paternam, propter sanam fidem vnà nobiscum in acie ac certamine stabunt. Sileant igitur impiorum ora; omnis sacrilega lingua comprimatur:supersit nullus,qui Ecclesiam non audiat.Omnes iam potestati resistere desinãt:parentibus obtẽperent: Præpositis obediãt,cùm manifesto Dei verbo moneamur,vt quę dicunt ij,qui super Cathedrã Mosis sedent, vel ob hoc ipsum,quia dicunt & præcipiũt, faciamus. Procul hinc procul omnis recens & noua doctrina discedat: quam enim disciplinam(vt alias à nobis inculcatũ est)antiquitas non commendat, ipsa certè nouitas condemnat. Stemus, & teneamus Traditiones, quas accepimus,siue per sermonem, siue per Epistolam: subtrahentes nos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm acceptam Traditionem. Si verò (proh dolor) aliqui adhuc non persentiunt, quantis tenebris & quanta caligine mentes inuolutas gerant, eos oro, atque obsecro,vt clarissimum sanctissimorum ac doctissimorum virorum,qui Euangelij veri propagatores & acerrimi propugnatores extiterunt,ingrediantur Senatum. Simul enim ac illum ingressi fuerint, è tenebris affulgente Christi luce emergent, &, verecundia victi, non amplius rectissimæ omnium sanctorum Patrum de verbo Dei non scripto sententiæ relucta-

2. Thess. 2. cap.

luctabuntur; nec amplius pro Dei verbo ſolam Scripturam, ſed voce quoque viua traditam doctrinam ſuſcipient: quippè quæ digna eſt, quæ non ſuſcipiatur modo; ſed etiam colatur, cuius authoritatem, ſi non pro rei dignitate, pro ingenij ſaltem noſtri tenuitate, tam Apoſtolorum ac eorum ſucceſſorum teſtimoniis, quàm illorum, qui Apoſtolos audiuerunt, quique eiſdem, quibus illi, veſtigiis ſunt ingreſſi, ſententiis confirmauimus, necnō, quantum ei priſci omnes Orthodoxæ Fidei ſcriptores ab exordio naſcentis Eccleſiæ, Dionyſius Areopagita, Ignatius, Papias, Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus, Serapio Antiochenus, Tertullianus Africanus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Adamantius Alexandrinus, D. Cyprianus Carthaginenſis, Concilij Nicæni Patres, Gregorius Nazianzenus, Baſilius Magnus, Chryſoſtomus, Epiphanius, Ambroſius, Hieronymus, & Beatus Pater Auguſtinus tribuerint, oſtendimus. Sed & hæreticos ipſos non alio modo placita ſua apud rudem plebeculam firmaſſe, muniuiſſeque, ſeu, vt rectius dicam, obtexiſſe, quàm ea ex antiqua Patrum Traditione accepta fuiſſe proclamando; ſatis euidenter demonſtrauimus. Atque, vt tandem finem faciamus, hoc vnum addamus: quod ſub Lege Naturæ degentes, quod Legis Scriptæ profeſſores, quod Apoſtoli, quod eorum ſucceſſores, quod conſequentibus ætatibus Orthodoxi omnes illi priſci Patres Dei verbum ſiue ſcriptum, ſiue non ſcriptum crediderunt, Sacri Concilij Tridentini Patres inſpectis omnibus, quæ quoquo modo obſeruatione digna videbantur, non quidem, vt nouum & recens, ſed vt antiquū, nec à ſingulis modò Orthodoxis Patribus priuatim, ſed ab vniuerſa Christi Eccleſia publicè in Conciliis iudicatū, & creditum, definierunt, tātumq. authoritatis ac ponderis & maieſtatis Traditionibus non ſcriptis ineſſe, quantum Sacris Diuiniſque Scripturis defertur, ſanctiſſimè iudicarunt, idq. omnibus credendum tradiderunt. Qui igitur vnam Apoſtolicæ do-

doctri-

ctrinæ partem, Scripturam (inquam) Diuinam, verbi Dei nomine dignam censent, & tanquam aurum in massam iam conflatum suscipiunt, alteram etiam, quæ ab eodem authore, nimirum Sancto Spiritu, Apostolorum Magistro emanauit, Dei eloquium nominari patiantur, eam Diuinæ prorsus authoritatis agnoscant, &, tanquam aurum etiam signatum, admittant, & verum Dei verbum esse fateantur. Nam cùm in terrę venis delitescens aurum nondum effossum, auri tamen nomen habere non inficientur; cur huic etiam Spiritus Sancti eloquio apud vniuersam Christi Ecclesiam, ab Apostolis concorditer in Catholicorum cordibus, tanquam Euangelicæ margaritæ illius scriniis, deposito, atque viua voce cõsignato verbi Dei nomen conuenire, sicut illi, quod iusto consilio in literas est relatum, negare non erubescent? Interim, interiecta quiete, in alias nos præparabimus Disputationes.

LIBRI APOLOGETICI
ET
TOMI SECVNDI DE OPTIMO REIPVBLICAE STATV
FINIS.

Eſai. Cap. XL.

SIT Benedictus qui dat laſſo virtutem; & his, qui non ſunt, fortitudinem, & robur multiplicat. Qui ſperant in Domino, mutabũt fortitudinem, aſſument pennas ſicut Aquilæ, current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.

INDEX
LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE,

Qui in hoc opere explicantur.

In quo tam ea, quæ circa marginem, quàm quæ circa scripturam, Librariorum, vel Typographorum incuria, irrepreserunt, menda, iuxta Vulgatæ Editionis exemplar Vaticanum, accuratè tolluntur.

Primus numerus, Tomum; Secundus, Paginam, indicat. Vbi verò Tomi numerus non est adscriptus, in primo requiras Tomo.

EX LIB. GENESIS.

Ex LIB. LEVITICI.

EX LIB. NVMERO.

EX LIB. DEVTERO.

EX LIB. PROVERB.

EX CANT. CANTICOR.

EX LIB. SAPIENTIAE.

cap.

EX PROPH. HIERE.

EX LAMENT. HIEREM.

EX PROPH. EZECH.

terra,

EX MARC.

EX ACT. APOSTOL.

EX EPIST. AD ROM.

Qui

EX EPI. I. AD CORINT.

EX EPIST. AD EPHES.

EX EPIS. AD PHILIP.

EX EPI. AD COLOSS.

EX EPIS. I. AD THESS.

EX EPIS. II. AD THESS.

EX EPI. I. AD TIM.

Manus

EX EPIS. II. AD TIM.

EX EPIST. AD TIT.

EX EPIS. AD HEBRÆ.

EX EPIST. IACOBI.

Cap. I.

EX EPIST. I. PETRI.

cap. I.

EX EPIS. II. PETRI.

cap. ij.

EX LIB. APOCALY.

FINIS.

INDEX
GENERALIS RERVM, ET SENTENTIARVM,

Quæ in hoc opere potiſsimum pertractantur, ac explicantur.

In quo primus Numerus Tomum: ſecundus paginam: P, principium: M, Medium: F, Finem indicat.

Vbi verò Tomi numerus adſcriptus non eſt, in primo requiras Tomo.

✤✤✤✤✤

A

Atha-

Cæli-

E

F

G

H

I

Ioan-

Iulia-

L

Lapis

M

N

O

Pa-

P

Princi-

Qua-

Q

R

S

Thro-

V

Ver-

INDICIS GENERALIS RERVM, ET SENTENTIARVM

FINIS.

REGE-

REGESTVM PRIMI TOMI.

a b c d e f g h i.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gh Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff.

Omnia ſunt integra folia, præter Ffff ſemifolium.

REGESTVM SECVNDI TOMI.

✤ ✤✤ ✤✤✤ ✤✤✤✤ ✤✤✤✤✤ ✤✤✤✤✤✤.

a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y z.

aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn oo pp qq rr ſſ tt uu xx yy zz.

aa abbb ccc ddd eee fff ggg hhh iii kkk lll mmm nnn ooo ppp qqq rrr ſſſ ttt uuu xxx yyy.

Omnia ſunt folia integra præter rr, & yyy, quæ ſunt cum ſemifolio.

ROMAE,

In Typographia Linguarum Externarum.

Excudebat Iacobus Luna. Prid. Idus Iunij. M. D. XCVII.



SVPERIORVM PERMISSV.

Duino, s Opt, rep, St


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm